Pro Schola West Park

COMPENDIUM

THEOLOGIAE MORALIS

AUCTORE

FR. EUGENIO CORNELISSE O. F. M.

PROV. SS. MARTYRUM GORCOMIENSIUM IN HOLLANDIA

S. THEOL. LECTORE IUBILATO

The Catholic Theological Union LIBRARY Chicago, Ill.

TOMUS III.

EX LIBRIS PROVINCIAE PRO STUDIIS THEOL. S. S. CORDIS

WITHDRAWN

240 C814c v.3

AD CLARAS AQUAS (QUARACCHI)

prope Florentiam

Ex Typographia Collegii S. Bonaventurae

1909.

Proprietas litteraria

THEOLOGIA MORALIS SACRAMENTALIS.

TRACTATUS I.

DE SACRAMENTIS GENERATIM.

CAPUT PRIMUM.

SACRAMENTORUM NATURA (1).

Notio. Efficacia. Sacramentum breviter definitur signum efficax gratiae. Sc.: Sacramenta novae legis gratiam quam significant, etiam continent et non ponentibus obicem conferunt, idque ex opere operato, i. e. vi ipsius actionis sacramentalis, adeoque semper et omnibus quantum est ex parte Dei (2). Qua ratione praecipue differunt tum a sacramentis legis veteris tum a sacramentalibus. — Gratia autem, quam Sacramenta conferunt, est tum *habitualis* prima vel secunda, tum *sacramentalis,* i. e. ius ad actuales gratias speciales suo tempore conferendas ad effectus varios ad quos varia Sacramenta ordinantur. — Praeterea in tribus Sacramentis, Baptismi sc., Confirmationis et Ordinis imprimitur *character* indelebilis (3). 1.

Divisiones. I. Sacramenta alia sunt *iterabilia,* alia *iterabilia;* posteriora ea sunt quae et quia characterem imprimunt. 2.

II. Alia sunt *mortuorum,* sc. Baptismum et Poenitentia, alia *vivorum;* illa gratiam primam, haec secundam gratiam *per se* conferunt.

(1) Sporer Tr. VII, n. 1 sqq.
(2) Conc. Trid. Sess. VII, Can. 6-8 de Sacr.
(3) Ib. Can. 9.

III. Alia singulis sunt *necessaria* ad salutem, alia *non necessaria* per se. Necessaria certo sunt Baptismus omnibus hominibus, Poenitentia omnibus post Baptismum in mortale lapsis, — utrumque in re vel in voto etiam necessitate medii — Eucharistia solum necessitate praecepti. Quod ad Confirmationem et Extremam Unctionem de praecepto saltem gravi non constat.

IV. Sacramentum validum distinguitur *formatum*, quod statim ac suscipitur gratiam confert, et *informe*, quod propter obicem(1) saltem non statim illum effectum habet. Character autem Sacramento valido semper et statim imprimitur.

3. Nota. 1. Sex Sacramenta certo informia esse possunt; de sola Poenitentia dubitatur, qua de re suo loco.

2. Quodsi sublato obice gratia etiamnum confertur, Sacramentum *reviviscere* dicitur. Porro reviviscere Baptismum fere omnes pro certo docent, quia èt iterari nequit èt tantopere est necessarius. De Confirmatione et Ordine idem plerique docent, quia similis, etsi non ita urgens est ratio. De Extrema Unctione et Matrimonio multi item affirmant ob parem rationem. Magis dubitatur de Poenitentia et maxime de Eucharistia.

3. Ut Sacramentum informe reviviscat, vèl contritio perfecta vèl attritio cum aliquo Sacramento suscepto requiri videtur generatim quoad Sacramenta vivorum; certo requiritur si aut Sacramentum quodvis est sacrilege susceptum, aut post Sacramentum susceptum mortale peccatum est commissum. Attritio per se sufficere videtur ut reviviscant Sacramenta mortuorum, et probabiliter etiam Extrema Unctio.

CAPUT SECUNDUM.

SACRAMENTORUM CONFECTIO.

4. « Sacramenta tribus perficiuntur: *rebus* tamquam materia, *verbis* tamquam forma, et *persona Ministri* conferentis Sacramentum *cum intentione* faciendi quod facit Ecclesia. Quorum si

(1) *Distinguitur* obex *Sacramenti*, qui ipsum Sacramentum, ne valeat, impedit; et obex *gratiae* tantum, qui solum gratiae infusioni obstat. Nos posteriorem intelligimus.

aliquod desit, non perficitur Sacramentum ». Conc. Flor. — Quamquam hae notiones, maxime illa materiae, non aeque facile, nec eodem sensu, ut videntur, omnibus et singulis Sacramentis applicantur. Sed haec difficultas dogmatica est (1).

ARTICULUS I.

DE MATERIA ET FORMA SACRAMENTORUM (2).

Materia Sacramentorum distinguitur duplex: *remota* 5.
quae plerumque est res aliqua sensibilis, illa nim. quae in sacro ritu adhibetur; et *proxima*, quae fere est ipsa actio Ministri seu applicatio materiae remotae, quae actio formâ pronuntiatâ ad actionem sacramentalem determinatur. **Forma** communiter verbis necessario exprimitur, excepto Matrimonio.

Ad validam confectionem Sacramenti generatim requi- 6.
ritur, ut materia et forma applicentur ab eodem ministro et erga idem subiectum, simul, non essentialiter variatae.

I. Ab eodem ministro et erga idem subiectum; quia secus vera non essent verba formae. — Eorum tamen Sacramentorum quae partibus constant, valori non officit diversitas ministrorum, modo singulae partes ab uno ministro integre, suis sc. materia et forma ponantur; id autem, necessitatis casu excepto, est graviter illicitum. — Possunt etiam plures simul ministri unum

---

(1) Nota. Si in Sacramento consideratur *compositio metaphysica*, seu, ut habet Scotus in 4^m^, D. III, Qu. II, n. 3: « *proprie loquendo* de forma, prout est altera pars compositi, *forma* Sacramenti est ipsa *relatio signi* qua formaliter est tale Sacramentum; et *materia* est *totum fundamentum* ipsius relationis. Verumtamen *si* in fundamento isto sint plura, ex quibus aliquo modo fit unum Sacramentum, quae non omnino aequaliter se habent, sed alterum sit quasi praevium et determinabile, alterum quasi posterius et determinatio praecedentis: primum potest dici quasi materia... et alterum forma ». Quae est huiusmodi Sacramenti *compositio physica*. Hoc ipsum autem hodie *omnibus* Sacramentis applicatur. Praeivit S. Thomas in opusculo de Articulis Fidei et Sacramentis Ecclesiae. Cuius doctrinam et modum loquendi ex opere cit. ad verbum fere adoptavit Eugenius IV in Decreto pro Armenis. Dein secuti sunt theologi communiter tum Thomistae tum Scotistae.

(2) Sporer n. 76 sqq.: n. 85 sqq.

idemque Sacramentum conficere, singulis ponentibus id omne quod ad Sacramentum requiritur; sed et hoc, excepta consecratione in presbyterorum ordinatione, sub gravi prohibitum. — Potest etiam unus idemque minister pluribus simul Sacramentum conferre; quod pariter extra necessitatis casum generatim (1) non licet; de gravi tamen peccato non constat.

7. II. Simul. Tanta sc. requiritur materiae et formae coniunctio, ut secundum moralem hominum aestimationem spectatâ cuiusque Sacramenti naturâ verba formae materiam afficiant, et cum ea unum morale signum constituere censeantur, Sc.

1° *In Baptismo, Confirmatione, Ordinatione et Unctione* 1) certo sufficit, ut materia et forma ex parte — fine unius, alterius initio — sese contingant. 2) Communiter etiam ut satis certum docent sufficere ut una alteram immediate vel mox subsequatur; sunt tamen praecipue inter antiquiores, qui negent vel dubitent. — « Mora unius *Pater noster* nullum redderet Sacramentum (2) ». Memorato dubio Sporer, etsi non adhaereat, cum pluribus aliis hoc tamen concedit, sub gravi curandum esse ut materia et forma sese ex parte concomitentur. Quod quidem maxime docent de Baptismo et Ordinatione. Alii concludunt, ad scrupulum et omnem dubitationem amovenda licere, in casu 2) sub conditione iterare Sacramentum.

2°. *In Poenitentia,* quia per modum iudicii exercetur, absolutio satis diu differri potest, sicut in iudiciis post examen causae differri solet sententia (3).

3°. *In Matrimonio* unius consensus semper satis unitur cum alterius consensu, quamdiu hic moraliter perseverare censeri potest; quia habet naturam contractus.

4°. *Quod ad Eucharistiam* — ubi proprie de praesentia materiae, potius quam de eius cum forma coniunctione quaeritur — requiritur ut, dum minister verba pronuntiat, materia sit *physice* praesens; cum secus pronomina *hoc* et *hic* vera non essent.

8. III. Non essentialiter variatae. Substantialis est mutatio *materiae,* quando adhibetur res, quae ratione et no-

(1) De Sacramento Ordinis vid. Theol. Dogm.

(2) S. Alph. cum communi contra quosdam.

(3) Cfr. tamen dicenda de dotibus contritionis in Sacr. Poen.

mine, i. e. usu et aestimatione communi differt ab illa re quam Ecclesia usurpat (1); *formae,* quando attentis item usu et aestimatione communi non retinetur idem substantialis sensus, quem Christus exprimi voluit. Secus, accidentalis utraque mutatio dicitur. Sola *substantialis obstat sacramenti valori.*

Formae mutatio speciatim variis modis contingere potest; 9.

I. Substitutione verborum, quae accidentalis erit si synonyma substituantur, secus substantialis.

II. Omissione, Videndum num tollatur necne debitus sensus.

III. Corruptione, ut fit ob balbutiem, imperitiam vel praecipitantiam. Plerumque mutatio accidentalis erit.

IV. Transpositione verborum; quae item plerumque sensum substantialiter non mutat; mutare tamen posset, v. gr. si diceretur: ego Patris baptizo te in nomine Filii etc.

V. Additione forma substantialiter facilius mutatur, si quid falsi quam si veri quid addatur; in utraque hypothesi res ab eo maxime dependet, qua mente additio facta sit; puta mente haeretica, vel novi ritus ut necessarii inducendi.

Formae interruptio. Si tanta fiat interruptio verborum 10. formae, ut verba sequentia cum praecedentibus moraliter non cohaereant; ita ut audientibus non faciant unam orationem, ac unum integrum sensum a Christo intentum, defectus est substantialis; secus accidentalis. At

Quid de interruptione syllabarum eiusdem verbi formae? *Si interponatur verbum,* etiam unicum, v. gr., hoc est cor — (tacete) pus meum, Sporer ut certum resolvit non valere Sacramentum; alii tamen non ita decretorie pronuntiant. — *Si* tussi similive modo verbum interrumpatur, brevissima mora valori non officit.

Formae pronuntiatio fieri debet 1° modo *consecratorio,* 11. non historice solum, non interrogatorie etc. (2); 2° *voce* i. e. organis ad loquendum destinatis; idque ut fundatum de valore Sa-

---

(1) Ita Sporer et communiter AA. h. l. docent. Attamen quamdiu materia *re* quoad substantiam maioremque quantitatem est eadem, etsi communiter non iam eodem nomine vocetur, neque ad eumdem usum adhibeatur, potius dubiam, quam certo invalidam materiam AA. dicunt; cfr. i. a. n. 58, II.

(2) Cfr. n. sq. 2° quocum hic dictum cohaeret.

cramenti dubium excludatur, *ita* ut Minister se ipse audire per se possit, cum secus pronuntiatio neque vocalis neque sensibilis videatur.

ARTICULUS II.

DE INTENTIONE MINISTRI SACRAMENTORUM (1).

12. Ad valorem Sacramenti intentio Ministri oportet ut sit 1° *in se* spectata saltem virtualis; ita ut non sufficiat habitualis, excepto Matrimonio, minus etiam interpretativa; 2° quod ad *obiectum* volitum, sit intentio saltem implicita faciendi quod Christus instituit, seu quod facit Ecclesia; 3° quod ad *terminum* in quem tendit, ferri debet in determinatam materiam vel personam; 4° quod ad *modum*, sit absoluta i. e. sine conditione suspensiva, Matrimonio excepto.

13. Ad 1^{m} et 2^{m}. Ratio est, quia actiones et verba, ex se indifferentia, intentione Ministri ad rationem Sacramenti determinari debent: hoc autem non fit nisi intentione tali ut dictum est. — Qua intentione supposita, valori Sacramenti non obstat error Ministri speculativus, neque intentio particularis contraria qualiscumque, modo sc., ut supponitur, haec contraria intentio ne praedominetur, itâque intentionem debitam positive excludat seu destruat.

14. Ad 3^{m}. Ratio requisiti patet tum ex rei natura, cum actio quaelibet sit circa singularia seu plus minusve, pro rei cuiusque natura, determinata; tum ex formis sacramentalibus — Matrimonio excepto, *practice* generatim consultum est ut Minister determinet suam intentionem ad materiam vel personam *praesentem*, non vero ad talem in individuo vel numero. Quinimo, *si* hac posteriori determinatione seu restrictione periculum dubii vel invalidi seu nullius omnino Sacramenti inducitur, per se, i. e. nisi gravis causa existat, talis determinatio est graviter illicita, secundum dicenda de administratione Sacramenti dubii vel conditionati. — Et quia intentio sic restricta haberi non solet, ideo generatim error personae vel numeri non officit Sacramenti valori, et stat in dubio psaesumptio pro valore.

---

(1) Sporer n. 100 sqq.

Ad 4^m. Ratio est: Sacramenta sunt actiones transeuntes; quare 15.
tria illa ad valorem requisita, materia, forma et intentio Ministri, simul existere debent; quod in casu conditionis suspensivae appositae numquam revera fit.

Ad 1^m et 4^m. Excipitur Matrimonium, quia et in quantum 16.
fert natura, quam habet, contractus (1).

CAPUT TERTIUM.

MINISTER SACRAMENTORUM (2).

Minister, qui *valide* Sacramenta conficere potest generatim est solus Sacerdos, primi vel secundi ordinis; isque, pro Sacramento *Poenitentiae* insuper *habens iurisdictionem*. Excipiuntur Baptismus et Matrimonium. 17.

ARTICULUS I.

CONDITIONES LICITAE CONFECTIONIS (3).

Ut Minister Sacramenti cuiuslibet, solo Matrimonio quoad non- 18.
nulla excepto, etiam *licite* illud conficiat, requiritur ut habens iurisdictionem non impeditam ministret valide et rite, digne et dignis.

Conditio I. — *Minister habeat iurisdictionem non impeditam.*

Iure ecclesiastico, ita exigente ordinata Ecclesiae Hierar- 19.
chia, sub gravi per se requiritur in Ministro iurisdictio aliqua, ordinaria vel delegata, in suscipientes vel in ipsum locum, ubi Sacramenta conferuntur aut conficiuntur; eaque non impedita poenâ privante usu Ordinis. Saepe tamen sufficit delegatio seu licentia praesumpta seu interpretativa.

---

(1) Cfr. Tom. II, n. 132, 2°.
(2) Sporer n. 158 sqq.
(3) Id. n. 162 sqq.

Conditio II. — *Ut ministret valide.*

20. Peccat gravissime qui sciens volens Sacramentum invalide confert, seu rectius, Sacramentum conferre vèl *attentat*, vèl *simulat*. Supponitur sc. ritum sacramentalem, partim saltem, peragi iis in circumstantiis, quibus, ne Sacramento vel potius Sacramentorum Auctori Christo illudi saltem videatur, vèl ab agendo abstineri vèl verum seu validum Sacramentum conferri debet. Quae est et *ratio* et *regula huius* peccati (1). Non itaque huc pertinent casus sive negantis Sacramentum quod administrare teneretur, sive mere dissimulantis negatum Sacramentum, sive etiam facientis ritum sacramentalem exercitii similisve motivi iusti causa.

21. Simulatio est species fictionis, ea sc. qua per signa factorum vel rerum — in casu per ritum sacramentalem, partim saltem positum — quis significat aliquid contrarium ei quod habet in mente (2). Est itaque quasi mendacium sacrilegum, facto sc. commissum, atque naturâ suâ tendit in deceptionem — quibus differt a dissimulatione. — Quae deceptio, si intendatur, *formalis* simulatio dicitur, secus *materialis*. Distingui praeterea potest simulatio *proprie* et *improprie dicta*. Prior habetur quando materiae ficte, i. e. debita intentione exclusa, applicatur forma (3); posterior quando materiae et formae debitis aliud earum speciem referens substituitur. Quodsi sola alterutra, sive materia sive forma, vera adhibetur, non conveniunt utrum simulatio proprie an improprie dicenda sit. — Verum ad iudicium de peccato ferendum attendisse sufficiet, num revera adsit necne ratio regulae n. pr. positae. Hoc enim supposito simulatio etiam improprie dicta saltem est deceptio in re sacra, redundatque in iniuriam Sacramenti et Sacramentorum Auctoris. Quod ad Eucharistiam, attendendum insuper est,

---

(1) De *aliis* peccatis quae simul cum hoc committi possunt, infra dicetur, ubi de obligatione ministrandi Sacramenta.

(2) Cfr. S. Thom. 2. 2. Qu. 111, art. 1; ubi simulationem aequiparat mendacio.

(3) Huc spectat prop. 29 ab Innoc. XI damnata: « urgens metus gravis est causa Sacramentorum administrationem simulandi ». Cuius propositionis auctores eam — quod notandum — intelligebant de simulatione materiali.

utrum cum vel absque simulatione quavis adsit idololatria materialis huiusve periculum.

Resolves. I. *Peccatum* simulationis, vel certe contra reli- 22.
gionem committit: 1° qui formam sacramentalem profert super materiam ex occulto defectu invalidam; 2° qui super veram materiam profert formam invalidam, 3° qui Missam celebrat non proferendo verba consecrationis; 4° qui praebet hostiam non consecratam pro consecrata.

II. *Non peccat,* vel ex rationabili causa a peccato excusatur; 1° qui poenitentem non dispositum cum sola benedictione dimittit; 2° qui ad infamiam vel scandalum vitanda coram communicare volente vel fingente profert verba consueta non porrigendo hostiam; 3° qui coactus ad matrimonium consensum fingit; quo casu, quia naturà prior est contractus quam Sacramentum, potius ille quam hoc simulatur, si quidem fictio haec simulatio dicenda sit.

Corollarium. — *De administratione Sacramenti dubie validi, conditionati, et de administrationis iteratione.*

Regula quoad haec a Scoto tradita (1), et communiter re- 23.
cepta, est: quando possibilitas adest, via certa eligenda est: si non adest possibilitas, via tutissimae proxima tenenda est; cessante impossibilitate caute suppliendum id quod impossibilitas prohibebat. Sc.

I. Per se non licet Sacramenta periculo nullitatis expo- 24.
nere, seu cum dubio de valore ea administrare; sive dubium versatur de materia vel forma sive de alio quovis necessario requisito, cum de hisce omnibus eadem valeat ratio; n. 20 (2). Consequenter neque licet per se conficere Sacramentum sub conditione de praesenti vel praeterito.

Generatim itaque et per se requiritur certitudo moralis de valore Sacramenti administrandi; haec autem strictius vel latius sumpta tum pro diversitate Sacramentorum tum pro diversa rerum requisitarum natura; latius sumi praesertim potest,

---

(1) In 4, Dist. 3, Qu. 2.

(2) Cfr. prop. 1ª ab Innoc. XI damnata. Denzinger n. 1018.

si nimia sollicitudo scrupulis viam facilius aperiret, Saramentorumque administrationem odiosam nimisque difficilem redderet.

II. Ob causam potest, imo *debet quandoque,* quando nim. hoc non solum suadent sed vere iubent charitas, iustitia vel religio, Sacramentum conferri cum dubio — semper tamen cum minimo quo fieri potest dubii gradu — et sub conditione de praesenti vel praeterito.

Quanta causa requiratur, item cum quanto dubii gradu liceat Sacramenta conferre, dependet 1° a maiori vel minori Sacramenti necessitate, 2° a sequelis magis minusve gravibus ex dubio de valore Sacramenti collati oriri natis.

25. Resolves 1° Si urgeat periculum mortis et agatur de Sacramento necessario, sc. de Baptismo, vel de Poenitentia pro lapsis in mortale, vel etiam de Extrema Unctione si moriturus neque confiteri neque communicare potest, administrari Sacramentum potest et debet etiam cum infimo probabilitatis gradu.

2° Sacramenta non necessaria, vel non ita urgente necessitate seu periculo, administrari cum dubio neque debent neque possunt, nisi saltem probabilitas de valore habeatur.

3° Vix vel ne vix quidem cogitari potest casus, quo liceat cum dubio conferre Sacramentum Ordinis, maxime Sacerdotalis; vel adhibere materiam dubiam Eucharistiae conficiendae, nisi forte ad sacrificium complendum.

26. Nota 1° Sacramentum dubii valoris, si conferatur, *semper sub conditione* conferri debet; quo sc. omne irreverentiae periculum a Sacramento avertatur.

2° Generatim necesse non est conditionem ore exprimere, nisi sc. Rituale hoc praescribat, uti a) in Baptismo saltem publice conferendo, si dubitatur num baptizandus iam sit baptizatus, vel num id quod natum est, sit homo; et b) in Extrema Unctione, si dubitatur num ungendus adhuc vivat.

3° Quandoque dubium consequenter ad usum aufertur (1); qua in hypothesi si licite Sacramentum administratur, neque conditio apponenda est, cum ratio apponendi deficiat.

---

(1) Qua de re dicetur in Tr. de Sacr. Poenitentiae.

III. Ex dictis a n. 20 pariter solvitur quaestio de itera- 27.
tione Sacramentorum (1). Sc.

1° *Si cum ratione dubitatur* de valore Sacramenti collati a) *Omnia* Sacramenta iterari *possunt.* Neque hic specialis ratio requiri videtur, cum ipsum dubium tollendum sufficiens ratio haberi possit. Quare facilius repetere licet quam ab initio dubium Sacramentum administrare.

b) *Quaedam* semper, alia quandoque repeti *debent,* quia nempe vel quando necassaria sunt, vel hoc exigit charitas, iustitia aut religio.

Nota. 1° Eo facilius tum dubium satis rationabile haberi, tum 28.
repetitio fieri potest vel debet, quo maior est Sacramenti necessitas, vel quo maius est incommodum dubii perseverantis.

1° Generatim supponitur iteratione tolli dubium; sufficere tamen potest, maxime quoad Sacramenta summe necessaria et in casu urgentis periculi, ut dubium minuatur. Quare etiam quandoque contingit, ut saepius repeti Sacramentum possit vel debeat, v. gr. Baptismus in casu partus difficilis.

3° Iteratio *semper sub conditione* facienda est; n. 26, 1°.

Si dubium est inane seu scrupulosum, sub gravi non licet 29.
iterare Sacramentum, neque sub conditione, quae nim. in hypothesi habetur pro non adiecta; n. 20.

Nota. 1° Scrupulosi qui formam repetunt, facile quidem a peccato, saltem gravi, excusati haberi possunt eo quod, scrupulis agitati, non advertentes vel etiam perplexi ita stulte agunt; attamen serio monendi sunt ut ab huiusmodi consuetudine, utpote in se graviter peccaminosa, recedant.

2° Idem cum proportione dicendum est de inutili eiusdem verbi repetitione, qua Christus ridicule loquens inducitur. — Aliud est de balbutientibus vel de iis qui aliquam litteram recte exprimere non possunt, modo hi conentur quantum possunt verba rite pronuntiare.

---

(1) Ea hic intelligitur iteratio quae, supposito priorem administrationem fuisse rite peractam, nihil efficiet.

CONDITIO III. — *Ut ministret rite.*

30. Observanda a Ministro sunt, idque, generatim saltem, sub peccato ex genere suo gravi, ea omnia quae ad decentem administrationem ac decorem Sacramenti requiruntur sive ex natura rei sive ex praecepto Ecclesiae. Ratio: sancta sancte sunt tractanda, et praeceptum Ecclesiae in materia tam gravi obligat in conscientia (1). — Huc plura pertinent ex iam dictis tum hoc tum pr. cap., ea nim. quae ipsum Sacramentorum valorem non attingunt. Praeterea

31. I. Ex natura rei praecipue requiritur attentio. Voluntaria sc. distractio peccatum est, sed *per se veniale* tantum, nisi nempe inde oriatur periculum erroris substantialis seu nullitatis Sacramenti vel defectûs cuiusvis notabilis. — *Excipiunt* plerique, i. e. grave peccatum reputant voluntariam distractionem in confectione S. Eucharistiae: contradicunt tamen plures.

II. Ex praecepto Ecclesiae sequendum est Rituale (vel Pontificale) Romanum, vel huic conforme, salvis tamen specialibus concessionibus et consuetudinibus legitimis. *Notandum* tamen plures caeremonias esse directivas tantum seu de consilio, non ex stricto praecepto observandas.

CONDITIO IV. — *Ut ministret digne* (2).

32. Status gratiae *certo sub gravi* requiritur, *si* tria haec concurrunt, sc. si 1° Minister est ad Sacramenta conferenda *consecratus,* et 2° ea *conficit,* idque 3° *solemniter* seu ex officio. — Ex communi tamen a mortali *excusat necessitas* ita urgens, si dari possit, ut Minister neque actum contritionis elicere queat.

33. Ad 1m et 3m. De hac utraque conditione, num requiratur ad grave peccatum, *controvertitur.* Negantes, adeoque admittentes peccatum grave etsi Minister non sit consecratus, vel consecratus non ex officio Sacramentum conficiat, rationem gravis malitiae repetunt ex sanctitate Sacramentorum et Christi cuius personam minister

---

(1) Quod spectat ad « receptos et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos » vide Trid. l. c. Can. 13.

(2) Sporer n. 169 sqq;

quivis gerit: alii hanc rationem petunt ex sanctitate specialis officii, seu ex speciali illa obligatione quae in consecratione suscipitur administrandi, digne utique, Sacramenta. Utrumque intrinsece et extrinsece probabile, sed posterius, maxime quoad 1^m^, communius.

Nota. 1° Quod ad Sacerdotes, controversia haec solum Baptismum respicit, quoad alios praeterea Matrimonium cuius respectu dubium est num contrahentes unum an duo peccata gravia committant. **34.**

2° Sacerdos qui in mortali solum *audit* confessionem, non vero absolvit, seu qui ante absolutionem dandam contritionis actum elicit probabiliter non peccat graviter.

Ad 2^m^. Etiam quoad hanc conditionem quaedam dubitantur, ubi agitur de S. *Eucharistia* propter specialem huius tum naturam tum dignitatem Sc.: **35.**

1° *De distribuente* in mortali satis communiter affirmant peccari graviter; multi tamen probabiliter negant.

2° *De tangente* vel deferente *triplex* est *sententia probabilis:* affirmantium, negantium et distinguentium inter mediate et immediate tangentem. Rationes pro et contra tum ad 1^m^ tum ad 2^m^ satis per se patent.

3° *De celebrante* Missam in mortali dubitant *quot numero* peccata committat. Admittenda *duo* (1) *tantum* videntur: unum indignae *confectionis,* quod integram Missam etiam sub ratione sacrificii et cum omnibus suis partibus comprehendit (2), alterum indignae *susceptionis.* Quod posterius admittendum puto, sed specificae magis etiam quam numericae distinctionis ratione: propter modum sc. moraliter diversum quo in SS. Sacramentum peccatur. Alia peccata quae alii ab hisce distinguunt, sc. quod ministrat indigne (saltem sibi, forte etiam aliis) et indigno, vèl negantur ut gravia, vèl sub secundo comprehenduntur.

---

(1) Ita Sporer hoc loco cum De Lugo *De Sacr. in genere* Disp. VIII, S. IX, n. 161, et cum communi. Per oblivionem contigisse videtur ut Sporer *de Euch.* n. 493 diceret Dianam ex *communi* doctrina notare esse unum tantum peccatum. « Ut volunt *aliqui* relati a Diana », ait de Lugo l. c.

(2) Cfr. Tom. I, n. 120, *Regula* IV.

N. B. In aliis functionibus sacris ex hoc capite non peccatur graviter. Est commune, contra quosdam in nonnullis casibus.

Conditio V. — *Ut ministret digno* (1).

36. **I. Regula:** per se loquendo peccat mortaliter qui scienter ministrat Sacramentum indigno. — **II.** Exceptiones certae: nisi indignitas occulta ex sola confessione sacramentali sit nota, vel ex negatione publica scandalum vel gravis infamia petentis sit secutura. — *Rationes regulae:* tum proprium et speciale Ministrorum officium, tum praeceptum charitatis non cooperandi peccato alieno; *exceptionis* 1ae: sigillum sacramentale; 2ae: obligatio non laedendi famam proximi; accedit ratio boni communis, cuius causa cavendum est ne fideles timore a Sacramentis avertantur.

37. Resolves. I. Peccatori publico semper deneganda sunt Sacramenta, sive occulte sive in publico, i. e. coram aliis petit (2).

II. Etiam occulto peccatori deneganda sunt, si occulte petit, i. e. coram solo Sacerdote vel aliis paucis iisque ignaris qua de re agatur, v. gr. pueris.

III. Occulto peccatori, si in publico petit, deneganda non sunt (3). Excipe casum quo Sacramentum, maxime S. Eucharistia, peteretur ad illud positive dehonorandum et ad significandum contemptum per indignam illam susceptionem.

38. De dignitate petentis (4) 1° *inquirendum* maiori minorive diligentia est, et de ea plus minusve constare debet quoad Baptismum adultorum, Poenitentiam, Ordinem et Matrimonium. 2° Quoad alia Sacramenta, generatim saltem, dignitas *praesumi potest;* indignitas probanda est, ita ut in dubio sacramenta potius

---

(1) Sporer n. 184 sqq.

(2) Huic aequiparandus est 1° casus indignitatis relative publicae, i. e. *omnibus adstantibus* notae; 2° casus petentis, cuius indignitas *in alio loco* publica est, sed *ita ut brevi* etiam mala fama perventura *certo* praevideatur in locum, ubi nunc Sacramenta petit.

(3) Excepto, quoad ineptos (cfr. nota sq.), Ordine; ratio petitur ex bono communi.

(4) Dignitas hic non de sola animae dispositione, ad fructuosam Sacramenti susceptionem requisita, sed latius sumitur.

danda sint. 3° Si tamen de indignitate constiterit, probanda est emendatio et quandoque insuper constare debet de satisfactione praestita.

Resolves cum Lehmkuhl (1): Ut igitur peccator, qui ex 39.
crimine aut ex vitiosa consuetudine diffamatus fuerit, denuo ad Sacramenta admitti possit, haec notanda sunt:

1° Si vixit in occasione proxima peccandi, haec communiter antea relinquenda est.

2° Si indignitas oritur ex solo crimine, sufficit peccatorem confessum esse in publico, vel coram pluribus.

3° Si alia quaedam satisfactio vel retractatio est facienda, haec praecedere debet, eaque publica, vel saltem ita exhibita ut brevi evulgari possit. Quodsi coram paucis, qui retractationem evulgaturi sunt, satisfactio data est, facile coram illis paucis *statim* ad Sacramenta admissio fieri potest.

4° Si quem in vitiosam consuetudinem, confessione non obstante, saepius relapsum esse vulgo constat, generatim per aliquod tempus exspectandum est, quo iudicetur, emendationem esse satis probatam; nisi forte palam appareant signa peculiaria emendationis (2). Praeterea

Nota pro praxi fori *interni* 1° cum eodem (3): Ex no- 40.
titia confessionis Sacerdos neque ad iterum concedenda diffamato Sacramenta semper procedere potest. Quare tum monere debet poenitentem, si quem sacramentaliter quidem absolvit, sed publice ad S. Eucharistiam admittere nondum valet, ne ille confessus repulsam postea accipiat.

2° In ipso Sacramento Poenitentiae quoad dandam vel negandam absolutionem fere sola praesens poenitentis dispositio consideratur. Et

Pro praxi fori *externi* 3° in casu negandi Sacramentum quam prudentissime et cautissime procedendum est: quoad eius fieri potest, praecaveatur petitio; quod si non succedat, negatio

---

(1) N. 40, 7.
(2) Cfr. Lacroix L. I, P. I, n. 141, cum pluribus aliis.
(3) Ib. 8.

fiat cum minori, quo fieri potest, rumoris atque diffamationis indigni periculo (1).

4° In Neerlandia observetur praeceptum Conc. Prov. Utrai. (2): « Quoniam in huiusmodi casibus plura omnino sunt quae perpendi debent, *Parochis praecipimus,* ut si res moram patiatur, Ordinarium antea consulere non omittant ».

41. Quaestio seu *exceptio controversa.* Num etiam propter damnum ipsius Sacerdotis vitandum licet Sacramentum administrare indigno?

Resp. 1° Alii negant, quia in casu non intervenit ratio boni communis, quae sola sufficiens videtur (3); alii *affirmant, dummodo* petens sit Sacramenti capax ita ut valide, etsi indigne illud sit suscepturus (n. 20), neve petat in contemptum Dei vel Religionis; quia esset cooperatio materialis (4).

ARTICULUS II.

OBLIGATIO MINISTRANDI SACRAMENTA.

42. I. Pastores animarum. — Episcopos intelligimus et Parochos, horumve vices *ex officio* gerentes, seu eos — qui curam animarum habent vi muneris *ex iustitia* obligantis, hac ipsa ratione

---

(1) « Lorsqu'on ne croit pas pouvoir l'admettre [la personne indigne] on doit l'éloigner ou plutôt s'éloigner d'elle, *sans* bruit, *sans* éclat, *sans* se permettre aucune observation, si ce n'est sur les instances de la personne qui demande un Sacrement, à laquelle on se contentera de répondre qu'on *regrette* de ne pouvoir lui accorder ce qu'elle demande. Si c'est une personne notoirement indigne de la Communion, qui se présente à la sainte table, on passera sans la communier, si elle est seule on restera à l'autel, en lui faisant dire qu'elle peut se retirer; mais on ne dira point pourquoi on ne la communie pas. Et quel que soit le résultat de ce refus, le curé s'abstiendra de faire connaitre en chaire ou en public les motifs, qui peuvent justifier sa conduite; autrement il pourrait être inquiété pour cause de diffamation. Cet avis est important ». Gousset, II, n. 52.

(2) Tit. IV, Cap. I.

(3) His consentit S. Alph. n. 49. Cfr. Lehmk. n. 43.

(4) Est sententia Sporer, qui, ut plures alii, neque pro ratione regulae (n. 36) affert bonum commune.

1° *Tenentur subditis* Sacramenta administrare non solum in vera necessitate, sed quoties subditi *rationabiliter* petunt. — Quae obligatio communiter sic intelligitur, ut extra casum necessitatis una alterave vice petenti administrationem negare censeatur solum veniale peccatum ex parvitate materiae; *grave* vero, si vèl *propter necessitatem petenti* non satisfaciunt, vèl *ex more difficiles* sese exhibent, ut si tempora importuna, pauciores et fixos tantum dies constituunt.

2° *Neque excusantur* ratione gravis incommodi, ut ob periculum sanitatis vel etiam vitae imminens, *si* subditus *in gravi necessitate* spirituali versetur. Sed. cfr. n. 44.

3° Quamquam plura per alios praestare possunt, si tamen nominatim postulantur, ipsi per se petentibus satisfacere debent, nisi legitime impediantur. — Episcopi vero quoad ministeria ordinaria plane satisfacere per alios èt possunt, hodie maxime, èt debent.

Nota. Pastoribus animarum iis, de quibus hoc n. diximus, passim AA. omnino aequiparant Superiores Religiosorum respectu subditorum. Et recte aequiparari videntur quoad quantitatem, seu gravitatem et extensionem obligationis, quum hi ratione muneris obligati pari modo videantur ex pietate, ac alii pastores ex iustitia. Sed ratio iustitiae hic non ita clara apparet. Non enim munera etiam publica per se seu ratione sui obligationem strictae iustitiae inducunt, sed potius ratione contractus saltem taciti quo suscipiuntur.

43. II. Alii sacerdotes, ii qui *ex sola charitate* obligantur, hac ratione

1° Stricte et maxime sub gravi non tenentur nisi suppositis èt vera aliqua necessitate spirituali ex parte unius, èt facultate morali seu absentia incommodi relative gravis ex parte alterius, sc. ministri.

2° In sola aut proximi extrema vel gravissima, aut communitatis gravi necessitate tenentur non obstante gravi incommodo vel ipsius vitae periculo.

44. *Nota* 1. Quod in casu necessitatis Sacramenta administrari debent *cum ipso vitae periculo,* obligatio haec restringitur ad Sacramenta pro circumstantiis necessaria ad salutem;

quae sunt Baptismus, Poenitentia saepius, Extrema Unctio rarius, solum sc. quando moribundus nullo modo confiteri potest, vel numquam, secundum varias opiniones, de quibus statim.

2. Obligatio haec plures supponit conditiones, sc.:

1° Casus necessitatis, qualis respective pro obligatione Pastorum vel aliorum Sacerdotum requiritur, certo adsit. Sic v. gr. ut moribundus dicatur esse in certa necessitate extrema, moraliter constare debet eum èt esse in statu mortali, èt sibi consulere non posse per contritionem perfectam. Quodsi de hoc posteriori solum dubitandum et timendum est, ita ut sit etiam fundata spes in contrarium, necessitas reputabitur gravis tantum, et obligatio haec tantummodo certa pro Pastoribus. Si de illo priori ita dubitatur, ipsa necessitas est incerta, et neque Pastor cum tanto periculo obligatur.

2° Non sit alius qui Sacramentum necessarium saltem probabiliter administraturus est; si solum probabiliter, *Pastor* in extrema subditi necessitate non videtur excusandus.

3° Ut sit spes fructus vèl moraliter certa, vèl saltem aeque certa ac est periculum vitae. Prius illud alii absolute pro omnibus (1), ut stricte obligentur, requirunt; alii pro solis iis, qui non sunt Pastores; posterius alii pro omnibus, alii pro solis Pastoribus sufficire dicunt.

4° Ut maius incommodum maxime damnum commune non immineat. Cuius enim opera aliis pluribus vel toti communitati necessaria est, v. gr. tempore pestis, persecutionis etc., hic neque tenebitur, neque poterit pro unius tantum salute vitam suam exponere.

5° Addit Sporer cum aliis: salva salute propria. Quam quidem conditionem alii tacite requirunt; de sola enim vita corporali exponenda sermo est. Sed minus practice huius conditionis expresse fit mentio; cum vix deesse possit. Maiorem enim charitatem nemo habet, quam qui animam ponit pro fratribus.

45. Deserere gregem *Pastor* 1° pro tempore et ratione *periculi sui solius potest,* dummodo per alium gregi provideat.

---

(1) Haec videtur sententia Sporer, Vol. I, n. 817 sqq.

2° Tempore *periculi communis*, ut belli, morbi contagiosi, num sub eadem conditione liceat, alii aliter resolvunt. Sed negandum videtur, saltem ex iure ecclesiastico; quamquam Sacramenta per alios administrare potest, idque ipsius boni communis intuitu. Ut enim refert Fagnanus (1): « Die 23 Sept. 1576 S. Congr. Conc. censuit litteras scribendas in hanc formam »: Parochi tempore pestis teneantur omnino residere in suis Ecclesiis parochialibus, et si non resideant, agendum contra eos ex decreto Concilii c. 1. sess. 23· Ministrent vero parochianis peste infectis Sacramenta Baptismi et Poenitentiae per alios ». Et licet Cardinalis Montis Alcini diceret, quod ex ultimis verbis videtur prohibere Parochis, ne per seipsos haec duo Sacramenta etiam volentes ministrent, tamen tota Congregatio dixit, hanc fuisse mentem Sanctissimi in prohibendo haec Parochis ad commodum parochianorum, qui sani essent: hi enim verisimiliter nollent conversari cum Parochis euntibus ad infectos peste». — Quod attinet ad Episcopos occasione pestilentiae eadem S. C. C. 18 Dec. 1576 declaravit, decretum factum de Parochis multo magis debere procedere in Episcopis, qui magis obligati sunt: posse tamen Episcopos in locis tutioribus manere et inde providere (2).

Neque abdicare officium Pastor potest tempore et ratione periculi, si hoc commune est, nisi alius in eius locum *et officium* substitui possit.

III. Adiutores Parochorum, qui tales sunt ex munere 46
ipsis, hodie ab Episcopo, demandato *(Kapelaans)*, et ipsi quidem ex iustitia obligati dicendi sunt, adeo ut eorum obligatio maior et magis extensa sit quam aliorum Sacerdotum; minor tamen quam Parochorum, ita ut facilius quam Parochi èt excusentur, èt per alios satisfacere, èt tempore periculi locum et officium deserere possint, cum ipsos inter et Parochiam non existat vinculum illud quo ligantur Parochi.

(1) Apud Ball.-Palm. Vol. IV, Tr. X, Sect. IV, Cap. II, n. 113, 5°; ed. 3ª, n. 903. Cfr. Lucius Ferr. V. Episc. art. 3. n. 12.

(2) Fagnanus ib.

CAPUT QUARTUM.

SUBIECTUM SACRAMENTORUM.

47. **Subiectum** Sacramentorum capax est 1° solus homo viator; 2° omnis homo viator capax est *Baptismi;* 3° omnis homo baptizatus et adultus est capax *Poenitentiae, Extremae Unctionis et Matrimonii;* 4° omnis homo baptizatus capax est *Confirmationis, Eucharistiae,* et masculus etiam *Ordinis.* Sporer n. 190.

ARTICULUS I.

CONDITIONES VALIDAE SUSCEPTIONIS.

48. **Conditiones** *generatim* ad validam susceptionem requisitae sunt:

I. Baptismus praevie et valide susceptus *pro omnibus aliis* Sacramentis et *in omnibus* suscipientibus requiritur; quia haec est « vitae spiritualis ianua (1) », seu quia, ut ex traditione et praxi Ecclesiae constat, Christus alia Sacramenta pro solis iis instituit, qui per Baptismum vere susceptum membra Ecclesiae suae facti sunt, exclusis etiam iis qui alia ratione iustificationis gratiam acceperunt.

II. Intentio, i. e. voluntas *directa* suscipiendi Sacramentum seu id saltem quod praestat Ecclesia (2), *pro omnibus* Sacramentis requiritur *in adultis.* Ratio a priori est voluntas Christi, de qua constat ex sensu Ecclesiae et Doctorum communiter hac in re consentientium. — *Pro infantibus,* quibus aequiparantur perpetuo amentes, qui sc. numquam rationis compotes fuerunt, ad sacramenta, quorum sunt capaces, sc. Baptismi, Confirmationis, Eucharistiae et Ordinis intentionem hanc supplet Minister nomine Christi et Ecclesiae agens. Sporer n. 191.

(1) Decr. pro Armenis: Denz. n. 591.
(2) Cfr. n. 12, 2°.

Conditiones *speciatim* requisitae ad validam susceptionem Poenitentiae, Extremae Unctionis et Matrimonii potius suis locis exponuntur.

Dicendum ergo hic restat

De intentione requisita (1).

Requiritur saltem, sed et sufficit generatim intentio habitualis; ut sc. quis, si minus habeat, saltem habuerit veram voluntatem positivam seu directam suscipiendi tale Sacramentum eamque non revocatam. Quod haec *sufficit, ratio* est: quia suscipiens habet se passive tantum — in quo differt a Ministro — ideoque in eo non requiritur intentio quae sit causa actionis, sed solum quae sit dispositio ad suscipiendum Sacramentum et recipiendum effectum sacramentalem, doni instar. **49.**

Haec autem intentio esse potest vèl *explicita,* quae expresse fertur in suscipiendum tale Sacramentum in se cognitum et cogitatum; vèl *implicita,* quando sc. in voluntate magis generali nunc vel aliquando habita continetur voluntas suscipiendi tale Sacramentum in se non cogitatum vel etiam neque cognitum. — Implicitam saepius dicunt etiam interpretativam, sed minus proprie. Interpretativam vero proprie dictam non sufficere fere omnes docent, neque de hoc est dubitandum.

De intentione habituali implicita AA. non ita dissentiunt, si quaeratur *num sufficiat,* idque de sola *susceptione* et de sola huius — et consequenter, magis autem practice, de administrationis — *liceitate;* sed aliud est si quaeratur num vel quando revera *adsit,* vel adesse satis praesumi possit. Explico ponendo praecipuos casus horumque, varias quandoque variorum, resolutiones. Itaque **50.**

1° *Pro infideli* in voluntate *absoluta* amplectendi religionem christianam contineri sufficientem intentionem suscipiendi *Baptismum in periculo mortis, consentiunt;* num etiam in voluntate generali adhibendi media salutis, etsi coniuncta cum animo exami-

(1) Sporer n. 139 sqq.

nandi religionem christianam; item utrum in attritione supernaturali *dissentiunt.*

2° *Pro catholico* in voluntate more christiano moriendi contineri intentionem suscipiendi *in periculo mortis* Sacramenta *exeuntium* vel etiam *Confirmationem, consentiunt.* — Sed tum ad 1^m^ tum ad 2^m^

3° Si quaeratur num eadem voluntas generalis sufficeret ad valide suscipienda Sacramenta *Baptismi, Confirmationis et Eucharistiae,* quando secluso periculo mortis suscipiens non foret sui compos — v. gr. dormiens, ebrius — plures, inter quos Sporer, censent voluntatem illam generalem praesumendam esse restrictam, ita sc. ut non includat suscipiendi voluntatem in tali statu. Alii vero hanc voluntatis restrictionem *per se* non praesumunt (1). — Sed idem dubitari potest de ipsa intentione explicita. — *De liceitate administrationis,* ut patet, hic non est quaestio.

4° Quoad Sacramentum *Ordinis* satis consentiunt practice generatim requirendam esse intentionem explicitam, cum vix praesumi possit sufficiens intentio implicita, quia sc. hoc Sacramentum tum neque necessarium est, neque communiter suscipitur, tum vero novae una cum eo suscipiuntur obligationes.

51. Amplius hic adverte:

1. *Quod ad Eucharistiam* proprie hic quaeritur, non utrum valeat Sacramentum, sed utrum cum fructu recipiatur.

2. *Ad Poenitentiam* quod attinet, perperam nonnulli confundunt quaestionem de intentione ad validam susceptionem requisita cum hac alia quaestione num actus contritionis elici debeat cum intentione Confessionis instituendae. Stricte loquendo ad validam susceptionem Absolutionis certo sufficere videtur intentio habitualis.

3. *Pro Matrimonio,* cuius ipsi contrahentes sunt ministri, quia tamen est contractus, sufficere potest etiam hoc respectu intentio habitualis secundum dicta n. 12, 1° et 16.

N. B. *Attentio,* ut ex praecedentibus a fortiori deducitur, nequaquam ad valorem Sacramenti in subiecto requiritur. Hinc frustra scrupulis aliquando poenitentes ex eo anguntur, quod non attenti

(1) Cfr. Ball.-Palm. l. c. Sect. I, Cap. III, n. 71; ed. 3ª n. 701.

fuerint, dum absolverentur, vel quod non ad id animadvertentes absoluti fuerint. Gury. Cfr. n. 54.

ARTICULUS II.

CONDITIONES LICITAE ET FRUCTUOSAE SUSCEPTIONIS (1).

Licita et fructuosa susceptio: duo haec magnam partem inter se connectuntur. Sc. qui suscipiendo *graviter* peccat, is neque fructum, gratiam, ex Sacramento percipit, ut patet; qui vero *leviter* solum peccat, is fructum principalem non quod ad substantiam impedit, sed uberiorem tantum eius copiam, et facile insuper effectus secundarios impedit vel minuit. Et vicissim qui Sacramenti fructui principali obicem ponit, is hac ipsa ratione peccat gravi sacrilegio; qui vero gratiam abundantiorem solum vel effectus secundarios impedit, is plerumque saltem sed et summum venialiter peccat. Iam pono 52.

Conditiones. I. Requiritur sub gravi — consequenter ad fructuosam etiam susceptionem — ut suscipiens sit proxime capax effectus principalis Sacramenti; sc. ut sit vèl in statu gratiae, vèl saltem attritus, prout agitur de Sacramento vivorum vel mortuorum suscipiendo, ut de singulis Sacramentis suis locis speciatim exponitur. 53.

II. Requiritur — partim ad licitam tantum, partim ad fructuosam quoque susceptionem — ut suscipiens observet ea quae ad decentem modum recipiendi Sacramentum necessaria sunt sive 1° *ex natura rei;* quae quidem praecipue postulat, ut Sacramenta cum *debita reverentia* suscipiantur. Secus faciens peccat gravius vel levius pro ratione materiae. Quo speciatim pertinet quod Sacramenta suscipienda sunt *cum attentione* seu sine voluntariis mentis evagationibus; hoc tamen sub levi tantum. — Sive 2° *ex praecepto positivo,* divino vel ecclesiastico, ut item de singulis Sacramentis speciatim exponitur. 54.

III. Quod ad praecedentem conditionem reduci potest — requiritur generatim sub gravi, ut Sacramenta petantur et recipi- 55.

(1) Sporer n. 192 sqq. et n. 177 sqq.

antur a Ministro 1° legitimo; ne sc. peccetur contra leges Ecclesiae. Legitimi autem non sunt 1) censurati vitandi (1), 2) carentes iurisdictione seu licentia administrandi tale Sacramentum, vel tali personae etc. (2). Et 2° a ministro digno, ne suscipiens cooperetur peccato indignae administrationis — Quos inter haec

56. 1° *Notetur differentia,* quod ab *illegitimo* ministro Sacramenta licite peti et recipi non possunt nisi ob necessitatem talem, propter quam cessat lex Ecclesiae prohibens. Qualis necessitas quod ad vitandos non admittitur nisi in periculo mortis. Ab *indigno* vero licite petuntur Sacramenta ob rationabilem pro circumstantiis causam, secundum exposita de cooperatione ad peccatum alienum. Et ex dictis de ea hic praecipue

2° Notetur facilius peti posse Sacramentum ab eo, cuius est vi officii tale Sacramentum ministrare; v. gr. a proprio Parocho.

---

(1) De quibus vid. Tom. I. Tr. XI.

(2) Cfr. n. 19.

TRACTATUS II.

DE BAPTISMO.

Baptismus definiri potest: Sacramentum regenerationis per ablutionem corporis aquà ab alio factam sub invocatione trium personarum SS. Trinitatis. 57.

CAPUT PRIMUM.

DE MATERIA ET FORMA BAPTISMI.

ARTICULUS I.

DE MATERIA REMOTA.

Materia remota Baptismi ad valorem requisita est aqua naturalis — ablutioni apta, quia haec ipsa ablutio est materia proxima; ita ut 58.

I. Materia certo valida sit ea *sola et omnis* quae *usualis* aquae, ablutioni inservientis (1), nomine venit. Eaque *manet* valida materia non obstante cuiusdam elementi genere dissimilis *admixtione*, modo haec *parva* sit, *et* aquam substantialiter *ne mutet*.

(1) Cfr. n. 8 et nota ib.

Porro de nonnullis liquoribus dubitatur, sintne manserintve aqua vera, contineantve sufficientem, i. e. praevalentem aquae quantitatem. Sic

II. Dubia materia est:

1° aqua ex sale soluto; humor fluens ex vite aliisve arboribus; (aliud seu certa materia est aqua tempore nimboso fluens ex pariete, arborum foliis etc.); idem nonnulli dicunt de succu plantarum, sed hoc parum probabile videtur;

2° aqua rosacea et similes; lixivium et plura quae, si densa sint vel iis magna alienae materiae copia admixta sit, certo invalida materia sunt, dubia evadunt *si tenuia* sint, ut: iusculum carnis, cerevisia, caffea, thea; item lutum, atramentum;

3° respectu materiae proximae: glacies, nix, grando non soluta; sed haec facile calore manus si paulisper retineantur, solvuntur et certa iterum materia fiunt.

Quod ad praxim cfr. n. 23 sqq.

59. Ad liceitatem debet esse

1° aqua *pura,* non mixta et maxime non sordida; aqua valde impura sine necessitate uti communiter grave peccatum existimant; cfr. n. 30, et infra n. 84 i. f.

2° pro Baptismo solemni aqua *Baptismalis* i. e. ad hunc finem consecrata. Pro Baptismo privato sive a sacerdote sive a laico conferendo, solum consuli videtur, ut adhibeatur aqua lustralis seu benedicta; consulantur statuta dioecesana.

ARTICULUS II.

DE MATERIA PROXIMA.

60. **Materia proxima** Baptismi est ablutio. Quae ad valorem requiritur 1° ut fiat *a baptizante.* Ut autem vera ablutio habeatur requiritur 2° ut aqua *physice tangat* baptizandum: idque 3° *motu successivo,* nisi eodem instanti plures aquae partes plures corporis partes contingant (1). — *Non requi-*

(1) Palmieri ad Ball. IV. Tr. X, S. II, n. 12, ed. 3ª n. 724, ex Suarez Disp. 20, Sect. 2, n. 4.

ritur vero ut mundetur corpus a sordibus, qui est ablutionis *effectus*, sed qui deesse potest manente vera ablutione, ut si fieret aquâ sordidâ.

Ad 1^m. Si fiat ab ipso baptizando, vel a tertio, vel a *sola* causa naturali v. gr. pluviâ, *non sufficit.* Non enim vera essent verba formae « Ego te baptizo ». Sufficere tamen videtur, si ipse *baptizans* baptizandum *supponat* aquae decidenti e coelo, fonte, tecto etc.; et probabilius etiam si supponat aquae a tertio effusae, modo tertius hic ne adhibeatur ea mente ut materiam proximam applicet (1); sunt tamen qui hoc ultimum sufficere absolute negant vel dubitant (2). 61.

Ad 2^m I. *Dubitatur* de valore Baptismi si aqua *crines* tantum vel *secundinas* tetigeriti. De secundina tamen externa, quam deciduam vocant, Capellmann prorsus negat (3). 62.

II. *Certo valet* Baptismus, si *in capite* fiat ablutio; *probabilissime* et ex communi sententia, non tamen plane certo, si *in alia parte ex principalioribus,* ut in pectore, scapulis vel humeris; magis *dubitatur,* si *in parte minus principali,* ut in manu vel pede.

Practice quisquis alibi quam in capite baptizatus est denuo baptizandus est sùb conditione (4).

Ad 3^m *Quot partes* corporis tangi debeant, item *quantum aquae* requiratur, non facile definitur. Certo parva quantitas sufficere potest, *modo fluat per sufficientem corporis partem.* Ad hoc unam alteramve guttam per se sufficere valde dubium est. Si autem digitus bene madefactus super frontem trahatur, communiter quidem concedunt valere Baptismum; sed practice facile nihilominus ratio erit dubitandi. 63.

(1) Cfr. Ball.-Palm. n. 20, ed. 3^a n. 730; Noldin n. 34.

(2) Cfr. Lehmk. n. 62.

(3) Med. Past. pag. 103 et 112, ed. lat. 5^a pag. 108 et 116 sq.: « Constat velamentum (si totum atque integrum spectatur usque ad partum ex tribus membranis, quae clare inter se discerni, sed et separari possunt. Duae interiores membranae, amnion et chorion, eatenus partes corporis infantis dici possint, quatenus ex ipso ovo nascantur. Externa autem membrana... ex membrana pituitaria uteri proficiscitur, ideoque certe ad matrem pertinet, neque ulla ratione pars infantis haberi potest ».

(4) Cfr. n 84, II.

64. Valide *triplici modo* ablutio fieri potest: immersione, infusione, aspersione.

Verum ex praecepto ecclesiastico servanda est praxis recepta uniuscuiusque Ecclesiae (1), quae apud nos est *infusio,* eaque *trina* praescribitur pro Baptismo *solemni.* — Quod autem nonnullae protestantium sectae aspersione baptizare solent, hoc saepesaepius Baptismum dubium reddit.

ARTICULUS III.

DE FORMA.

65. **Forma** Baptismi est: *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* — *Non* est addendum: *amen;* cfr. Rit. Rom

Quinque ad valorem exprimenda (2) sunt in elocutione formae: 1° *baptizans: ego;* 2° *baptizandus: te;* 3° *actus baptizandi: baptizo;* 4° *unitas* divinae naturae: *in nomine;* 5° *trinitas* seu distinctio personarum: *Patris* etc. Hinc:

66. Ad 1^m^. Ego *essentiale* est *in lingua Neerlandica,* sicut et in pluribus linguis recentioribus, cum exigatur ad exprimendam primam, ut dicunt, personam; *non in lingua latina* aliisque, ob contrariam rationem.

Ad 2^m^. Te *essentiale* est, *ita tamen* ut etiam alio modo baptizandus exprimi possit, v. gr. proprio eius nomine.

Ad 3^m^. Baptizo *essentiale* est; et quamvis substitutio alterius verbi, quod notionem abluendi exprimit, valori per se non officiat, omnis tamen *substitutio facile dubium* excitare potest, idque maxime in lingua Neerlandica, aliisque in quibus verbum speciale habetur ad exprimendum ablutionem sacramentalem *(doopen)* (3).

---

(1) Rit. Rom.

(2) Ita practice tenendum in Ecclesia occidentali; quid vero ex comparatione cum forma graeca « *Baptizatur servus* etc. » sequatur, quaeres a Dogmaticis; cfr. Denz. n. 591.

(3) Quinimo pro aliis linguis suadent AA. ut ipsa vox « baptizo » retineatur, prout unaquaeque lingua fert, mutata. Cfr. Lehmk. n. 63, 3.

Ad 4m. I. In nomine *essentiale* est *saltem* in quantum ex- 67.
primit *unitatem*. Quare invalida foret 1) forma: « *in nominibus* »; 2) « *in Patre* etc. » omissis verbis: in nomine.

Dubitatur 1) si dicitur: « in nomine Patris per Filium in Spiritu Sancto » 2) Dubitat Gury (1) de forma: in nomine *Dei* Patris et *Dei* Filii et *Dei* Spiritus Sancti ». At merito dicit Lehmkul (2) per se sine causa dubitari (3). 3) Dubitatum quoque est de forma: « *in nomine* Patris, *in nomine* Filii, *in nomine* Spiritus Sancti »; vel in qua etiam verba: « Ego te baptizo » *ter* dicta erant. At utraque forma declarata est (per se) valida a S. C. Inq. 11 (4) Ian. 1882. Item (per se) valida declarata dicitur (5) forma: « in nomine Patris *et* in nomine Filii *et* in nomine Spiritus Sancti ».

II. Num « in nomine » significet: *invocato nomine*, an forte *auctoritate*, non omnino constat. Hinc 1) saltem dubia est forma: « *auctoritate* Patris etc. »; et ob eamdem rationem 2) dubitatur de forma: « *nomine* Patris etc. » omisso: *in;* quae tamen forma (per se) valida dicitur declarata (6), sicut et forma: « *cum* nomine Patris etc. » saepius declarata est valida (6).

Forma « in *nomen* » — seu « *op den naam* » — qua nonnulli protestantes apud nos utuntur, *valida* videtur, cum plane conveniat cum verbis in S. Scriptura traditis (7).

Ad 5m. *Essentiale* est ut *tres Personae distincte propriis no-* 68.
minibus exprimantur, iisque, ut de valore *certo* constet (8), *vulgaribus* seu quae adhiberi consueverunt, sc. in lingua latina: Pa-

---

(1) Cas. II, n. 191.

(2) N. 64, 8. c).

(3) Cfr. Elbel, Pars VIII, n. 114.

(4) Alii citant 13. — Bucceroni n. 416 hoc Responso solam posteriorem formam dicit validam declaratam.

(5) S. C. C. 4 Maii 1641, apud Bucc. l. c.; qui ex his duobus Respp. concludit, etiam illam aliam formam, quam mox supra priori loco retulimus, validam esse habendam.

(6) Vid. Nouv. Rev. Théol. anni 1888 pag. 111 sqq. et Thesaur. Resolut. S. C. C. tom. 83, pag. 136. Cfr. Lehmk. n. 64.

(7) Cfr. textus graecus Act. Ap. XIX, 5; Matth. XXVIII, 19; I Cor. I, 13. Consentiunt Lehmk. l. c. et Génicot n. 137, II, 4°.

(8) Cfr. S. Thom. 3, qu. 66, a. 5 ad 7.

tris et Filii et Spiritus Sancti. Quare invalidae formae: in nomine *SS. Trinitatis* », Dei unius et *trini* », « *Iesu Christi* ».

Dubiae vero: 1° in nomine *Genitoris* et *Geniti* et *Procedentis* » et similes; *magis* autem: « in nomine *Ingeniti* et *Unigeniti* etc, ». voces enim ingenitus et pater non sunt synonymae; *etiam magis,* imo invalidae prorsus videntur, si solum per proprietates appropriatas Personae exprimantur, ut: « *Omnipotentis* et *Sapientis* et *Boni* ». 2° Dubiae etiam sunt formae, in quibus coniunctio est omissa, praesertim autem si priori loco posita, posteriori vero loco omisa est; quia sc. tum Spiritus Sanctus videri potest appositum Filii; sc. si dicatur: « in nomine *Patris (et) Filii Spiritus Sancti* ». — Si vero coniunctio solum priori loco omittatur: « *Patris, Filii et Spiritus Sancti* », *forma certo valida* videtur, tum quia ipsa vox « filius » personam distinctam denotat, tum quia hic est usus loquendi satis consuetus in lingua sive latina sive neerlandica; praeterea saepius etiam *valida declarata est.*

69. Nota 1. Nonnullas formas diximus *per se* validas declaratas, quo significaremus secundum mentem SS. Congregationum supponi mutationes factas esse bona mente, non prava vel haeretica; id quod plus semel ab ipsis SS. CC. diserte dictum est. Cfr. n. 9, V.

2. *Ad licitum* quod attinet, patet quavis *mutatione* voluntaria facile hac in re, ubi de Sacramento tantopere necessario agitur, *graviter peccari* sive propter rei naturam, si vel minimi dubii ansa detur, sive propter legem Ecclesiae.

3. Utrumque, quod supra, de quavis *additione* pariter notatum sit.

Corollarium. — *De Baptismo dubio conditionate iterando.*

70. I. Baptismus ab haereticis collatus non quidem praesumitur invalidus, sed tamen pro suspecto habetur. Praescribitur sc. ut conversi « a quocumque loco vel a quacumque secta venerint... instituto in singulis casibus examine pro tempore et locorum ratione... si nihil sive pro validitate sive pro invaliditate detegatur,

aut adhuc probabile dubium de Baptismi validitate supersit, sub conditione secreto baptizentur (1) ».

II. Infantes in necessitate baptizatos a laico satis com- 71.
muniter hodie praesertim conveniunt ut plurimum sub conditione saltem esse baptizandos. Plerumque enim timendum est, ne ob animi perturbationem vel etiam baptizantis imperitiam aliquid necessarii Sacramento defuerit. — Excipiendae tamen sunt obstetrices catholicae, timoratae et bene instructae, quaeque semper deprehensae sunt rite baptizasse.

Nota. Quam maxime consulendum est, ut obstetrices, dum infantem baptizant, adhibeant si haberi possint unum vel alterum testem, qui èt attendant num omnia rite peragantur, èt si quid omittatur vel minus rite agatur, obstetricem moneant, èt postea de modo quo Baptismus administratus est attestari possint.

III. Infantes expositos communius quoque censent ge- 72.
neratim sub conditione esse baptizandos; idque etiamsi schedulam de Baptismo collato testantem appositam habeant, *nisi* certa habeatur notitia personae a qua schedula est exarata, aut aliunde indubitatum desumatur iudicium Baptismi rite collati (2). — Si tamen periculum non est in mora, prius inquirendi sunt parentes, qui de Baptismo pueri interrogentur (3).

Idem applicetur pueris derelictis a parentibus vagis, etiamsi iam duos vel etiam quinque aut plures annos nati sint, quoties non certis argumentis probetur eos esse rite baptizatos (4).

Examinet Sacerdos, quoties ei infans domi iam baptizatus 73.
offertur ut denuo baptizetur, 1° quis seu *qualis* persona baptizaverit et in quibus adiunctis; cfr. nn. pr. I et II; 2° quam formam pronuntiaverit; 3° qualem et quantum aquae, et in quam corporis partem fuderit; num aqua cutem tetigerit; 4° num simul abluerit et formam pronuntiaverit; 5° quam intentionem habuerit.

---

(1) S. Inq. 20 Nov. 1878, Cfr. Conc. Prov. Ultrai. Tit. IV, Cap. II.
(2) Hoc sensu respondit S. C. C. 15 Ian. 1724.
(3) Cfr. Conc. Prov. Ultrai, Tit. IV, Cap. II.
(4) Gousset n. 89.

CAPUT SECUNDUM.

DE MINISTRO BAPTISMI.

74. Licentia attenta I. Minister *ordinarius* qui *per se solus* ius proprium baptizandi habet, est Episcopus vel Parochus quoad incolas sui territorii; cfr. n. 19.

Nota 1°. Vagi eligere possunt Ecclesiam quam maluerint. — 2° Mulier quae extra domicilii locum peperit, illuc prolem deferendam curare *potest, si* non ultra 3 leucas distet; *debet* vero *si* aeque commode proprius parochus ac alienus adiri potest; *secus* proles baptizanda est a Parocho loci, ubi mulier peperit et decumbit.

75. II. Quilibet Sacerdos est Baptismi minister ordinarius hoc sensu, quod *semper* a proprio animarum pastore licentiam baptizandi, idque solemniter, accipere potest.

III. Diaconus Baptismi solemnis est minister *extraordinarius* hoc sensu quod in casu mediocris necessitatis ad hoc delegari a Sacerdote potest.

76. IV. In Baptismo necessitatis privato ex Rit. Rom. servandus est hic ordo; « Si adsit Sacerdos Diacono praeferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus laico, et vir feminae, nisi pudoris gratia deceat feminam potius quam virum baptizare infantem non omnino editum, vel nisi melius femina sciret formam et modum babtizandi ».

Nota 1. Ordo iste ita intelligitur ut 1° quilibet fidelis in unione cum Ecclesia existens praeferendus sit cuilibet haeretico, schismatico, excommunicato vitando etiam Sacerdoti; 2° ut femina extranea praeferatur patri infantis.

2. Inversio illius ordinis grave peccatum per se solum videtur, si non catholicus vel vitandus sine necessitate praeferatur catholico, vel non-sacerdos Sacerdoti in unione cum Ecclesia existenti (1).

(1) Cfr. Lehmk. n. 67; et hic n. 74 et 19.

CAPUT TERTIUM.

DE SUBIECTO BAPTISMI (1).

I. Obligatio procurandi infantibus Baptismum in casu extremae necessitatis cuilibet incumbit, qui succurrere possit (2); secus iis qui ex officio infantis curam habent, imprimis parentibus et Parocho. 77.

II. Ex hodierna Ecclesiae praxi universali, quae vim legis obtinuit, infantis recenter nati Baptismum ultra unum alterumve mensem sine gravi causa differre, grave peccatum censetur. Episcopus autem etiam magis hoc urgere potest.

Nota. Concilium Prov. Ultrajectense (3) a Parocho monendos dicit eos ad quos haec cura pertinet, ut recenter nati quamprimum fieri potest, ac numquam tardius tertia a nativitate die ad Ecclesiam deferantur baptizandi.

ARTICULUS I.

DE INFANTIBUS HAERETICORUM ET INFIDELIUM.

Duo attendenda sunt extra casum imminentis mortis periculi; 1° ut baptizati *catholice educari* et vivere possint; 2° ne *ius* parentum *infidelium* laedatur (4). — In parentes baptizatos sed acatholicos Ecclesia ius quidem habet, consequenter eorum filios baptizare potest; attamen invitis parentibus Ecclesia suo iure uti non solet, cum vix impedire possit haereticam educationem. 78.

(1) Cfr. n. 48 sqq.

(2) Cfr. n. 43 sq.

(3) Tit. IV, Cap. III.

(4) Non convenit inter Thomistas et Scotistas, num sive Ecclesiae sive Principi civili ius sit parentes infideles hac in re cogendi, vel eorum infantes ipsis invitis baptizandi. Affirmant Scotistae, ita ut, in rigore loquendo, Ecclesia saltem interveniente auctoritate civili infidelium infantes baptizare posset. Concedunt tamen in praxi, timore mali maioris seu communis, generatim non expedire, ut Ecclesia vel Princeps hoc suo iure utatur. Sententia contraria negans est usu Ecclesiae probata. Cfr. Lehmkul. n. 86.

Accedit difficultas ex legibus obstantibus. Quare practice haereticorum et infidelium infantes fere aequiparandi sunt.

79. Possunt tamen quandoque, vel etiam pro circumstantiis debent baptizari infantes sive infidelium sive haereticorum etiam invitis parentibus, sc.:

1° Si immineat mortis periculum (1). Quamquam etiamtum cavendum est, ne infidelium odium in Religionem concitetur.

2° Si infantes extra parentum curam positi sunt neque timendum est, ne ad illos sint reversuri, ita ut absit perversionis periculum. Ut si infans expositus in hospitali catholico vel apud catholicos exceptus est; vel si parentes ius paternum abdicantes infantem catholicis tradiderunt.

3° Si alteruter parentum, vel is qui parentum loco potestate paterna utitur, consentit tum in Baptismum tum in catholicam educationem extra domum parentum. Quodsi infans in domo paterna manere debebit, videndum num, et requirendum est, ut sit saltem probabilis spes catholicae educationis. Qua de re

80. *Consentientibus parentibus* infidelibus ex pluribus S. Inq. rescriptis *concludere* licet cum Génicot (2):

1° Regulariter non licet baptizare infantem oblatum a parentibus qui ambo sunt et permanere volunt infideles, si promittant se filium, cum adoleverit, facturos certiorem de suscepto Baptismo eique christianae Religionis exercitium permissuros (3) Attamen S. Inq. (4) approbavit baptizari infantes parentum, de quibus rationabiliter speretur fore ut postea ipsimet Baptismum petant.

---

(1) Huc spectant quaedam *Responsa S. Off.* 18 Iulii 1892; « 1. An possint baptizari filii infidelium in periculo, non vero in articulo mortis constituti? — 2. An iidem possint saltem baptizari quando non est spes eos denuo revisendi? — 3. Quid si valde prudenter dubitetur, quod ex infirmitate, qua actu afficiuntur, non vivant, sed moriantur ante aetatem discretionis? — 4. An baptizari possint filii infidelium in periculo vel articulo mortis constituti, de quibus dubitatur, an attigerint statum discretionis, et non adest opportunitas eos docendi in rebus fidei »? *Resp.* « Ad 1. 2. et 3. Affirmative; — ad 4. Conentur Missionarii eos instruere eo meliori modo, quo fieri possit; secus baptizentur sub conditione ».

(2) N. 147.

(3) S. Inq. 22 Iul. 1840; Coll. P. F. n. 580.

(4) 11 Dec. 1850; Coll. P. F. n. 585.

Imo (1) prudenti arbitrio et conscientiae Missionariorum remisit, ut (audito si fieri posset, Praefecto Apostolico) baptizent infantes sub potestate parentum infidelium remansuros, dummodo ne praevideatur ullum adesse grave perversionis periculum, et dummodo ne constet parentes ob superstitionem offerre filios baptizandos.

2° Regulariter licet baptizare infantem qui saltem matrem fidelem habet, quamvis pater sit iudaeus, infidelis, apostata: nam fere semper providentia matris (a fortiori, patris catholici) sufficit ut probabilis spes concipiatur de catholica infantis educatione. Ita S. Inq. (2) censuit baptizari posse infantem natum a patre apostata et ex matre christiana, quando haec, etiam invito patre, Baptismum illi petit. Dubium hoc Bened. XIV (3) dirimendum reliquit prudentiae Sacerdotum, qui rem sollicite in singulis casibus examinent.

Quid resolvendum casu quo pater acatholicus vult infantem 81.
post aliquod tempus baptizari a suae sectae ministro, mater vero catholica cupit ut infans antea catholice baptizetur?

Resp. Si infans mox esset deferendus ad haereticum, expectandum videtur, et postea potius infans sub conditione baptizandus quando dubitatur, num sit rite baptizatus (4). Si vero diu expectandum esset, statim infans baptizari posset. « Putant patrem postea esse admonendum de Baptismo iam collato; quodsi esset iusta causa id reticendi, posset permitti secundus Baptismus (5) ».

Non ipsa tamen mater, nisi in mortis periculo et deficiente tunc alio, deberet prolem suam baptizare, quod prohibetur iure ecclesiastico; sed potius alium catholicum sive virum sive mulierem rogare, ut baptizet infantem.

ARTICULUS II.

DE FOETU ABORTIVO.

Ex sententia hodie satis communi de animatione foetus statim 82.
a conceptione

(1) Anno 1867; Coll. P. F. n. 592.
(2) 17 Sept. 1671; Coll. P. F. n. 546.
(3) Const. « Inter omnigenas » 2 Febr. 1744.
(4) Cfr. n. 70.
(5) Lacroix n. 280.

Resolve: I. Omnis foetus editus non certo mortuus baptizandus est saltem sub conditione.

II. Absolute baptizandus est, si 1° iam habet formam humanam (1), et 2° certo vivit, et 3° immediate (non secundinis involutus), et 4° in capite ablui potest.

III. Conditionate vero, si una ex memoratis conditionibus deficit.

83. I. Foetus abortivus, si secundinis involutus edatur, et timeatur, ut ordinarie contingit, ne mors instet, vel si valde tenellus sit, prius in hoc statu sub conditione baptizetur (2); deinde caute aperiantur secundinae, et iterum sub conditione baptizetur.

II. Foetus incompleti valde parvi (3) baptizentur per immersionem in vase aqua tepida repleto (4).

III. Quandoque dubium est num id quod ex utero mulieris gravidae eiicitur, sit foetus an mola, quam vocant. Dubio manente Baptismus sub conditione conferatur. — Expedit ut et ipsae molae caute dissecentur, atque inspiciatur, num aliquis forte in iis lateat infantulus, quod aliquando contingere factis probatum esse dicunt. Quod idem dictum sit in omni casu, quo dubitatur num id, quod est eiectum, sit vel in eo latere possit foetus.

Nota. In hisce oportet ut praesertim matres instructae sint. Et quamvis videri possit imprimis Parochi esse attendere num omnes, ad quos spectat, harum rerum sufficientem notitiam habeant; tamen, ut observat Bouvier (5), nuper nuptis vix extra confessionale opportuna de hac materia monita dari possunt. Confessariorum itaque est ex nuptarum confessione hic et nunc ansam sumere prudenter inquirendi, num satis de hisce instructae videantur, et quas ignorantes repererint, prudenter, modeste ac discrete monendi, cavendo ne poenitentem offendant vel scandalizent.

---

(1) Ita communiter dicunt, ex Rit. Rom. Tit. II, Cap. 1, n. 19. At rectius solum requiritur ut habeat caput et pectus; cfr. n. 90, I.

(2) Sed cfr. n. 62, I cum nota.

(3) Usque ad sextam hebdomadam completam. Capellm. pag. 113; ed. lat. 5ª pag. 117.

(4) Nim: « Apprehende utriusque manus pollice et indice aliquam velamenti plicaturam atque ita (in vel sub aqua) disrumpe, ut materia ovi effluat, h. e. ut aqua baptismalis integram ovi materiam bene abluat. Id. ib. in nota. « At, addit Lehmk. n. 74, nota 2 in fine, ut *securius* agas, foetum *et* immerge in aquam *et* ex ea extrahe ». Sunt np. qui dubitent de valore Baptismi per immersionem nisi sequatur et emersio.

(5) Abrégé d'Embriol. 1 qu.

ARTICULUS III.

DE FOETU IN UTERO MATRIS ET DE SECTIONE CAESAREA.

I. «Nemo in utero matris *clausus* baptizari debet (1); *ita* 84.
nim. ut nullo modo aquâ tangi possit. Sed

II. «Si infans caput emiserit, et periculum mortis immineat, baptizetur in capite: nec postea, si vivus evaserit, erit iterum baptizandus (2). At si aliud membrum emiserit, quod vitalem indicet motum, in illo, si periculum impendeat, baptizetur» sub conditione (1).

III. Infans in utero saltem *valde probabiliter* baptizatur *valide, modo* caput immediate aquâ abluatur (3). Hunc autem in finem

Nota 1. Scindenda est secundina. Sed «praematura secundinae destructio, et quae inde sequitur liquoris effusio praematura, fieri non potest quin ipsi partui magnum impedimentum afferat, infanti periculum augeat, matrem in summum forte discrimen adducat (4)».

2. Praeterea «ante quintum praegnationis mensem completum rarissime certo scire possumus, utrum foetus vivat necne (4)».

3. Accedit quod ante dictum tempus fere dubium remanebit, num vere infantis pars et quaenam abluta sit Ex quibus

IV. Concludendum videtur pro praxi:

Ante quintum praegnationis mensem completum, cum èt gravia damna tam matri quam proli immineant, èt summum dubia sit spes fructus, 1° *de obligatione* sic baptizandi *vix quaestio* esse potest (5);

---

(1) Rit. Rom.

(2) Neque ergo in casu ulla conditio est apponenda.

(3) Etsi hoc satis certum videri possit, attamen servanda erit resolutio S. C. C. 12 Jul. 1794 (Coll. P. F. n. 647) ex qua etiam «foetus in utero supra «verticem baptizatus post ortum sub conditione baptizetur». Quod idem iterum mandavit 21 Jan. 1897.

(4) Capellmann pag. 104; ed. lat. 5ª pag. 109.

(5) Cfr. n. 44, 2.

2° *de licentia dubitandum* est, *nisi* «certo persuasum esset, èt foetum vivere, èt vitam ejusdem minui (1)».

6. *Post sextum mensem, si* partus iam imminet, facilius conferri Baptismus potest. Tunc ergo *facilius etiam licebit,* si nim. periculum est in mora.

Ut autem *certum iudicium* feratur, idque maxime *de obligatione,* considerandum est hinc num vel quanta spe exspectari possit partus foetûs *vivi,* inde vero quanta pericula corporalia ex Baptismo in utero conferendo immineant matri et proli. Haec autem discernere medicorum est.

Nota. «Huiusmodi Baptismus intra-uterinus, tum ob decentiam, tum ob periculum nocendi matri, regulariter a solo medico paragendus est (2)».

85. I. Sectio caesarea matris viventis aliave periculosa operatio, qua foetus ex utero extractus baptizari possit, *nisi* consideratis omnibus, ex parte sc. tum matris tum chirurgi, cum probabili saltem spe matrem salvandi fieri possit ne licita quidem est, quia moraliter foret directa innocentis occisio. Haec porro spes hodie propter chirurgicae artis progressus saepius quidem quam antea adest; sed

II. *Etsi licita,* obligatio tamen pro matre eam subeundi *practice* generatim negari potest; cum vix constare satis possit tum de necessitate extrema spirituali tum de certa spe fructus (3). Accedit quod posito etiam matrem in aliquo casu per se ad hanc operationem patiendam teneri, tamen si sit, ut plerumque est, in bona fide, et incisionem valde abhorreat, prudentia suadet, ut de stricta obligatione ne moneatur.

86. Defuncta matre gravida sectio fieri debet; quod et praescribit Rit. Rom. Qua de re annoto:

(1) Capellm. l. c.

(2) Génicot n. 143. Ad hoc, ut exposuit Archiep. Ultraj., saepe adhibetur «aqua cum hydrargyro bichlorato corrosivo (Gallice: chloride de mercure) permixta. Componitur fere haec aqua solutione unius partis huius chlorati hydrargyrici in mille partibus aquae; eaque solutione aquae potio venefica est. «Porro huiusmodi aquâ uti licere ubi verum adest morbi periculum» pro matre; secus «negative» respondit S. Off. 21 Aug. 1901; confirmavit responsum Leo XIII 23 Aug.

(3) Cfr. n. 44, 2.

I. Optandum certo est ut sectio fiat *quotiescumque* probabilis habetur suspicio defunctam concepisse (1); idque etiamsi notabile iam tempus a morte matris effluxerit (2). At

II. Stricta obligatio quando adsit, difficile valde est definire. Obligatio haec *supponit spem* extrahendi foetum *vivum*. Qua de re haec scribit rei peritus (3): « *Primis* quidem *mensibus* praegnationis *vix unquam* sperandum est fore ut ovulum... vivens extrahatur. *Completo* autem *quarto fere mense* sectionem caesaream *facerem, dummodo* ne graves habeantur rationes existimandi foetum iam ante matrem vel simul cum matre mortuum esse; *imprimis* sectionem caesaream *facerem, quandocumque* mulieres praegnantes subitanea vel *celerrima morte* praeripiuntur »,

I. Obligatio *faciendi* sectionem caesaream incumbit *chi-* 87.
rurgo; sed eo deficiente, generatim et per se cuicumque *personae peritae,* cui non desit animi robur.

Nota tamen legem civilem neerlandicam prohibere ne operatio haec fiat a rei medicae non perito, vel artis perito non adstante.

II. *Num etiam Sacerdos,* altero perito deficiente, hac obligatione teneatur, *controvertitur*. Nonnulli affirmant praesertim de Parocho, tum propter obligationem generalem charitatis, tum propter speciale Parochi munus (4). Alii de hac obligatione tacent (5), vel diserte eam negant (6), quia èt nimis dedecet Sacerdotem haec operatio, èt scandalum fidelibus praeberi potest; ita ut dubitandum potius sit, an praestet ut Sacerdos illam operationem non suscipiat. Adde, tum defectum plenae certitudinis tam brevi post creditam

---

(1) Cangiamila Lib. II, Cap. V narrat contigisse ut foetus circa 40^{m} a conceptione diem, imo et ante, *vivi* ex utero matris mortuae extracti sint.

(2) Facta namque probasse ferunt, quandoque per 24, imo per 48 horas et ultra foetum matri supervivere.

(3) Capellm. pag. 24; ed. lat. 5^{a} pag. 31.

(4) Cangiamila. Theol. Mechl. Debreyne. Vering. Verhoeven.

(5) Antiqui, S. Lig., Gury.

(6) Gousset. Bouvier in edit. 10^{a}. Marres. Génicot. Ballerini n. 41. Noldin. Capellmann. Quinimo S. Officium hac de re interrogatum 13 Dec 1899 respondit: « Detur Decretum S. Officii 15 Febr. 1780 ad Vicarium Apost. Su-tchuen ». Quo nim. decreto S. Sedes prohibet « ne Missionarii *in casibus particularibus* se ingerant in demandanda sectione, multoque minus in ea peragenda ». Responsum approbavit S. P. Leo XIII 15 Dec. 1899.

mortem, tum horrorem quem sectio corporis recens mortui creare nata est, plerumque minuere hinc certitudinem existentis obligationis de qua quaeritur, illinc vero spem successus. Negatur autem specialis Parochi obligatio, qui quidem vi muneris tenetur Sacramenta iam natis administrare, non vero addiscere vel exercere artem, qua nondum nati in lucem edantur.

Practice ergo nec Sacerdos qui hanc operationem faceret, nec qui ab ea abstineret, reprehendendus foret.

Nota. Quotiescumque matris sectio non fit, curandum ut infans in utero baptizetur.

88. *Notanda.* 1. Foetus non semper in utero, sed aliquando in ovario, tubis fallopianis vel alia ventris parte reperitur. Contingit etiam quandoque ut alius adhuc foetus ibi detegatur.

2. Saepius evenit, primis praesertim et ultimis a conceptione mensibus, ut mater in ipsa agonia foetum eiiciat, qui facile nisi ei cito subveniatur, suffocari possit.

3. Inutile est mortuae matris ori tubum immittere, similive modo patulam uteri tenere vaginam. At consulitur ut calor in utero fovendo conservetur, quoadusque sectio fiet.

4. Defectus motus sensibilis in foetu utero incluso non est certum mortis signum. Quare numquam propter hunc defectum sectio omitti debet.

89. Casus. Confessarius vocatur ad puellam, periculose decumbentem, quam ex confessione reperit esse ex criminè iam tertio vel quarto mense gravidam (1). Quid resolvendum ?

Resp. I. Puella certo gravi obligatione tenetur curare ut post ipsius mortem saluti prolis suae provideatur (2), neque ob damnum famae si evitari non possit, excusatur. Confessarius vero tenetur rigorosissimo sigillo sacramentali. Hinc

---

(1) Quod ad spem vitae foetûs vivente matre, scribit Capellm. pag. 111; ed. lat. 5ª pag. 115. « Quamdiu foetus in utero includitur, eum vivere probabile est, nisi certa mortis signa adsint. In primis mensibus graviditatis aliud mortui foetus signum non habemus praeter corruptam ac putridam profluviem. Haec.... certo probat foetum iam esse mortuum. Idem dicendum est de tempore praegnationis post quintum mensem. Hic tamen alia praeterea sunt signa mortis, quae solus medicus distinguere potest ».

(2) Cfr. dicta a n. 84 de Baptismo intra-uterino et de sectione caesarea.

II. *Per se* puella monenda et ab ea exigendum est, ut rem ante mortem personae prudenti — si fieri possit, alii quam matri vel sorori — manifestet; vèl ut scriptum ei tradat post suam mortem tantum legendum, quo statum suum declaret. « Si elle était trop faible pour écrire ce dòtail, elle pourrait faire écrire la lettre par son confesseur, la signer et la donner elle-même à la personne de confiance. Je ne verrais même pas grand inconvénient à ce que la lettre ne fût pas signée par la malade, pourvu que ce fût elle-même, qui la remit (1); adderem: et dummodo nequaquam timendum sit, ne puella scriptum confessarii non commitat alteri, sed forte post eius mortem scriptum servatum inveniatur, quo confessarius in violati sigilli sacramentalis suspicionem cadere posset.

III. Si tamen puella credatur versari in bona fide quod ad hanc obligationem, ut facile contingere potest, et timeatur ut monitioni sit obtemperatura, confessarius poterit eam suaviter adhortari, ut eodem modo rem alicui manifestet, non tamen ei declarare strictam suam obligationem; imo cavere debebit ne puella a sua bona fide excidat.

Scholion de Monstris.

I. Quidquid a muliere editur, modo *caput et pectus* habeat, 90.
quantumvis deformata, *certissime homo* est, « quum aliud quid sine ulla dubitatione esse nequeat. Nam generatio inter hominem et brutum certissime non invenitur (2) ». Consequenter prout certo vel dubie vivit, absolute vel conditionate baptizandus est. — Aliud est de foetibus acardiacis, quos vocant, qui *solum ex ventre et pedibus* constant. Talis foetus propriam vitam non habet, adeoque neque individuum seu homo est.

Si dubium videatur quid sit id quod mulier edidit, et periculum sit in mora, baptizetur sub conditione (3).

II. Monstrum quod *duo capita et duo pectora,* utraque satis distincta habet, duplex homo est; consequenter duplex Baptismus

(1) Bouvier op. cit. 10ª qu.
(2) Capellm. op. cit. pag. 108; cfr. ed. lat. 5ª pag. 112 sq.
(3) Cfr. n. 83, III.

conferendus est. Si tamen mors proxime instare videatur, poterit una actione in utriusque simul caput aqua infundi, et dici: ego vos baptizo etc.

Si dubitatur, eo quod capita et pectora non sunt satis distincta, vel quod aut solum caput aut solum pectus duplex est, pariter duplex Baptismus conferatur, unus absolute alter sub conditione (1).

ARTICULUS IV.

DE ADULTIS.

91. Adultus (2) in rebus fidei satis instructus, et nondum vel dubie baptizatus, *certo tenetur* Baptismum, quamprimum commode potest, suscipere. At, extra periculum mortis, quaenam dilatio grave peccatum censeri debeat, definiri nequit.

92. Moribundus qui voluntatem suam nunc manifestare nequit, dummodo sufficientis intentionis aliqua signa, etsi dubia, det vel dederit (3), saltem sub conditione baptizari potest. Sed

Quid, si quodvis huiusmodi indicium, omne positivum signum desit?

Resp. cum Génicot (4); Sententia antiquorum Theol. doctrinae et SS. Congregationum responsis conformior (5) est, non licere talibus Baptismum, etiam sub conditione conferre. Nihilominus, cum Lehmk. (6). censemus non esse reprehendendum qui talibus Baptismum conditionate conferret, fretus universali voluntate salvifica Dei, quae ad spem concipiendam de necessariis dispositionibus internis invitare videatur, dum ad moribundum ducat eum a quo externum ritum sacramentalem percipere valeat. Supponimus non esse periculum contemptus Religionis apud reliquos infideles; quod periculum Sacerdos prudens plerumque avertere poterit.

(1) Cfr. Rit. Rom.
(2) Adultus hic dicitur qui rationis usum adeptus est.
(3) Cfr. n. 50, 1°.
(4) N. 150.
(5) Cfr. Resp. S. Inq. 1850; Coll. P. F. n. 582; et similia ib. n. 585 ad 2.
(6) N. 78.

Filii infidelium et haereticorum Baptismi suscipiendi, si ipsi velint, ius habent invitis etiam parentibus, quia quoad hoc sunt sui iuris. Attamen ob perversionis periculum, quod hic non raro aeque fere timendum ac de infantibus dictum est, non sunt improbandi, qui huiusmodi pueros vel puellas, invitis parentibus, non statim ad Baptismum admittunt, sed exspectare iubent donec etiam civiliter sui iuris facti sint, vel sat longa probatione validum perseverantiae argumentum dederint (1). 93.

CAPUT QUARTUM.

DE CEREMONIIS BAPTISMI.

Praecepta sub gravi, extra urgentis necessitatis casum, observanda generatim sunt; 1° ut Baptismus conferatur in ecclesia in qua sit fons baptismalis; 2° ut administretur una cum ceremoniis in Rit. Rom. praescriptis. 94.

Ad 1^m. Excipiuntur seu domi baptizari possunt: 95.

1° « Regum aut magnorum principum filii, id ipsis ita deposcentibus, dummodo id fiat in eorum capellis seu oratoriis, et in aqua baptismali de more benedicta (2) ». Quinam « magnorum principum » nomine intelligi possint vel debeant, regionis consuetudini interpretandum relinquitur.

2° Infantes qui ad ecclesiam deferri non possunt sine parentum infamia, aliove gravi damno.

3° Ex communiori saltem sententia: solemniter baptizati in Ecclesia, si postea necesse sit iterare administrationem.

4° In locis missionum, ubi catholici procul ab ecclesiis vel oratoriis publicis incolunt, et infantes ad ea sine magnis periculis et incommodis deferri nequeunt, licet missionariis eos, servato ritu Ecclesiae consueto, domi baptizare (3). — « Quodsi ob aëris intemperiem, itineris difficultatem, parentum inopiam vel alias graves causas hoc fieri nequeat, [ut infantes ad ecclesiam propinquiorem

(1) Génicot n. 151.
(2) Rit. Rom.
(3) Génicot n. 154, 4°, citans S. C. R. 4. Febr. 1871; Coll. S. M. n. 1341.

vel stationem, in qua Sacrum fieri solet, adducantur] tunc missionarii prudentiae et conscientiae relinquimus, ut eos domi cum omnibus Ecclesiae ceremoniis baptizet (1)».

96. Ad 2m, I. Ceremoniae in Baptismo solemni sub gravi observandae censentur *praecipue*: usus aquae consecratae, unctiones et usus olei ac chrismatis praesenti anno consecratorum (2), insufflatio, salivae et salis impositio, professio fidei, trina ablutio, usus sacracrum vestium; praeterea *plures* minoris momenti ceremoniae si *simul* omittantur in gravem materiam coalescere possunt.

II. Interrogationes lingua latina faciendas esse S. R. C. constanter respondit. Verum S. P. Pius IX «indulsit ut *in Dioecesibus Ultraiectensis Provinciae* amodo cuilibet interrogationi et responsioni latina lingua prolatae illico nova interrogatio novaque responsio iteretur lingua vulgari seu patria (3).

III. Si propter imminentis mortis periculum infans vel adultus *domi a sacerdote* baptizatur, omittuntur ceremoniae Baptismum praecedentes; subsequentes saltem convenit ut peragantur in quantum circumstantiae permittunt, de praecepto autem nequaquam constat (4) — Idemque dicendum videtur, si ob aliam transeuntem causam Baptismus a Sacerdote domi confertur. Si vero ob perma-

---

(1) Conc. Baltim. II, 237; Coll. Lac. t. I, pag. 460. Apud eumd. ib.

(2) Quodsi S. Olea nova non habeantur, quid, extra periculum mortis faciendum sit, dissentiunt AA. Alii volunt ut èt unctiones èt ipse Baptismus, alii ut solae Unctiones, alii ut neutra differantur. Postremi nituntur Decreto S. R. C. 19 Sept. 1859 in Cadurcen. Sed hoc Decr. spectat ad solam benedictionem fontis; ast forte, quia par est ratio, sic extendi potest. Cfr. Decr. 31 Ian. 1896, quod item de sola fontis benedictione agit. Concludendum censeo saltem nihil obstare, quominus suae quisque Dioecesis consuetudinem sequatur — Praeterea hic *nota*. «Si aqua benedicta tam imminuta sit, ut minus sufficere videatur, alia non benedicta admisceri potest in minori tamen quantitate». Rit. Rom. Idemque dicit de S. Oleis si deficere videantur. Porro pluribus vicibus similem admixtionem fieri posse constat ex Resp. Pii VI ad Epcpos Gall. Qui et allegat resolutionem S. C. C. 23 Sept. 1682. Rev. Théol. 4e Série 1859, pag. 26.

(3) Supplementum ad Rit. Rom. pro usu Cleri Provinciae ecclesiasticae Ultraiectensis a S. Sede concessum. Ex Resp. S. Officii 23 Aug. 1886 (Noldin citat 1880), Coll. P. F. n. 640 ubique licet interrogationes in lingua vernacula repetere. Génicot n. 154, I.

(4) Cfr. Rit. Rom. Tit. II, C. II. n. 28.

nentem causam praevidetur fore ut infans numquam ad ecclesiam deferri possit, potius dicendum videtur omnes ceremonias praescriptas, quantum moraliter fieri potest, adhibendas esse (1).

IV. Ceremoniae omissae ex lege et regula generali supplendae sunt; « idemque ordo ac ritus servetur, qui in Baptismo parvulorum, si fuerit parvulus, seu Adultorum, si fuerit adultus, praescriptus est (2) ». Si tamen adultus *catholicus* post nativitatem valide baptizatus est, ceremoniae sumantur ex Baptismo Parvulorum (3).

Si adultus ex haeresi conversus *sub conditione* baptizandus est, Episcopus videtur ex gravi causa dispensare posse in ceremoniis supplendis; certo hoc potest propter rationabilem causam, si Baptismus *non* est conferendus.

V. Patrinus saltem unus vel una in *solemni* Baptismo sub gravi adhiberi debet — in *privato* de obligatione non constat.

Plures duobus ne admittantur sub gravi est prohibitum. *Si duo* adhibentur, sit *unus* patrinus *unaque* matrina; secus venialiter solum peccatur si ambo sint eiusdem sexus ac baptizandus; mortale autem videtur si sint diversi ab eo sexus, quia multiplicarentur cognationes contra mentem Conc. Trid. (4).

---

(1) Cfr. Génicot n. 155.
(2) Rit. Rom. Tit. II. Cap. 5, n. 1.
(3) R. S. C. 27 Aug. 1836. Gard. Edit. 3ª n. 4780.
(4) Cfr. S. Alph. n. 156.

TRACTATUS III.

DE CONFIRMATIONE

CAPUT PRIMUM.

NOTIO. MATERIA. FORMA (1).

97. **Confirmatio** est Sacramentum, quo per unctionem et manus impositionem confertur Spiritus Sanctus ad robur in fide. Est complementum Baptismi.

98. I. **Materia remota,** *sola certa,* est chrisma, i. e. oleum olivarum cum balsamo mixtum, ab Episcopo benedictum. — Balsamum non refert cuius sit regionis.

II. Dubitatur num balsamum requiratur ad valorem Sacramenti: communius affirmant; nonnulli tamen negant, vel negantem opinionem probabilem dicunt, ut S. Alphonsus n. 162, qui inde cum aliis concludit in articulo mortis, deficiente chrismate, adhiberi posse, conditione addita, solum oleum benedictum.

Satis certum autem est oportere, saltem *per se,* ut chrisma sit ab *Episcopo* benedictum. Solum dubitatur num Romanus Pontifex simplici Sacerdoti hanc benedictionem delegare valeat; sed practice haec potestas, hodie saltem, iam non delegatur.

Ceterum gravis praecepti necessitate requiritur, ut chrisma sit novum seu praesenti anno, a Coena Domini computando, consecratum; cfr. n. 96, I cum nota.

(1) Cfr. n. 1-11.

14109

Materia proxima est unctio in fronte in forma crucis manu 99.
Episcopi facta, idque immediate seu non mediante instrumento: unde unctio haec et ipsum Sacramentum est etiam atque dicitur impositio manus. Quae omnia de necessitate Sacramenti tum requiri tum sufficere communissime docent et satis certum videtur.

Forma in Ecclesia latina est: « Signo te signo crucis, et con- 100.
firmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Quae omnia, saltem probabiliter, quoad substantiam essentialia sunt. Quamquam theoretice sustineri potest opinio, sola essentialia esse verba: « confirmo te chrismate salutis », attentâ maxime forma Graecorum: « Signaculum doni Spiritus Sancti »; cfr. d'Annib. III, n. 280.

CAPUT ALTERUM.

MINISTER. SUBIECTUM. PATRINUS (1).

I. **Minister** ordinarius Confirmationis est Episcopus, qui 101.
vi Ordinis sui semper et quoslibet valide confirmat; licite vero solum vèl in Dioecesi sua, vèl de licentia Episcopi loci: utrumque tum quoad incolas tum quoad peregrinos et vagos.

II. Extraordinarius Minister est simplex Sacerdos a Romano Pontifice delegatus; qui valide et licite confirmat intra terminos acceptae delegationis. Num etiam Episcopus hanc facultatem delegare posset, nisi S. Sedes hoc sibi reservasset, dubitatur.

Obligationem ministri communiter sic intelligunt, ut per se Episcopus sub gravi teneatur octavo quoque vel decimo anno circumire saltem per loca praecipua. S. Alph. n. 175.

I. **Subiectum** quoad liceitatem in Ecclesia latina per se sunt 102.
ii tantum, qui rationis compotes naturam et effectus Confirmationis satis percipere valent. — In pluribus Dioecesibus usus invaluit ut non confirmentur pueri ante susceptam primam Communionem. Qui tamen usus « nec cum veteri constantique Ecclesiae instituto, nec cum fidelium utilitatibus » congruit; Leo XIII ad Episc. Mass. 22 Iuni 1897.

(1) Cfr. Tr. I. n. 12 sqq. et Cap. III et IV.

II. Negligens suscipere Confirmationem certe graviter peccare potest per accidens, praecipue ratione scandali vel contemptus; sed per se de gravi obligatione non constat; quam antiquiores communissime negabant, recentiorum vero nonnulli immerito deducunt sive ex Const. Bened. XIV *Etsi pastoralis*, qui agit de solis Italo-Graecis qui quandoque infantes a simplici Sacerdote, adeoque invalide, confirmandos curabant, sive ex Instr. S. C. P. F. 4 Maii 1774, quae neque lex est neque formam legis habet. Cfr. Génicot n. 164, Lehmkuhl n. 103.

103. **De patrino** praeceptum est 1° ut adhibeatur, 2° unus tantum, 3° eiusdem sexus ac confirmandus, 4° confirmatus, 5° diversus a patrino Baptismi, 6° per se ut unus unum tantum vel summum duos eodem tempore praesentet, nisi aliter necessitas suadeat, arbitrio Episcopi, vel habeatur Indultum Apostolicum. Praeterea 7° ex Instr. S. O. 30 Maii 1888 (1), item ex Instr. S. C. P. F. 4 Maii 1774 patrinus sit 14 annos natus.

Nota *ad* 1^m^ *et* 4^m^. Obligatio supponit commode haberi posse patrimum eumque confirmatum. « Verum quia contingere potest, ut in locis Missionum nullus adsit, qui antea confirmatus fuerit, permittitur in hoc casu, ut aliqui sine patrino confirmentur, qui postea patrini ceterorum esse poterunt ». Instr. cit. S. C. P. F.

Ad 2^m^ *et* 3^m^. Obligatio gravis videtur restringi posse ad hypothesim extensae, ultra Ecclesiae mentem, cognationis spiritualis (2).

Ad 4^m^. De hoc controvertitur annon ad ipsum *susceptionis* valorem requiratur.

Ad 5^m^. Hoc sub tevi solum requiri videtur.

---

(1) Vid. d'Annib. n. 286, nota 9.

(2) Cfr. id. n. 285, nota 4.

TRACTATUS IV.

DE SS. EUCHARISTIA

SS. Eucharistia in hoc praesertim ab aliis Sacramentis differt, quod eius confectio Sacramentum simul et Sacrificium est. Hinc de eadem sub duplici repectu dicemus: id autem in quantum ad rem moralem materia haec pertinet; plura Dogmaticis et Canonistis relicturi.

SECTIO I. DE SS. EUCHARISTIA PRAECIPUE UT SACRAMENTUM EST.

Eucharistia definiri potest: Sacramentum sub speciebus panis et vini consecratis veraciter significans et realiter continens Christum ut spiritualem animae refectionem (1). **104.**

CAPUT PRIMUM.

DE MATERIA ET FORMA.

Sicut in aliis Sacramentis ita et in hoc duplex est materia, remota et proxima, sed modo et ordine inverso. Sc. materia *remota*, et *ex qua*, est *panis* et *vinum*, et haec transeunt, i. e. convertuntur in Corpus et Sanguinem Christi; materia *proxima* sunt *species* panis et vini continentes Corpus et Sanguinem Christi, quae permanent (2). **105.**

(1) Sporer Tr. VIII, n. 93.

(2) Id. ib. n. 129. Ita etiam Busembaum. Plura de materia et forma huius Sacramenti propter specialem ipsius naturam speculantur et disputant Scholastici. Difficultates non minuit modus loquendi hodie communis; cfr. n. 4.

ARTICULUS I.

DE MATERIA PANIS (1).

106. **Materia** ad valorem necessaria et sufficiens est omnis et solus panis triticeus et usitatus; ideoque 1° ex farina triticea et aqua naturali compositus, 2° igne tostus, et 3° quoad substantiam incorruptus, ut supponitur:

107. I. Ad 1m. 1. Triticum 1° certo non sunt, consequenter non sufficiens materia ex iis conficitur: hordeum, avena, milium, panicum, maizium, oryza, et similia quae forte ad frumenti, non vero ad tritici genus pertinent.

2° Triticum satis certo ideoque sufficiens materia est *siligo* proprie dicta (2) seu triticum hibernum.

3° *Secale (rogge)* num triticum et sufficiens materia sit, dubitatur. Quod autem ex secali pluribus in regionibus conficitur panis usitatus, hoc non sufficit, *si* revera specie a tritico differat. Idem dic de *spelta* seu farre. Sed

Nota. Speltae, farris, secalis et siliginis vocibus — quod idem forte et de aliis vocibus dicendum — neque ab omnibus scriptoribus neque in omnibus regionibus eadem frumenti species intelligitur. Quare quod ad haec et similia non tam ad nomen quam ad qualitatem et peritorum iudicium est attendendum.

2. Certo non sufficit, si farina subacta est *lacte, butyro, melle, vino* etc.

3. Admixtio alterius materiae si facta est sive tritico sive aquae, satis *certo non obstat* valori *quamdiu* tritici et aquae quantitas cum notabili excessu praevalet; ex communi *obstat, quoties* aptae et ineptae materiae quantitas est aequalis; extra utramque hanc hypotesim *materia dubia* erit. — Quod pariter de vino dictum sit. — Haec de sola admixtae materiae *quantitate.* Nam attendendum forte aliquando est ad eiusdem qualitatem; num sc. vim habeat convertendi materiam cui admiscetur (3).

(1) Sporer n. 135 sqq.

(2) Plures hanc confundere videntur cum secali. Proprie est optima tritici species.

(3) Cfr. n. 58.

II. Ad 2^m. Non est valida materia massa farinae cruda, vel non cocta ad modum panis, sed elixa vel frixa ad modum placentae, libi, pultis etc.

III. Ad 3^m. Valida materia manet panis mucidus seu ad corruptionem solum vergens.

Ad licentiam plura praeterea *requiruntur*, eaque generatim sub gravi; imprimis 108.

I. Certa sit materia, seu panis certe talis qualem ad valorem requiri expositum est; ita ut materiâ quantumcumque dubiâ uti *semper* gravissimum peccatum habeatur (1).

II. Purus sit panis, i. e. non sit immixta materia alia, sive a tritico sive ab aqua diversa; cfr. tamen V.

III. Plane incorruptus, *nihil mucidus*. Rit. Rom. praescribit ut « *particulae consecrandae sint recentes* ». Per quantum autem tempus ab earum confectione tuto et licite hostiae adhiberi possint, hoc unâ regulâ determinari nequit; multum id dependet a circumstantiis, praecipue tempestatis et loci ubi custodiuntur.

IV. Figurâ rotunda sit (2); praeterea *integra, munda* et *maior* pro Sacerdote celebrante quam communicantibus dari solet. — In hisce autem, si ĕt causa adsit utendi hostia fracta, maculata vel minore, ĕt scandalum absit, non ita facile peccatum asserendum est. Id quod pro usu hostiae minoris, si maior desit, omnes admittunt. Quod ad alia, qui severius resolvunt (3), grave tamen peccatum solum putant, si fractura vel macula enormis est; praeterea excipiunt, si defectus deprehenditur post oblationem.

V. Azymus sit panis in Ecclesia *latina*, fermentatus in *graeca*. Est praeceptum *grave*, *ita* ut ex communi, contra paucos, ne necessitas quidem viatici moribundo praebendi excuset. — Sacerdos latinus *transiens* — non domicilium figens — per Graeciam, sicut et graecus transiens per terras Latinorum, *semper potest* servare ritum suae Ecclesiae, etiam celebrans in Ecclesia alterius ritus; at *non tenetur, nisi* ibi sit Ecclesia sui ritus; secus vero *potest* sequi ritum loci. Ita communiter.

---

(1) Cfr. n. 24 et 25 3°.
(2) In Ecclesia latina.
(3) Cfr. S. Alph. n. 204.

Quod ad communicantes nota 1°. Per se suae quisque Ecclesiae ritum pari modo servare debet. Sed

2° Decreto S. C. de P. F. (1). « Omnibus fidelibus cuiuscumque ritus... degentibus in locis in quibus non sit Ecclesia aut Sacerdos proprii ritus, facultas in posterum a S. Sede conceditur S. Communionem... quovis tempore, [etiam solius] devotionis gratia, iuxta ritum Ecclesiae existentis in praedictis locis, dummodo catholica sit, recipiendi ». Quam facultatem Leo XIII (2) extendit ad casum quo fideles « propter longinquitatem Ecclesiae suae, non eam possint nisi cum gravi incommodo adire; de quo Ordinarii esto iudicium.

ARTICULUS II.

DE MATERIA VINI (3).

109. Ad valorem necessaria et sufficiens materia est *solum* et *omne* vinum ex vite.

I. Solum *vinum*. Hinc non sufficit

1°: cicera, cerevisia et *omnis liquor ex aliis fructibus*, quam uvis expressus, etsi forte vinum dicatur;

2° *agresta* seu succus ex uvis immaturis expressus (4);

3° *lora*, i. e. liquor ex uvis iam antea expressis et affusâ aquâ denuo expressus, quia maior est pars aqua. Quodsi tamen modicum vel non ita multum aquae affusum esset, materia valida vel dubia foret (5).

(1) 18 Aug. 1893; (Acta S.S. tom. 27, pag. 442).

(2) Const. *Orientalium dignitas*, 30 Nov. 1894.

(3) Sporer n. 151 sqq.

(4) Ita Rubr. Miss. — « Hodie tamen saepe ex uvis non maturis conficitur vinum quod veri vini speciem habet, addito saccharo quod uvis deest. Sed quando quantitas sacchari sic addita superaret eam quae in musto reperiatur, materia esset saltem illicita ». Génicot n. 171, 2°.

(5) Cfr. n. 107, 3, et 108 I. « Hodie passim uvis semel expressis pluries infunditur solutio sacchari, et obtinetur quantitas vini quinquies amplior quam quae ex acinis semel expressis obtenta fuisset. Cfr. von Olfers [*Pastoralmedicin*] pag. 199. Quare multa vina, quae passim ut bona mensae apponuntur, saltem tamquam materia illicita, ab altari removenda sunt ». Génicot ib. 3°. Apposite hic notat Lehmkuhl n. 119, 7: « *de vino arte confecto.* Etsi chimice eaedem sint eleementa, materiam *certe dubiam* dixerim, quum non quid chimice, sed quid humana aestimatione vinum *de vite* sit, attendi debeat ».

4° *Acetum*, q. e. vinum corruptum.

5° *Ea generatim*, quae licet vinum secundum substantiam contineant, tamen iam non rationem et usum potûs sed cibi obtinent, ut sapa seu defrutum, ad tertiam vel dimidiam partem decoctum et condensatum. Idem dicendum *videri potest* de succu expresso ex uvis passis qui dictae sapae fere similis est. At « celebrare cum vino facto ex uvis passis seu exsiccatis *licere dummodo* liquor ex colore (odore) et gustu dignoscatur esse verum vinum », ter respondisse refertur S. Off. (1).

6° Uvae ipsae vinum (in fieri) continentes, quae verus sunt cibus.

II. Omne *vinum* vitis sufficit, sive album sive rubrum sive ex utroque mixtum — quamquam propter linteorum munditiam album adhiberi solet — sive generosum sive debile (2), cuiuscumque regionis vel geniminis.

Ad liceitatem 1° *ex natura rei* requiritur vinum *cer-* 110.
tum, fermentatione *perfectum* et *purum*. — Cfr. infra III.

I. Certum (3). Oriri praecipue potest *dubium* 1° ex admixtione alienae materiae, 2° ex corruptione saltem incepta, 3° ex congelatione.

Ad 1^m. Praeter dicta n. 107 et 109, 3°, notentur *duo decreta* S. Off.: 1^m 31 Iul. 1890 (4), quod permittit, ut ad vinum debile diutius conservandum eidem admisceatur spiritus vini (alcool) dummodo 1° spiritus extractus sit ex genimine vitis; et 2° quantitas alcoolica addita una cum ea, quam vinum, de quo agitur, naturaliter continet, non excedat proportionem duodecim pro centum; et 3° admixtio fiat, quando vinum est valde recens. — 2^m 5 Aug. 1896 (5), quo, si vinum sine periculo acescentiae ad exteras na-

(1) 22 Iul. 1706 (hoc resp. Aertnys n. 72, 1° refert ut datum pro « illis regionibus, in quibus magna est vini penuria »), 7 Maii 1879 (Collect. S. Sed. n. 318; Coll. P. F. n. 697 et 704) et 10 April. 1889 (Noldin, n. 59, 1, *b* in nota).

(2) Quamvis, ut ait Sporer, generoso vino uti convenientius sit, quia tamen, uti notat Noldin l. c., *e*, debile et acre facilius constat esse genuinum, meliori praeferendum est, nisi certo constet hoc esse vinum purum et impermixtum.

(3) Cfr. n. 108, I.

(4) Coll. P. F. n. 706 (30? Iul.).

(5) N. Rev. Th. Tom. 28, pag. 662.

tiones exportari nequeat, nisi octodecim alcoolicae vis gradibus polleat, pro hoc casu tali vino uti permittit; modo admixtio fiat, quando fermentatio tumultuosa defervescere incepit. Ad quod posterius Resp. remisit S. Off. in Resp. 22-24 Maii 1901.

Ad 2. « Graviter peccat » conficiens Sacramentum, « si vinum coeperit acescere vel corrumpi vel fuerit aliquantulum acre » (1). Quae ultima verba satis communiter ita restringunt, ut cum Sporer approbent iudicium Gobat: « Vinum aliquantulum acescens, *deficiente alio*, adhiberem sine scrupulo; at valde notabiliter acido non uterer »; nisi — adderent alii — in gravi necessitate et dummodo vinum certo permanserit (2). — Praeterea cum Bened. XIV (3)

Nota: « Ille Sacerdos culpâ immunis et vacuus declaratur, qui Sacrum facere debeat, nec tamen commutandi vini potestatem habeat, quod Regularibus contingit. Tunc enim, (nisi vinum corruptum penitus fuerit, sed acescere solum incoeperit) in Praesides omnis culpa confertur, aut in ministros qui vinum pro Missae sacrificio suppeditare tenebantur ».

Ad 3^{m} *Vinum congelatum* valide consecrari docet communis sententia, ex regula: id quod post Consecrationem continere potest Corpus vel Sanguinem Christi, etiam ante est materia ad consecrandum apta, per se loquendo, dummodo sc. demonstrari possit. Atqui — de antecedenti constat ex unanimi Theoll. sententia et ex ipsa Rubr. Miss. (4) — Ergo. Neque par est ratio de aqua Baptismi, quae debet esse liquida ratione ablutionis, sed sumptio vel potatio non est de necessitate Eucharistiae. — Multi tamen, praecipue inter antiquiores, negant (5). Et *consentiunt omnes* Consecrationem vini congelati esse *graviter illicitam*.

II. Perfectum et parum sit vinum. Etsi valida, *graviter illicita* tamen materia est: 1° *mustum* i. e. liquor ex uvis maturis recens expressus; quia est valde impurum et faecibus permixtum. *Si* tamen vetus vinum desit, *et* necessitas urgeat, licite consecra-

(1) Rubr. Miss. Tit. IV, n. 2.

(2) Cfr. S. Lig. n. 207. Monet hic Génicot n. 171, 5° in nota: « Cavendum ne putetur acescere vinum quod iterata fermentatione laboret. Neque ullus scrupulus habendus, eo quod vinum sit turbidum: quod facilius in naturali quam in artefacto contingit. Cfr. von Olfers, op. cit. pag. 200.

(3) Instit. 77, n. 2.

(4) De def. tit. X, n. 11.

(5) Inter recentiores Noldin n. 59, 2, *d*.

tur; ex cap. *Cum omne* de Consecr. dist. 2, ubi « si necesse sit, botrus in calice comprimatur (1) ». 2° Vinum aromatibus *modice* commixtum (2).

III. 2° *Ex praecepto* gravi Ecclesiae (cfr. supra 1°) vino consecrando miscenda est aqua *naturalis, modica* et per modum Sacrae Ceremoniae sc. *ad Altare et in calice.* Si omissa fuerit mixtio, et advertatur *ante Consecrationem,* statim facienda est; si vero Consecratio iam facta sit, omittenda est (3).

ARTICULUS III.

CONDITIONES MATERIAE CONSECRANDAE.

Conditiones, ut valide consecretur, duae requiruntur: 1ª ut materia sit certa et determinata ex intentione consecrantis; 2ª ut eidem consecranti sit *moraliter et sensibiliter* praesens. **111.**

Ad 1ᵐ. Ex dictis n. 12 et 14 resolve 1° Si Sacerdos habet coram se undecim hostias, et *intendit* consecrare decem *tantum,* non determinans quasnam decem, nullae consecrantur. Contra, si *putans* esse decem, quae undecim sunt, consecrare intendit materiam omnem, quae ei praesens est, omnes erunt consecratae. Quamobrem Sacerdos semper debet intentionem habere consecrandi omnes hostias, quas coram se habet (4).

2° Similiter cum Sacerdos inscius duas consecrat hostias simul iunctas, *putans* se unam tantum consecrare, si quidem eam intentionem habeat, quam habere debet, consecrandi quidquid habet in manibus, ambas consecrat (5). — Si *ante* Consecrationem *post* oblationem factam hoc advertat, alterutram seponat et post Missam ipse vel alius sumat tamquam panem benedictum.

3° Non consecrantur hostiae inscio omnino Sacerdote super altare positae, seiunctae a cumulo consecrando. Contra si in altari

(1) Non tamen reprobat Sporer consuetudinem, ubi existit, primitias uvarum in calice exprimendi pro Sacrificio, et similes.

(2) Cfr. n. 107, 3; et 108, II.

(3) Miss. de def. Tit. IV, n. 7.

(4) Ib. Tit. VII, n. 1.

(5) Ib. n. 2.

positas esse noverit, easque consecrare intenderit, etiamsi earum tempore Consecrationis vel etiam oblationis minime recordetur, eas valide consecrat, saltem *per se;* cfr. n. sq.

4° Non censentur consecratae guttulae vini calici *exterius* adhaerentes, quia intentio Sacerdotis praesumi nequit eas comprehendere. Quod ad guttulas *interius* adhaerentes sed separatas a vino in fundo congregato, fere dubitant vel negant AA., quamquam non ita communiter, ut mox dicetur; sc.

112. Quaeritur num *censenda* sit consecrata pyxis ex oblivione extra corporale (1) relicta?

Resp. 1. Communiter negant, saltem ut probabilius (2). Alli per se affirmandum dicunt.

2. Ab intentione Sacerdotis res tota essentialiter pendet. Quare

1° Nihil dubitandum est, si tempore ipsius consecrationis Sacerdos actualem et *absolutam* intentionem habuit eam consecrandi.

2° Si vèl actu habuit, vèl saltem antea sufficientem (3) et virtualiter perseverantem intentionem elicuit, neque dubitandum est per se, *nisi* sc. haec intentio ante vel post retractata fuerit. Hoc autem efficaciter non fit nisi per aliam intentionem aeque positivam (4) et *praevalentem*. Et hinc

3° In omni casu particulari caput est, ut inquiratur num intentio quam celebrans habuit, sufficere seu casum, ut contingit, complecti videatur. Quod praesumendum quidem videtur si casus contigit iis cum circumstantiis, ut Sacerdos intentionem actualem si minus habuerit, saltem habere potuerit. Conferatur v. gr. hypothesis de pyxide in extremo cornu Epistolae relicta (5), et ad quam Sacerdos intra Missam iam non advertit, cum hac altera hypothesi de pyxide corporali ita proxima ut Sacerdos eam supra illud positam existimet.

---

(1) « Vel in vase non sacro, ligneo, stanneo etc. » addit Sporer.

(2) Ita Sporer; item S. Lig.

(3) Lehmkul de sufficientia intentionis dubitandum putat, si non *intra* Missam elicita est n. 125, 3).

(4) Interpretativa enim, sicut nihil est, ita et nihil efficit.

(5) Sporer de sola huiusmodi hypothesi loqui videri potest.

4° Quodsi secundum dicta praesumptio stat pro consecratione re vera facta, dein inquiratur num forte in Sacerdote praesumenda sit intentio positiva et praevalens qua illa intentio fuit retractata. Et hic tandem vertitur cardo controversiae, uti patet ex ratiocinio Sporer aliorumque, sc: « regulariter omnis boni Sacerdotis intentio est, et debet esse, et semper supponitur fuisse solum consecrare quidquid est a se consecrabile licite sine peccato; nemo enim praesertim in tam sancto ministerio praesumitur velle agere illicite seu peccare: atqui.... ergo ». Haec Sporer. — Sed pace ipsius aliorumque animadverterim: a) eiusmodi ratiocinium summum probat praesumptionem intentionis *interpretativae* quae nihil efficit, non vero positivae, minus etiam praevalentis; b) Sacerdos qui absolute intendit consecrare, neque « praesumitur velle peccare », neque peccat. Solum peccaret qui positive, *sciens volens*, casum illicitae consecrationis sua intentione comprehenderet. c) Auctores illi parum sibi constant. Consecratam enim sine dubio iudicant pyxidem quae ex oblivione tempore consecrationis tecta seu clausa remanserit. An forte praesumunt Sacerdotes communiter non curare peccata venialia (1) « in tam sancto ministerio »? d) Dubitari imo potest num expediat elicere intentionem numquam consecrandi nisi quod licite (obiective) consecrari potest. Haec enim ipsa multiplicandi dubia aliave incommoda facile causa fieri posset; v. gr. dubia: num omnes omnino casus etiam leviter vel levissime illicitae consecrationis excluserit; num hucusque intentio illa restringens perseveraverit. Et quid si de ipsa obiectiva illiceitate, huiusque gravitate dubitatur? Nonne timendum ne error tunc tandem detegatur, quando pyxis iam distributa est?

In praxi vel generatim propter auctoritatem AA., vel saltem si ipse Sacerdos, attentis supradictis, prudenter sibi dubitandum putet, aut pyxis in alia Missa denuo sub conditione consecretur, aut particulae, si paucae sint, sumantur post utramque communionem.

II. Quid agendum, si hostiae non consecratae commisceantur cum consecratis, ita ut discerni nequeant?

---

(1) Minus etiam sibi constant qui in casu proposito peccatum obiective grave vident.

Resp. Vel totus cumulus ad altare deferendus, et iterum consecrandus est cum intentione limitata consecrandi nondum consecratas, vel facilius — tutius, dicunt alii — totus cumulus consecretur sub conditione. Practice eligatur posterior intentio, quia non desunt qui dubitent num sufficiat illa altera.

113. Ad 2m conditionem validae consecrationis: materia sit *moraliter et sensibiliter* (1) praesens consecranti, seu ita ei vicina eoque modo praesens, ut prudenti hominum iudicio per pronomina *hoc* et *hic* satis demonstrari *possit*, et non potius dicendum sit, *illud* vel *ille*. — Cfr. n. 111.

Non requiritur itaque ad validam consecrationem, ut materia consecranda a consecrante *actu* videatur, manu tangatur, aliove sensu percipiatur, aut verborum consecrationis sono eo usque pertingente feriatur. *Nec probatur praxis* eorum, qui ridicule os proxime admovent, ut anhelando halitum in panem vel calicem inspirent etc.

Sed praesentia iam vera non est, si materia est a Sacerdote vel 1° per rem interpositam *moraliter* separata, vel 2° *nimis* distans.

114. Ad 1m. **Regula** sit haec: si corpus interponatur per modum ordinarii continentis vel tegentis, valet consecratio; secus, si corpus interponatur per modum dividentis vel separantis.

Resolves: 1° *Valide* consecratur, intentione supposita, vinum in calice non detecto, particulae in pyxide clausa, vel in tabernaculo *aperto* posita. Idem resolvendum videtur de hostia quae conscio Sacerdote latet immediate sub corporali. Sed

2° *Valde dubitandum* saltem et *rectius negandum* videtur de hostia latente sub mappis altaris, in missali, sub cussino; de pyxide in tabernaculo *clauso* posita. — *Negandum omnino* si materia consecranda sit post parietem, altare, vel tergum Sacerdotis. — Quodsi tamen materia a tergo manu teneatur, vel designetur, aut facie versa aspiciatur, non videtur irrita consecratio.

---

(1) Hoc de modo praesentiae. Oportere ut *tempore* sit physice praesens, iam dictum est.

II. Ad 2. Invalide sine dubio consecratur materia *valde distans*, v. gr. per centum passus vel ultra, *etiamsi* tam procul videri possit.

Quanta autem propinquitas requiratur, dubium est, et ex morali prudentum iudicio pendet. Si minus certo invalida, saltem valde dubia videtur consecratio, quando materia distat per triginta passus.

Ad licitam consecrationem I. sub gravi requiritur, ut ma- 115.
teria consecranda, eaque omnis, si non in manibus consecrantis, ut est hostia maior Sacrificii, sit saltem 1° *in altari consecrato* — vel si altare solum lapidem consecratum habet, in ipso hoc *lapide consecrato* — 2° *super corporale.*

II. Sub veniali(1) praeceptum est, ut ciborium consecrandum tempore oblationis et consecrationis aperiatur.

III. Praescribitur, ut hostiae pro communicantibus consecrandae adsint saltem ad Offertorium. Attamen sat facile licere putant AA. consecrare allatas post Offertorium, dummodo ante Praefationem vel certe ante Canonem inceptum; oblatione tum mente suppleta. Coepto iam Canone praeceptum hoc grave putare videntur AA.; cum tunc non sine causa absolute gravi permittant. Sufficientem tamen causam habent, si secus multi diu expectare deberent. Si autem de uno alterove solum agitur, suadent ut potius particula ex Hostia Sacerdotis detrahatur.

Nota. Hostias pro communicantibus consecratas peracta Consecratione statim auferre, non videtur licere nisi urgeat aliqua necessitas: videtur nim. *venialis* indecentia et deordinatio, si super illas particulas non fiant ceremoniae praescriptae in Missali (2). quia sc. cum Hostia maiore sunt una victima et per modum unius offeruntur.

De quantitate. *Valide* consecrari potest materia in quavis 116.
quantitate, modica vel magna, modo sensibus percipi possit. *Licite* non consecratur nisi in quantitate conveniente fini, usui et reverentiae tanti Sacramenti.

ARTICULUS IV.

DE FORMA.

Forma sunt verba: *Hoc est* (enim) *Corpus meum.* — *Hic* 117.
est (enim) *calix Sanguinis mei....* in remissionem peccatorum.

(1) Sporer hoc grave reputat; est, saltem hodie, contra communem.

(2) Ita Sporer cum de Lugo et aliis.

I. Proferenda sunt haec verba 1° *non mere recitative* seu historice, i. e. tanquam ab ipso Christo prolata; sed 2° *significative* seu animo asserendi hoc esse Corpus Christi etc.; ideoque 3° *practice,* i. e. intentione conficiendi Corpus et Sanguinem Christi.

Non est tamen scrupulus vel difficultas facienda, nam sensus isti omnes sufficientissime comprehenduntur sola intentione faciendi quod Christus fecit seu quod facit Ecclesia. Multum imo improbandi sunt qui consecraturi ad formandam intentionem longâ, scrupolosa, taediosa et ridicula morositate hostiae consecrandae incubant velut gallina pullis excludendis, ait Sporer (1) — Porro

II. Verba illa essentialia sunt *saltem* sed etiam *probabilissime solum,* in quantum significant 1° *rei praesentis* 2° *transsubstantiationem* 3° *in instanti.*

118. Resolves I. *Invalida* est consecratio, si dicatur: *hic* (adverbialiter) est Corpus meum etc. — secus si per errorem grammaticalem ita dicatur; — *hoc Corpus* (subiectum phrasis) est meum — secus si per transpositionem.

II. Item *nulla videtur,* saltem valde dubia esset consecratio, si diceretur: *illud* est Corpus, vel *ille* calix.

III. *Dubiae* vel, rectius forte, ambiguae (2) sunt formae; *istud* est, *iste* est etc.; haec est *caro* mea.

IV. *Validae* sunt formae: *haec res, haec substantia, hoc corpus* (generice sumptum) est Corpus meum. Sed *graviter illicitae* generatim censentur tales substitutiones; idemque est de mutationibus et additionibus, quae sensum a Christo intentum non corrumpunt. Sed

V. Omissio vocis *enim* ex communiori opinione est *venialis* tantum.

119. I. *Verba* formam *praecedentia: qui pridie* etc. *simili modo* etc. *accipite* etc. ex communi et certa sententia *non sunt de valore* (3).

---

(1) Cfr. n. 12, 19 et 29, Nota 2°.

(2) *Istud* sc. pro *hoc* apud latinos etiam scriptores; tum idem tum *caro* pro *corpus* in ipsa S. Scriptura interdum occurrit.

(3) Est contra nonnullos Scotistas affirmantes quia nisi Minister illa verba praemittat, non poterit constare num in propria an in Christi persona loquatur. Hi quidem sequi sibi videntur Scotum in 4, Dist. 8, qu. 2, sed immerito. Nam Scotus ibi non assertive sed arguitive loquitur.

II. *Verba* formam *subsequentia; novi et aeterni... in remissionem peccatorum* neque esse de valore, est sententia quam Sporer communissimam dicit et certam habet, alii autem communiorem solum et probabiliorem. Causa dubitandi imprimis est auctoritas S. Thomae, qui ea verba dicit esse « de substantia formae (1) » ; quamquam quo sensu hoc dicat, non conveniunt interpretes. Sunt qui difficultatem etiam faciant propter Rubricam dicentem: « Si obierit Sacerdos semiprolata forma Sanguinis, tunc alter prosequatur Missam, et super eundem calicem repetat integram formam » (2). Sed Rubrica non dicit quae sit semi-forma.

Pro praxi concludendum censeo: 1° si verba illa omissa sint vel notabilis error in iis contigerit, suppleantur, repetantur vel integra forma repetatur sub conditione, pro variis circumstantiis; 2° si non ita notabilis omissio vel error contigerit, licet sed non oportet repetere.

CAPUT SECUNDUM.

DE MINISTRO SS. EUCHARISTIAE.

ARTICULUS I.

DE POTESTATE MINISTRANDI.

I. Minister consecrationis seu conficiendae Eucharistiae 120.
est Sacerdos *solus et omnis*, etiam haereticus, excommunicatus, peccator etc., si de valida confectione tantum quaeritur; si etiam de licita, plura hic applicanda sunt ex iis quae Cap. sq. dicentur de subiecto, plura alia traduntur in Tr. de Censuris et in Cursu Iuris Canonici.

II. Minister dispensationis seu distribuendae Eucharistiae *per se* duplici gaudere debet potestate: ordinis et iurisdictionis.

---

(1) In 4, D. 8, qu. 2, art. 2.
(2) De def. X, n. 3.

121. Potestate ordinis Minister *ordinarius* est solus *Sacerdos*, *extraordinarius* est *Diaconus*, ut de Ministro Baptismi n. 75 dictum est.

1. Nemini tamen, ne Sacerdoti quidem extra Missam, licet sibi ipsi S. Communionem ministrare. Probabiliter autem hoc licet tum Sacerdoti tum diacono, etiam ex sola devotione, quando non adest qui ministret, cum hoc neque irreverentiam sapiat, neque ullibi sit vetitum (1).

2. In extrema necessitate, si desit et Sacerdos et Diaconus, potest etiam Subdiaconus vel Minoribus initiatus, quin immo his deficientibus et secluso scandalo, etiam laicus et aliis et sibi ipsi Viaticum dare, ut habet communis et tuta sententia, ait Sporer. Contradicunt tamen plures.

122. Iurisdictio praeterea requiritur ordinaria vel delegata seu licentia saltem praesumpta, ut n. 19 dictum est. — Iurisdictionem ordinariam habent Pastores animarum in sibi commissos; delegatam *per privilegium* habent Regulares.

1. Consuetudo iam habet, ut in aliena Ecclesia cum licentia celebrandi concessa censeatur et licentia distribuendi S. Communionem, nisi excipienda sit Communio paschalis.

2. Regulares *in suis Ecclesiis* S. Eucharistiam ministrare possunt *excepto die Paschatis*. — *Duplex controversia* de huius restrictionis sensu viguit: *prior de tempore*, utrum *sola Dominica* Paschatis an tota quindena Paschalis excepta sit; *posterior de obiecto* utrum prohibitio respiciat Communionem solum ex praecepto an *etiam ex mera devotione* suscipiendam. Hodie e repetitis S. C. C. decisionibus constat, prohibitione illa comprehendi quidem *solam Dominicam* Paschatis, sed *Communionem quamlibet*, etiam merae devotionis causa (2).

Nota 1. Excipiuntur ab hac prohibitione a) vagi et peregrini, secundum probabilem multorum sententiam (3); b) ii omnes qui privilegium exemptionis participant, sc. novitii et familiares stricte dicti, quibus probabiliter accensendi sunt alumni convictores.

---

(1) S. Lig. n. 238.

(2) Génicot n. 182, VI. Ad utrumque aliter sensit Sporer.

(3) Cfr. n. 158, 4 et S. Lig. n. 240.

2. Quod ad eos qui induci non possunt ut communicent in sua Parochia subinde consensus Parochi vel Ordinarii praesumi potest (1).

ARTICULUS II.

DE SERVANDIS IN SS. EUCHARISTIAE DISTRIBUTIONE.

Tria attendenda sunt: *tempus, locus* et *ritus* seu modus ministrandi.

De tempore. Viaticum semper administrari potest. **123.**

Communio ordinaria distribui nequit a finita Missa in Coena Domini et SS. reposito usque ad finitam Missam — vel saltem usque ad cantatum *Gloria,* ubi haec viget consuetudo (2) — in Sabbato Sancto. Neque, ob receptam consuetudinem, *noctu,* nisi habeatur indultum S. Sedis vel aliqua adsit necessitas; neque tempore *vespertino* sine rationabili causa. — Iure scripto solum « noctu *deferri* non debet, nisi necessitas urgeat (3) »; quod patet intelligendum esse de delatione per vias publicas. Quare sat facile in communitatibus, quibus SS. Eucharistia asservatur, paulo post mediam noctem S. Communio dari potest infirmo qui diu ieiunus manere commode non posset.

Nota Decretum 1 Aug. 1907, probante et mandante Pio X a S. Off. editum, quo S. P. « benigne indulgere dignatus est, ut in omnibus et singulis sacrarum virginum monasteriis clausurae legi subiectis aliisque religiosis institutis, piis domibus et clericorum seminariis, publicum aut privatum Oratorium habentibus cum facultate sacras Species habitualiter ibidem asservandi, sacra nocte Nativitatis D. N. I. C. tres rituales Missae vel etiam, pro rerum opportunitate, una tantum, servatis servandis, posthac in perpetuum quotannis celebrari Sanctaque Communio omnibus pie petentibus ministrari queat. Devotam vero huius vel harum Missarum auditionem omnibus adstantibus ad praecepti satisfactionem valere eadem Sanctitas sua expresse declarari mandavit ».

Hoc decreto evulgato quae sequuntur dubia fuerunt proposita: I. « An indultum importet facultatem tres Missas vel unam tantum

(1) Cfr. n. 158, 5, nota.
(2) S. R. C. 13 Ian. 1882.
(3) Rit. Rom. Tit. IV, Cap. 4, n. 10.

pro rerum opportunitate celebrandi *etiam apertis oratoriorum januis?*

II. An indultum *Oratoriis* concessum extendi possit ad *Ecclesias* Religiosorum, quae publico fidelis populi usui inserviunt?» SS. D. N. Pius Papa X.... 26 Nov. 1908 respondit: Ad I. «Negative». Ad II. «Negative, salvo tamen Religiosorum privilegio (1) in media nocte Missam celebrandi» (2).

124. **Locus** SS. Eucharistiam ministrandi est *Ecclesia,* tum Oratorium publicum vel semipublicum. *In domo privata* per se solis *infirmis* S. Communio dari potest. «Ut in indultis Oratorii privati intelligatur inclusa facultas sacram Communionem distribuendi iis omnibus Christifidelibus qui sacrificio Missae adsistunt; salvis iuribus parochialibus»; statuit ac declaravit Pius X 8 Maii 1907 per S. R. C. — Ob ultima verba exclusa manent Communio paschalis, Viaticum (stricte sumptum) et distributio in die Paschatis.

125. **De ritu** ministrandi I. *Graviter* peccaret qui extra necessitatis casum, SS. Eucharistiam ministraret *nulla veste sacra; leviter* qui sola stola vel solo superpelliceo indutus vel qui sine lumine, aut omissis precibus antecedentibus vel subsequentibus. *O sacrum* cum versu *Panem de coelo* dici *potest, oratio* vero *debet.*

II. *Aliis digitis,* si pollice et indice Sacerdos ob quodlibet impedimentum nequeat, licere *ob iustam causam* S. Communionem distribuere, probabiliter docetur (3), contra multos qui gravem causam requirunt.

III. Si quando infirmus ob oris siccitatem S. Hostiam deglutire non potest, licet ei *simul dare haustum* aquae vel vini, vel etiam S. Hostiam cum vino vel aqua *cochleari* — quantum fieri potest, argenteo — impositam. Quoad a fortiori licebit, si forte secus periculum contagionis timeatur.

IV. *Non licet* ulli tradere «*plures* Eucharistiae formas seu particulas, neque *grandiores* sed consuetas (4)». Quod prohibitum est quatenus fieret ad fovendam falsam devotionem (5).

(1) Intelligi videtur privilegium Decreto 1 Aug. 1907 concessum.

(2) *Acta Apost. Sedis*, 15 Jan. 1909, pag. 146.

(3) La Croix Lib. VI, p. I, n. 480, cum multis aliis; Ball-Palm. n. 104 ed. 3ª n. 896; Génicot n. 187.

(4) Decr. Innoc. XI, 12 Feb. 1679.

(5) Bened. XIV. de Sacr. Miss. Lib. III, Cap. XX, n. 1.

V. *Quod ad lotiones* praescriptas (1) pro casu quo S. Hostia vel Sanguis dicidit, haec Rubrica, si agitur de S. Hostia, non obligat sub gravi, nisi forte cecidit in locum qui alias pedibus calcatur. Quare si S. Hostia cecidit in barbam viri, in sinum mulieris etc., paucis quoties ablutio magnam admirationem excitaret, potius omittitur. Mulier in dicto casu in Sacristiam ducatur, ut ipsa S. Hostiam quaerat atque Sacerdoti porrigat — vel suis ipsa manibus sibi in os iniiciat (2) — atque manus suas ipsa lavet ibidem (3).

VI. *De modo* deferendi S. Eucharistiam ad privatas aegrotantium domos, qui modus in Rit. Rom. Tit. IV, Cap. 4, n. 6-10 describitur et praescribitur, notetur:

1° pro Neerlandia ex Supplemento cit. praecipue n^us^ 22 *de permissa delatione privata*, absque comitatu; et n^us^ 23 *de facultate Ordinariiis concessa* indulgendi, ubi opus est usum pileoli, tamen extra civitatem vel oppidum.

2° S. Eucharistiam *publice* deferre per plateas ex consuetudine pertinere ad iura *Parochorum*, ita ut hoc nemini absque eorum consensu liceat.

3° *Viatici* administrationem esse *Regularibus* speciatim *prohibitam;* num vero *generatim* S. Communionem ad infirmum deferre, etiamsi hoc ex consuetudine *occulte* fieri possit, *controvertitur;* Sporer multique alii negant. Consulantur et serventur Statuta et consuetudines cuiusque Dioecesis.

CAPUT TERTIUM.

DE SUBIECTO SS. EUCHARISTIAE.

ARTICULUS I.

QUIBUSNAM PERMITTATUR.

Regulae, quae generatim valent, sunt: 126.

1° SS. Eucharistia danda non est iis, qui usum rationis non habent (4).

(1) Miss. de def. X.
(2) Bened. XIV. l. c. n. 7.
(3) Lehmk. n. 142, ex S. Alph. n. 250.
(4) Cfr. Rit. Rom. Tit. IV, Cap. I. n. 16 sq.

2° Neque tribuenda est iis a quibus aliqua indecentia cum iniura tanti Sacramenti timeri potest (1).

3° In periculo mortis tamen neque tanta, quanta alias, discretio, imo neque ita absolute usus rationis requiritur; neque iisdem causis, ac alias, Sacramento iniuria fieri censetur. Hinc:

127. I. Usus, iam a multis saeculis receptus, est ut numquam, ne in mortis quidem periculo, SS. Eucharistia detur infantibus qui usum rationis nondum adepti sunt; neque perpetuo amentibus, qui sc. semper tales fuerunt.

II. « *Regulariter* non admittantur pueri ad S. Synaxim ante annum 12^{m} incoeptum: sed nec differatur... ultra annum 13^{m} expletum (2) ».

III. Pueris qui usum rationis in tantum iam habent ut cibum coelestem a profano discernant, in periculo vitae Viaticum dari potest et debet.

128. IV. Amentibus qui lucida intervalla habent et devotionem ostendunt, dum in eo statu manent, communicare licet, secluso irreverentiae periculo (3). — Idem est de obsessis et epilepticis eo tempore quo sunt sui compotes.

V. Iisdem et generatim iis qui post usum rationis in amentiam inciderunt, sicut et delirantibus, et sensibus destitutis *in articulo mortis* SS. Eucharistia dari potest et generatim etiam debet (3), *si* ét intentio requisita praesumi in iis potest, ét abest periculum irreverentiae. Quod periculum maxime timendum est a sensibus destitutis, ne sc. S. Hostiam expuant: quae videtur ratio cur passim sit usus non dandi talibus Viaticum. — *Non danda* vero est, si *constat* aliquem *post vitam scandalosam,* vel saltem in statu peccati et *sine signo poenitentiae* in amentiam incidisse vel sensibus destitutum esse.

129. VI. Semi-fatuis quibus aequiparandi sunt senes repuerascentes, dummodo cibum spiritualem inter et profanum discernant, SS. Eucharistia danda est saltem in periculo mor-

(1) Ibid. Cap. IV, n. 4.

(2) Conc. Prov. Ultrai. Tit. IV, Cap. V, pag. 147. — Cfr. Tom. I. n. 94, V.

(3) Sunt tamen qui contrarium sentiant, quia Rit. Rom. l. c. amentes absolute a S. Communione excludere videtur.

tis et in Paschate. — Si vero tum maioris discretionis, tum devotionis et desiderii signa ostendant, atque reverenter ad S. Mensam accedant, prudenti Confessario relinqui tuto posse videtur iudicium, quoties per annum communicare possint. — Quod idem dictum sit de surdis-mutis. Hi autem si tales, magisque si insuper caeci, a nativitate fuerunt, vix existimari possunt sufficientem habere discretionem, nisi specialem in aliquo instituto instructionem acceperunt.

VII. Quod ad aegros, qui tussi laborant, periculum irre- 130.
verentiae tum solum adest, si tussis ita assidua est, ut S. Hostiam deglutire nequeant. Nam semel deglutita non est timendum ne eiiciatur cum sputis, quae nim. aliâ viâ, quam quâ cibi e stomacho, eiiciuntur.

VIII. Maior est difficultas de aegris, qui iugi fere vomitu laborant. «Censeo in singulis casibus consulendum esse medicum, utrum iudicet sine periculo vomitus mox futuri Communionem dari posse. Praeterea consilium impertirem, ne Communio daretur, quamvis congrua vomendi mora interposita esset, nisi aliquantulum cibi sive solidi sive fluidi post ultimum vomitum percepisset (1).

ARTICULUS II.

DE DISPOSITIONE ANIMAE GENERATIM.

I. **Conditio** licite suscipiendi *huius* SS. Sacramenti *propria,* 131.
seu obligatio est, «ut nullus sibi conscius mortalis peccati quantumvis sibi contritus videatur, absque praemissa sacramentali confessione» accedat(2). Quam obligatio-

(1) Capellmann. op. cit. pag. 120; ed. lat. 5ª pag. 124. Qui addit pag. 125; «Communione sumpta aeger quietissimus sit neve ullam potionem sumat, vel si forte ad Speciem facile deglutiendam bibendum esset, potionem minimam. In hunc finem aptissima est aqua frigida et recens, vel si haberi possit, glacialis. Atque communiter quidem glacies inclinationem vomitus maxime imminuit; eademque ita est innoxia, ut ad removendam istam inclinationem eâ uti cuilibet liceat, etiam inconsulto medico. Ibique optimum est glaciei particulas magnitudine fere nucis avellanae deglutiendas dare.

(2) Conc. Trid. S. XIII., cap. 7; Denz. n. 761; ei can. 11: Denz. n. 773.

nem communius dicunt esse ex praecepto *divino* (1); plures tamen probabiliter *hoc* negant.

II. Hac obligatione probabilius non tenetur is, qui post ultimum peccatum mortale commissum Poenitentiae Sacramento iustificatus sed in eo oblitus est peccati gravis; quia iam vera facta est conditio requisita. — Eum vero qui prudenter dubitat de peccato mortali post ultimam Confessionem commiso, practice non teneri resolves ex dictis de Probabilismo (2).

III. Excusatur ab hac obligatione qui 1° necessitate urgente 2° non habet copiam Confessarii (3). Quae duplex conditio exponenda.

132. **Casus necessitatis** (n. 131, III) reduci possunt ad quatuor capita, quae sunt 1° *periculum mortis;* 2° *obligatio* celebrandi *ex officio;* 3° gravis *infamia* vel nota incurrenda, a fortiori scandalum proprie dictum, si quod prudenter timeretur; 4° *necessitas* vitandi profanationem SS. Eucharistiae vel perficiendi Sacrificium.

1° Ob mortis periculum excusatur 1° moriturus qui non potest ullo modo confiteri; 2° Sacerdos qui in defectu alterius celebrare debet ad consecrandam hostiam pro Viatico administrando.

2° Ob celebrandi obligationem ex officio excusatur *Parochus,* qui celebrare ex officio debet, ut populus die festo Missam audiat, pro exequiis, ad benedicendas nuptias, si non sit alius qui eius loco celebret. Cfr. n. 133.

3° Ratione scandali vel infamiae gravis variis in casibus necessitas oriri potest, ita ut quis hac saltem ratione practice saepe excusetur, ubi pro theoria Theologi dissentiunt, num adsit necne causa sufficiens. Casus est v. gr. si *Sacerdos,* etiam non parochus, celebrari debet ut alii Missam audiant; vel si peccati recordatur, vel illud committit, cum iam incepit Missam, vel pervenit ad Altare, vel expectatur a fidelibus ad Missam celebrandam. Similis casus accidere potest *laico* qui iam coram aliis scamno communicantum assidet.

4° Ut perficiatur Sacrificium, Sacerdos qui peccati

(2) Cfr. I Cor. XI, 28 col. Trid. l. c.
(1) Cfr. Génicot n. 131.
(2) Trid. l. c.

recordatur vel reus fit peracta saltem panis Consecratione non solum poterit, sed debebit prosequi, actu contritionis elicito. — Tandem casus, ne profanetur Sanctissimum aderit, si sumendo illud ab impiorum manibus tutiori modo salvetur.

Quaeritur num etiam obligatio celebrandi aliunde quam ex officio, vel communicandi censeri possit per se causa seu necessitas satis gravis? — Cfr. n. 132, 2°. **133.**

Resp. 1° Conveniunt AA. esse negandum, si agitur de obligatione ex voto vel ex praecepto Superioris, seu non iuris communis; item satis conveniunt negandum posse celebrari ut alii satisfaciant obligationi etiam ex praecepto divino vel iuris ecclesiastici communis, et paucorum contraria opinio communiter ut non satis probabilis reiicitur.

2° Si agitur de sua ipsius obligatione ex praecepto maxime divino, puta Communionis Paschalis vel Missam audiendi, controvertitur. Communius quidem negant AA., sunt tamen inter ipsos negantes, qui aliorum affirmantem opinionem dicunt probabilem et practice tutam, ut De Lugo (1) et pro casu Communionis Paschalis etiam S. Alph. (2).

Copia Confessarii (cfr. n. 131, III) deesse censetur: **134.**
1° Si nullus, qui Confessionem excipere et absolvere velit et possit (3), adest neque sine magna difficultate adiri potest. Quae difficultas, si ex loci spatio conficiendo oritur, hinc crescere potest propter instans celebrandi tempus, corporis valeditudinem etc., illinc vero minui commoditate quam forte praebet via ferrea etc. Abstrahendo autem ab his et similibus circumstantiis spatium 1 — $1\,^1/_2$ leucae conficiendum S. Alph. (4) satis excusare videtur.

2° Si Confessario qui adest vel adiri potest, quis confiteri nequit sine gravi damno vel 1) alieno, v. gr., dicunt, non sine manifestatione complicis peccati (5), vel 2) suo, sed Confessioni extrinseco, qui casus rarus profecto est.

(1) Disp. XIV, n. 114.

(2) N. 261.

(3) Pro casu quo non potest ob reservationem peccatorum vide Tr. de S. Poen.

(4) N. 264.

(5) Cfr. Tr. de Poen.

Non censetur deesse copia Confessarii, eo quod confiteri quis non potest Confessario suo Ordinario, vel cui quavis ratione confiteri mallet. Sed

Quid in casu *verecundiae* quae cui videtur *invincibilis*, et oritur ex circumstantia *extraordinaria*, si v. gr. patruus peccatum valde probrosum confiteri deberet nepoti?

Resp. Sensus communis Theologorum eiusmodi casui excipiendo contrarius videtur (1). Sed si hanc ob causam non cum Génicot satis probabilem, neque tamen omnino improbabilem opinamur quorundam AA. sententiam excusantem. « Neque — ut non sine ratione ait A. l. (2) — videtur *hoc* incommodum (3) intrinsecum Confessioni. Vel, etiamsi cui (ita) videatur, non apparet, quare in lege probabiliter mere ecclesiastica, et in qua AA. excusationes admittunt ob causam non ita gravem, non possit per epikeiam excipi casus humanae infirmitati durissimus ». Quare practice non condemnandum censerem eum, qui hanc sententiam sequi vellet.

135. Sacerdos qui necessitate urgente et deficiente Confessario peccati conscius « absque praevia Confessione celebraverit quam primum confiteatur ». Est grave praeceptum ecclesiasticum (4).

1. Illud « *quamprimum* » intelligitur intra triduum. Interim tamen non poterit iterum absque praevia Confessione celebrari, nisi iisdem semper conditionibus, ut supra, concurrentibus.

2. Praeceptum *hoc* non obligat 1° sive laicum, sive Sacerdotem mere communicantem; 2° neque Sacerdotem qui sacrilege celebravit ex eo quod vèl necessitas non cogebat, vèl Confessarius non deerat — aliud est, si *solum* ex eo quod contritus non fuit; — 3° neque, probabilius saltem, Sacerdotem qui intra Missam sive ante sive post factam Consecrationem recordatur vel reus fit gravis peccati. Non enim in istis casibus quaestio esse poterat de « praevia Confessione » de qua Trid. Praeterea cfr. Rubr. de defect. VIII, n. 3 cum n. 4 (5).

---

(1) Cfr. Sporer n. 484.

(2) N. 193. IV, 4°.

(3) Illud, intelligo, notabile verecundiae *augmentum* quod ex circumstantia *extraordinaria* accedit. Cfr. Tr. de Poen.

(4) Trid. l. c.

(5) Cfr. De Lugo Disp. XIV, n. 144 sqq.

ARTICULUS III.

DE COMMUNIONE FREQUENTI ET QUOTIDIANA SPECIATIM.

Ex Decreto S. C. C. 17 Dec. 1905 auctoritate et iussu Pii X 20 Dec. 1905 edito, praemittimus praecipua eorum, quae partim ad huius rei, disputationumque de ea inter Theologos habitarum, historiam spectant, partim ad sensum Decreti aperiendum inserviunt. **136.**

«Sacra Tridentina Synodus, (*Sess.* 22, *cap.* 6) ait: *Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicarent.* Quae verba satis aperte produnt Ecclesiae desiderium ut omnes Christifideles illo coelesti convivio quotidie reficiantur, et pleniores ex eo sanctificationis hauriant effectus.

Cuiusmodi vero vota cum illo cohaerent desiderio, quo Christus Dominus incensus hoc divinum Sacramentum instituit». Etenim «ex comparatione cibi angelici cum pane et manna facile a discipulis intelligi poterat, quemadmodum pane corpus quotidie nutritur, et manna in deserto Hebraei quotidie refecti sunt, ita animam christianam caelesti pane vesci posse quotidie ac recreari. Insuper quod in oratione Dominica exposci iubet *panem nostrum quotidianum*, per id Ss. Ecclesiae Patres fere unanimes docent, non tam materialem corporis escam, quam panem eucharisticum quotidie sumendum intelligi debere.

Desiderium vero Iesu Christi et Ecclesiae, ut omnes Christifideles quotidie ad sacrum convivium accedant, in eo potissimum est ut Christifideles per sacramentum Deo coniuncti, robur inde capiant ad compescendam libidinem, ad leves culpas quae quotidie occurrunt abluendas, et ad graviora peccata, quibus humana fragilitas est obnoxia, praecavenda: non autem praecipue ut Domini honori ac veneration consulatur, nec ut sumentibus id quasi merces aut praemium sit suarum virtutum.

Hanc Dei voluntatem priores Christifideles probe intelligentes, quotidie ad hanc vitae ac fortitudinis mensam accurrebant. Quod saeculis posterioribus etiam factum esse, non sine magno perfe-

ctionis ac sanctitatis emolumento, Sancti Patres atque ecclesiastici Scriptores tradiderunt.

Defervescente interim pietate, ac potissimum postea Ianseniana lue undequaque grassante, disputari coeptum est de dispositionibus, quibus ad frequentem et quotidianam Communionem accedere oporteat, atque alii prae aliis maiores ac difficiliores, tamquam necessarias, expostularunt. Huiusmodi disceptationes id effecerunt ut perpauci digni haberentur qui SS. Eucharistiam quotidie sumerent, et ex tam salutifero sacramento pleniores effectus haurirent; contentis ceteris eo refici aut semel in anno, aut singulis mensibus, vel unaquaque ad summum hebdomada. Quin etiam eo severitatis ventum est, ut a frequentanda caelesti mensa integri coetus excluderentur, uti mercatorum, aut eorum *qui essent matrimonio coniuncti.*

Ad haec Sancta Sedes officio proprio non defuit. Nam per decretum huius Sacri Ordinis, quod incipit *Cum ad aures,* diei 12 mensis Februarii anni 1679, Innocentio Pp. XI adprobante, errores huiusmodi damnavit et abusus compescuit, simul declarans omnes cuiusvis coetus, mercatoribus atque coniugatis minime exceptis, ad Communionis frequentiam admitti posse, iuxta singulorum pietatem et sui cuiusque Confessarii iudicium.

Virus tamen iansenianum, quod bonorum etiam animos infecerat, sub specie honoris ac venerationis Eucharistiae debiti, haud penitus evanuit. Quaestio de dispositionibus ad frequentandam recte ac legitime Communionem Sanctae Sedis declarationibus supervixit: quo factum est ut nonnulli etiam boni nominis theologi, raro et positis compluribus conditionibus, quotidianam Communionem fidelibus permitti posse censuerint.

Non defuerunt aliunde viri doctrina ac pietate praediti, qui faciliorem aditum praeberent huic tam salubri Deoque accepto usui, docentes, auctoritate Patrum, nullum Ecclesiae praeceptum esse circa maiores dispositiones ad quotidianam, quam ad hebdomadariam aut menstruam Communionem; fructus vero uberiores longe fore ex quotidiana Communione, quam ex hebdomadaria aut menstrua ». Post haec

137. « Sacra Concilii Congregatio in plenariis Comitiis die 16 mensis Decembris 1905 hanc rem ad examen accuratissimum revocavit,

et rationibus hinc inde adductis sedula maturitate perpensis, ea quae sequuntur statuit ac declaravit:

1° Communio frequens et quotidiana, utpote a Christo Domino et a Catholica Ecclesia optatissima, omnibus Christifidelibus cuiusvis ordinis aut conditionis pateat; ita ut nemo, qui in statu gratiae sit et cum recta piaque mente ad S. Mensam accedat, prohiberi ab ea possit.

2° Recta autem mens in eo est, ut qui ad sacram mensam accedit, non usui, aut vanitati, aut humanis rationibus indulgeat, sed Dei placito satisfacere velit, ei arctius caritate coniungi, ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere.

3° Etsi quam maxime expediat ut frequenti et quotidiana Communione utentes venialibus peccatis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes, sufficit nihilominus ut culpis mortalibus vacent, cum proposito se nunquam in posterum peccaturos; quo sincero animi proposito, fieri non potest quin quotidie communicantes a peccatis etiam venialibus, ab eorumque affectu sensim se expediant » (1).

« 4° Cum vero Sacramenta Novae legis, etsi effectum suum ex opere operato sortiantur, maiorem tamen producant effectum quo maiores dispositiones in iis suscipiendis adhibeantur, idcirco curandum est ut sedula sacram Communionem praeparatio antecedat, et congrua gratiarum actio inde sequatur, iuxta uniuscuiusque vires, conditionem ac officia.

5° Ut frequens et quotidiana Communio maiori prudentia fiat uberiorique merito augeatur, oportet ut Confessarii consilium intercedat. Caveant tamen Confessarii ne a frequenti seu quotidiana Communione quemquam avertant, qui in statu gratiae reperiatur et recta mente accedat.

6° Cum autem perspicuum sit ex frequenti seu quotidiana S. Eucharistiae sumptione unionem cum Christo augeri, spiritualem vitam uberius ali, animam virtutibus effusius instrui, et aeternae

(1) Quod autem quis gravibus tentationibus vexatur, aliisve difficultatibus expositus est et forte hac de causa etiam saepius et graviter lapsus, hoc nedum obstaculum, imo ratio est eo magis accessum hebdomadarium vel etiam frequentiorem ad sacramenta permittendi et consulendi.

felicitatis pignus vel firmius sumenti donari, idcirco Parochi, Confessarii et concionatores, iuxta probatam Catechismi Romani doctrinam (*Part.* II, *c.* 63) christianum populum ad hunc tam pium ac tam salutarem usum crebris admonitionibus multoque studio cohortentur.

7° Communio frequens et quotidiana praesertim in religiosis Institutis cuiusvis generis promoveatur; pro quibus tamen firmum sit decretum *Quemadmodum* diei 17 mensis Decembris 1890 a S. Congr. Episcoporum et Regularium latum. Quam maxime quoque promoveatur in clericorum Seminariis, quorum alumni altaris inhiant servitio; item in aliis christianis omne genus ephebeis.

8° Si quae sint Instituta, sive votorum solemnium sive simplicium, quorum in regulis aut constitutionibus, vel etiam calendariis, Communiones aliquibus diebus affixae et in iis iussae reperiantur, hae normae tamquam mere *directivae,* non tamquam *praeceptivae* putandae sunt. Praescriptus vero Communionum numerus haberi debet ut quid minimum pro Religiosorum pietate. Idcirco frequentior vel quotidianus accessus ad eucharisticam mensam libere eisdem patere semper debebit, iuxta normas superius in hoc decreto traditas. Ut autem omnes utriusque sexus religiosi huius decreti dispositiones rite cognoscere queant, singularum domorum moderatores curabunt, ut illud quotannis vernacula lingua in communi legatur intra Octavam festivitatis Corporis Christi.

9° Denique post promulgatum hoc Decretum omnes ecclesiastici scriptores a quavis contentiosa disputatione circa dispositiones ad frequentem et quotidianam communionem abstineant.

Relatis autem his omnibus ad SSmum D. N. Pium Pp. X per infrascriptum S. C. Secretarium in audientia diei 17 mens. Decembris 1905, Sanctitas Sua hoc Emorum Patrum decretum ratum habuit, confirmavit atque edi iussit, contrariis quibuscumque minime obstantibus ».

138. Accessit 16 Sept. 1906 eiusdem S. C. rescriptum: « Sacrae Communionis frequentiam commendari iuxta articulum primum Decreti etiam pueris, qui ad sacram mensam... semel admissi ab eius frequenti participatione prohiberi non debent, sed potius eos ad id hortari; reprobata praxi contraria alicubi vigente ».

De monialibus et de religiosis viris professione et regimine laicis. Ex Decreto S. P. Leonis XIII, organo S. C. Ep. et Reg. 17 Dec. 1890 edito, en **regulae:** 139.

I^a. « Quod attinet ad permissionem vel prohibitionem ad S. Synaxim accedendi, S. S. decernit, huiusmodi permissiones vel prohibitiones dumtaxat ad Confessarium ordinarium vel extraordinarium spectare, *quin Superiores ullam habeant auctoritatem* hac in re sese ingerendi, excepto casu quo aliquis ex eorum subditis post ultimam Sacramentalem Confessionem *Communitati scandalo* fuerit, aut *gravem externam* culpam patraverit, *donec* ad Poenitentiae Sacramentum denuo accesserit » (1).

II^a. « Monentur hinc *omnes,* ut ad S. Synaxim *curent* diligenter se praeparare et *accedere diebus in propriis Regulis statutis;* et quoties ob fervorem et spiritualem alicuius profectum Confessarius expedire iudicaverit ut frequentius accedat, id ei ab ipso Confessario permitti poterit. Verum qui licentiam a Confessario obtinuerit *frequentioris ac etiam quotidianae Communionis,* de hoc certiorem reddere Superiorem teneatur; quod si hic iustas *gravesque* causas se habere reputet contra frequentiores huiusmodi Communiones, eas Confessario manifestare teneatur, cuius iudicio *acquiescendum omnino erit* » (2).

Ad I^m regulam. 1° Videntur verba *scandalum* et *gravem* *culpam* non monialium more latissime, sed stricte sensu *theologico* esse accipienda. Aliter tamen Vermeersch *De Relig.* n. 465, 4, saltem quoad posterius dictum. 140.

2°. Notentur verba: *donec* etc. ». Quare si quando Superior iure suo alicui subdito S. Communionem prohibuerit, ex quo subditus ille ad Sacramentum Poenitentiae accesserit, eo ipso corruit prohibitio a Superiore facta.

Ad II^m regulam. 1°. Quae hic dicuntur de S. Communione « *diebus in propriis Regulis statutis* » recipienda, si conferantur cum relatis sub I, patet aliud esse Confessarii officium quod attinet ad S. Communiones *illis diebus* recipiendas, ac ad S. Communiones 141.

(1) Sub V.
(2) Sub VI.

praeter easdem permittendas; atque *quod ad priores* paulum aliam esse conditionem religiosorum ac aliorum fidelium. Sc. quod ad priores Communiones e mente S. Sedis est, non tam ut eas Confessarius singulis permittat, sed ut, quatenus opus, poenitentes *stimulet* ad eas debito modo recipiendas. Permissae enim, imo aliquo modo praescriptae ipsis iam sunt, idque non a Superioribus sese immiscentibus « quin ullam habeant auctoritatem hac in re sese ingerendi », sed a Superioribus qui ipsi Constitutiones condiderunt vel approbando confirmarunt. Non enim huiusmodi Constitutiones, quod ad hanc rem spectat, abrogatae sunt, sed, ut diserte dicitur, solum « in eo quod cordis et conscientiae intimam manifestationem quovis modo ac nomine respiciunt (1) ». Quinimo hoc ipso Decreto Communiones « *in propriis Regulis* » praescriptae expresse memoriae inculcantur. Confirmatur ex Resp. S. C. Ep. et Reg. 4 Aug. 1888 (2). Sc. ad quaesitum: « Quaenam sit mens Ecclesiae, quando approbat haec Statuta circa Communionem in familiis religiosis? Sc. an haberi debeant ut *prohibitiva* ne plures fiant Communiones, *vel praeceptiva,* ita ut omnes conentur ita vivere ut mereantur ad Communionem accedere saltem in illis diebus? Itaque S. C. respondit: « *Negative ad primam partem,* et facultatem frequentius ad S. Synaxim accedendi relinquendam esse privative iudicio Confessarii, excluso consensu Superioris vel Superiorissae; *Affirmative ad secundam partem,* quoties rationabilis causa non obstet ».

Aliis quidem verbis sed satis eodem sensu in Decreto S. C. C. 20 Dec. 1905 sub 8° normae istae dicuntur « tamquam mere *directivae* non tamquam *praeceptivae* putandae » imo « abrogatas censendas esse Constitutiones, quibus *vetatur,* ne Moniales sive Religiosi S. Eucharistiam recipiant ultra certos et statutos dies », respondit S. C. Ep. et Reg. 17 Aug. 1891.

2°. Quod subditis iniungitur onus Superiorem certiorem faciendi, restringendum hoc videtur ad casus frequentioris Commu-

(1) Sub. 1.

(2) Nouv. Rev. Théol. anni 1888, pag. 575. Et quamvis hoc Resp. sit Decreto « Quaemadmodum » anterius, ex ipso tamen eius tenore patet, mentem S. Sedis eamdem semper perseverasse.

nionis per modum *consuetudinis* concessae. Alias enim subditus non dicitur obtinuisse « licentiam frequentioris ac etiam quotidianae Communionis ».

ARTICULUS IV.

DE DISPOSITIONE CORPORIS.

Requisita ad tria reducimus: *Ex praecepto Ecclesiae* re- 142.
quiritur 1° ieiunium naturale; *ex natura rei* generatim requiritur reverentia, speciatim praecipue 2° decens habitus et 3° corporis munditia quantum ab homine dependet.

§ I. — *De Ieiunio naturali requisito.*

Ieiunium naturale a media nocte servatum requiritur, 143.
i. e. ut prorsus nihil per modum cibi vel potus (vel medicinae) sumptum sit.

I. **Praeceptum** hoc obligat sub gravi, nec admittit parvitatem materiae, cum potissimum non cadat in ieiunium servandum, sed in S. Communionem non recipiendam nisi a ieiunis.

II. **Media nox** ad uniuscuiusque arbitrium computari potest secundum tempus vel — 1° verum quod horologia *solaria* indicant; vel — 2° medium regionis, quod sc. in tota quaque regione propter conformitatem servatur in officiis publicis dirigendis, adeoque determinatur *meridiano Urbis principis* — apud nos in Neerlandia: *Amsterdamsche tijd* — quod tempus, saltem quatenus publicis horologiis arte factis indicatur, a vero tempore nonnihil distare solet; vel — 3° locale (*stadstijd, enz.*); et nullum quidem dubium, si hoc supponatur esse tempus *medium talis loci* — cfr. dictum sub 2° —; sed neque difficultatem faciendam esse puto de tempore locali hoc sensu quod *in tali loco communiter* in negotiis dirigendis *servatur*, et plerumque publico horologio indicatur; vêl tandem — 4° ubi viget, tempus zonarium quod vocant, quod moderatores officiorum viarum ferrearum primi assumpserunt — unde Neerlandice vulgo: *spoortijd* — et penes

uos determinabatur hucusque meridiano loci Greenwich in Anglia, distatque retro a medio tempore regionis nostrae tertiam fere horae partem (1).

144. *Nota* 1. Speculative verum atque certum est tempus mediae noctis, quodvis tandem eligitur, *physice* sumendum esse, non moraliter; communiter quoque contra paucos ut certum habetur *primum ictum* horologii indicare horam iam completam. — *Quid* ergo si inter comedendum vel bibendum quis audiat primum pulsum horae duodecimae? Certo cessare debet (2), sed num debet etiam exspuere id quod in ore tenet? *Resp. Negari* potest, nam a) talem rusticitatem Ecclesia censeri non potest exigere; vel cum Lehmkuhl (3): b) « melius forte dixeris, practice de laeso ieiunio non constare, quia sine dubio vix deerunt horologia etiam probata quae tantillo spatio serius tempus indicent, quae quominus quis sequatur, prohibitum esse ostendi nequit ».

2. *Communicare posse eum qui dubitat* vèl num aliquid nocte sumpserit, vèl num post mediam noctem aliquid sumpserit, resolves ex dictis Tom. I, n. 53 sqq.

3. De eo qui vult *modo hoc, modo illud tempus* sequi, vid. ib. n. 80.

145. III. **Naturale ieiunium** ut laesum censeatur, debent tres conditiones concurrere, sc.: id quod sumitur, debet 1° sumi ab extrinseco et in stomachum traiici seu deglutiri; 2° sumi per modum cibi vel potus seu comestionis vel potationis; 3° habere rationem cibi vel potus. Quae exponuntur:

---

(1) In Neerlandia lege 23 Julii 1908 (Stsbl. n. 236), vigente a 1 Maii 1909, tempus zonarium abrogatum, statutumque est unum tempus legale, etiam pro viis ferreis, sc. Amstelodamense.

(2) Sporer tamen contrariam opinionem, ex qua moraliter hora durat usque ad ultimum sonum, *post factum* satis tutam habet. « Post factum, ait, scrupulum peccati nec mihi nec poenitenti iniicerem ». Cap. VI, Sect. VII, n. 473. Potius hoc admitterem ob rationem mox afferendam sub b).

(3) N. 159 in fine. « Melius », inquam cum A. L., etiam quam ob rationem alteram quam affert Sporer, et quam approbat Ballerini-Palm. n. 163, ed. 3° n. 398, « cum non ideo dici possis sumpsisse aliquid ab extrinseco post mediam noctem ». At non video quomodo hoc cohaereat cum resolutione communi de eo qui vespere aliquid sumit paulatim in ore solvendum, quam Sporer tradit l. c. n. 469, et ad quam ex Busembaum relatam nihil annotat Ballerini.

Ad 1^m conditionem. 1° *Non frangit* ieiunium, qui de- 146.
glutit, *etiam voluntarie,* sanguinem e gingivis vel humorem ex pustula, quae in ore existit, fluentem.

2° *Frangit* vero, qui sanguinem e digito sugit et deglutit (1) *etsi non advertens;* item qui vespere tam sero saccharum vel simile quid sumit paulatim in ore liquandum et deglutiendum, ita ut post mediam noctem illud adhuc partim, sive solutum sive non solutum traiectum iri satis praevidere possit; quia haec nim. est continuata comestio, neque aequiparari potest traiectioni reliquiarum cibi pridie sumpti, quae supponit comestionem completam.

Ad 2^m conditionem. *Regula:* Non solvit ieiunium 147.
generatim id quod sumitur per modum vèl 1) salivae vèl 2) aspirationis sive ore sive naso; supponitur ad 1) *minima quantitas* traiecta, ad utrumque sumptio facta *non eo fine ut deglutiatur,* sed vèl alio fine v. gr. ad gustandum et dein exspuendum, vèl praeter intentionem. — Quod vero traiectio *advertitur,* hoc nihil ad rem facit.

Hinc non laedit ieiuninm qui aspirando casu attrahit et traiicit pluviam, nivem, muscam etc. — qui guttulam sanguinis e naso defluentem vel pelliculam a labiis avulsam casu cum saliva sorbet — qui tabacum sumit per nares, etiamsi casu aliquid in stomachum traiiciatur — qui fumum tabaci haurit — qui folium tabaci vel aroma dentibus conterit et phlegmata exspuit, etiamsi modica pars succi, salivae permixta, casu in stomachum demittatur; hoc tamen, nisi ex causa rationabili fiat, ob indecentiam non videtur a veniali excusandum (2).

Nota cum Lehmkuhl (3), de iis quae communiter occurrunt atque difficulter caventur, *legem* ipsam ecclesiasticam *laxius disponere,* sc.:

1. « Si reliquiae cibi remanentes in ore transglutiantur, *non impediunt* Communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivae » (4). — Plures quidem hic di-

(1) Supponitur adesse conditio altera secundum ea quae n. sq. dicentur.
(2) Génicot n. 200, 3°.
(3) N. 160, 2, 1).
(4) Rubr. Miss. de def. IX, n. 3.

stinguunt utrum voluntarie, necne, transglutiantur; sed probabiliter saltem applica illud: ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; idque eo vel magis, quod lex ad casum, qui proxime sequitur, distinguit; nim.:

2. « Idem dicendum, si lavando os deglutiatur stilla aquae *praeter intentionem* » (1). Quod cum A. l. « videtur utique valere de stilla, quae nondum sit omnino cum saliva coniuncta ». Quin etiam S. Thomas (2) ait: « dummodo non traiiciantur *in magna quantitate*, sed permixtae salivae, quod vitari non potest ». Nihil ergo opus est, ut, qui os lavit, saepius exspuat (3).

148. Ad 3^m conditionem. Multi regulae instar distinguunt inter ea quae possunt et alia quae non possunt digeri. Porro si ex chemica constat rem quampiam non digeri, ea certissime ieiunium non solvet. Ceterum vero potius ad communem hominum aestimationem quam ad chemicorum placita attendendum videtur. « Nec refert, ait S. Thomas (2), utrum aliquid nutriat vel non nutriat ».

Hinc probabilius saltem, etsi de una alterave re aliter forte pronuntient chemici *non solvunt ieiunium* capilli, ungues, metallumi lapilli, ossicula fructuum omnino depurata, etc. quibus probabiliter (4) annumerari possunt lignum et charta.

Solvunt vero ossa, cera, pulvis medicinalis etc.

Fila ex serico vel lana non solvunt; fila ex lino communiter *Theologi* dicunt solvere ieiunium; sed homines communiter ita distinguere, non crediderim.

149. Statim post S. Communionem receptam 1° edere vel bibere, *nisi* rationabilis causa adsit, *veniale* censetur; 2° exspuere semper ut incongruens dissuadetur; casu quo periculum

(1) Ibid.

(2) 3, q. 80, a. 8, ad 4.

(3) *Notat* praeterea Génicot l. c. 2° *regula*, 2*; « Manet ieiunus qui clysterio nutritur, ut hodie nonnumquam contingit aegrotis (Capellm. op. c. p. 123, edit 7^a, latinarum 2^a). et probabilius etiam qui ope alicuius canalis aquam sorbet iterumque reiicit. Licet enim in hoc ultimo casu aliqua pars aquae in stomacho sit remansura, nihil sumitur per modum cibi vel potus. Profecto non licet canalem oleo unctum in aesophagum immittere: sic enim necessario fit ut oleum per modum potus absorbeatur. Videsis period. *Il Monitore Ecclesiastico*, t. 9, p. 184 ».

(4) Busembaum; de ligno idem resolvit Sporer l. c. n. 467.

exspuendae particulae, quae forte in ore remanserit, adverteretur, hac ratione non liceret.

Causae excusantes a ieiunio naturali *quatuor certae* nu- 150.
merantur; duae ex parte communicaturi: 1° periculum mortis, 2° scandalum vel infamia vitanda; duae ex parte Sacramenti: 3° irreverentia gravis erga SS. Sacramentum vitanda, 4° Sacrificium perficiendum.

De 1ª causa excusante i. e. **periculo mortis.** 151.

I. Nonnulli (1) docent etiam a periculose infirmis ieiunium servandum esse, si commode fieri potest. Sed alii merito hoc reiiciunt (2), cum ipsa lex pon distinguat: « Potest Viaticum brevi morituris dari non jeiunis ». Rit. Rom. Tit. IV; cap. 4, n. 4; atque « Non debet.... a fidelibus recipi non ieiunis, nisi in casu infirmitatis etc. ». Conc. Const. Sess. XIII: Denz. n. 585. *Aliud est de non infirmis,* quibus ex alia causa periculum imminet, ex sententia iudicis, ex praelio instante etc.; tales, *si commode possunt,* teneri videntur servare ieiunium.

II. Sufficit periculum mortis probabile (3), quod quamdiu manet vel recurrit, durat exemptio a lege ieiunii. Neque per se quidquam obstat, quominus infirmus *saepius,* quam sanus consueverat, vel etiam *quotidie* communicet non ieiunus, si Confessario expedire videatur.

III. « Ceteris autem infirmis, qui ob devotionem in aegritudine communicant, danda est Eucharistia ante omnem cibum et potum ». Haec Rit. Rom. (4).

Quae alii aliter accipiunt: *communiter* ita ut infirmitas non periculosa *nunquam excuset,* neque pro Communione Paschali.

« Attamen, ita Bucceroni (5), non desunt *plures et graves* theologi qui id *aliquando permittunt, si* morbus sit diuturnus,

---

(1) Cfr. De Lugo Disp. XV, n. 74; Sporer l. c. n. 478; Lehmk. n. 161, 1.

(2) Cfr. Palm. ad Ball. IV, n. 168, ed. 3ª n. 941; Génicot n. 202, 1°.

(3) Non requiri ut mors *certo* secutura putetur, neque expedire ut mortis *brevi* secuturae tempus expectetur, omnes conveniunt. Quin periculum vel certe tempus quo ratione morbi S. Eucharistia non ieiuno dari possit, pro adiunctis latius sumi posse, eruitur ex Resp. S. C. de P. F. 20 Febr. 1801; Coll. n. 361.

(4) Tit. IV. Cap. 4, n. 4.

(5) N. 597.

nec umquam aeger omnino ieiunus communicare valeat; *modo* raro fiat, v. gr. aliquoties in anno ». Additque A. l.: « *Nullum dubium* est (1) quoad casum Communionis annuae seu *Paschalis*, quae non mero iure ecclesiastico sed etiam divino praecipitur, quia divinum mandatum humano praestantius est. Idque tacite concedere videtur Rit. Rom. ». verbis supra relatis.

Ad quae:

Noto 1°. *Quoad Communionem Paschalem* revera nonnulli Theologi probabile hoc dicunt (2); cui opinioni hoc saltem *concedendum* est hanc exceptionem a Rituali *non reiici*. At ratio allata non convincit: nam pluries praeceptum divinum obligare cessat propter praeceptum Ecclesiae magni momenti et rigoris.

Noto 2°. *Quoad Communionem ex devotione:*

1) Ita docet Elbel noster n. 323, non vero alii ab ipso citati sc. Diana, Busembaum et Bonacina, qui nim. loquuntur de *periculose* aegrotantibus qui *iterato* communicare desiderant; cfr. supra dicta sub I initio. Alium theologum, quo hoc ipsum clare doceat, non invenio.

2) Hodie rigor legis ecclesiasticae paulo mitigatus est. Sc. 7 Dec. 1906 Pius X « benigne concessit ut infirmi, qui iam a mense (3) decumberent absque certa spe ut cito convalescant, de confessarii consilio SSmam Eucharistiam sumere possint semel aut bis in hebdomada, si agatur de infirmis qui degunt in piis domibus, ubi SSmum Sacramentum adservatur, aut privilegio fruuntur celebrationis Missae in Oratorio domestico; semel vero aut bis in mense pro reliquis, etsi aliquid per modum potus (4) antea sumpserint (5), servatis de cetero regulis a Rituali Romano et a S. Rituum Congregatione ad rem praescriptis ».

Cui Decreto accessit Resp. S. C. C. 6 Mart. 1907, a Pio X 25 Mart. confirmatum, ex quo infirmorum nomine, de quibus in De-

(1) « Iuxta doctissimos theologos Romae interrogatos » addit Gury n. 334.

(2) Cfr. Génicot, n. 202, 1°.

(3) Videtur moraliter accipi posse.

(4) Id quod hoc modo sumitur, potest tamen habere vim nutritivam, seu esse cibus liquidus.

(5) Nec quid obstat quominus plus semel tali modo aliquid sumptum sit.

creto relato, comprehenduntur « quoque qui, quamvis gravi morbo correpti et ex medici iudicio naturale ieiunium servare non valentes, nihilominus in lecto decumbere non possunt, aut ex eo aliquibus horis diei surgere possunt ».

Supponi videntur hi infirmi adire non posse Ecclesiam ad S. Communionem recipiendam.

Quoad eos ergo, de quibus in hoc Decreto, res iam certa est; quoad alios vero manet lex. (1).

IV. Quaeri tamen hac occasione potest magis generatim, pro aliis etiam quam infirmitatis casibus (2), utrum lex ipsa ex mente Ecclesiae eo rigore intelligi et applicari debeat, quo consuevit. Et puto dubitari merito posse. Nitor motivis allatis a Consultore, cuius votum refertur in Responso S. C. C. 15 Sept. 1906, accedente circumstantia quod eadem ad moderationem legis, per Decretum 7 Dec. 1906 factam, movisse videntur. Consultor nempe, postquam animadvertit cum infirmis chronicis abusus, qui partim causam legi ecclesiasticae dedere, contingere non posse, nec reverentiae erga Sacramentum ob ieiunii defectum in casu infirmitatis detrahi, quia causa excusans intercedit, sic pergit:

« Aliunde cum omnibus indiscriminatim christifidelibus consulatur quotidiana vel saltem frequens Communio, non adest ratio cur infirmis, qui ieiunium servare non possunt hoc prohibitum sit. Idque eo vel magis quod ipsi maiori detinentur necessitate vescendi Corpore Christi. Observari insuper posset quod lex ieiunii naturalis sit ecclesiastica: et Concilium Constantiense (*Sess.* 13), quamvis edicat quod « huiusmodi Sacramentum non debet confici post coenam, neque a fidelibus recipi non ieiuniis » addit tamen: « nisi in casu infirmitatis aut alterius necessitatis ».

Lex itaque ieiunii, utpote ecclesiastica, urgenda non nimium videtur; nec unquam ita ut videatur pugnare cum iure fidelium recipiendi sacramenta. Si enim rigide, ut hucusque consuevit, accipiatur, non raro fidelem ab hoc divino subsidio impediret ».

Praeterea quoad infirmos adverto:

---

(1) Cfr. infra IV, 3°.

(2) Cfr. n. sq.

1° In praxi attendatur non tantum consuetudo sed *praecipue* huic connexa ratio scandali; sic v. gr. si Sacerdos ad infirmum non ieiunum Communionem deferat, maxime si hoc fiat in aliqua Communitate, ubi SS. Eucharistia asservatur, hoc scientes facile forte admirabuntur, esto: sed non ita facile scandalizabuntur; contra qui advertunt aliquem non ieiunum in Ecclesia, perinde ac alios, communicantem, etsi sciant eum ieiunium servare non posse, facilius scandalum sument. Circumstantiae mutant casum.

2° « Sacerdos celebrare sine dubio *potest* non ieiunus ad dandum *sibi* viaticum, quia non plus est celebrare, quam communicare sumpto cibo (1) »; num etiam « ad illud ministrandum *alteri, controvertitur;* sed casus parum est practicus, siquidem Ecclesia providit, ut semper servetur Eucharistia pro infirmis (2) ».

3° Id quod ad eos, qui *de iudicio medici* ieiunium servare non valent, universalius spectat: iam ab aliquo tempore ante editum Decretum, infirmis favens, facilius quam antea a S. Sede indultum obtineri potest sumendi aliquid per modum potus ante S. Communionem (3).

152. Ad 2^m^ causam i. e. **scandalum vel infamiam** resolves cum Génicot (4):

I. Celebrare licebit Sacerdoti, qui imprudens aliquid post mediam noctem sumpsit, si Missam absque populi offensione, dicteriis, sinistris suspicionibus et similibus omittere nequit; quod saepe nostris temporibus ob pravas plurimorum dispositiones contra ordinem clericalem timendum erit.

Non sufficit tamen *sola ratio* quod populus die festivo Missa careret. — Addo 1° cum aliis: *aliud* est si accedat periculum ne plures, etsi commode possent alibi Missam audire, hoc *cum gravi*

---

(1) Busembaum apud S. Alph. n. 286, et communiter. Sed ob allatam rationem, opus non erat, ut A. l. adderet restrictionem: « si illud aliter haberi non potest ».

(2) Aertnys n. 106, Qu. 4°.

(3) Quod Indultum, antea per S. Officium, a die 3 Nov. 1908 ex Const. Pii X *Sapienti consilio* 29 Iunii 1908 obtinendum erit per S. Congr. de disciplina Sacramentorum. Formulam petitionis huiusmodi, cui addenda est attestaito scripta medici, vide apud Schneider-Lehmkuhl *Manuale Sacerdotum.*

(4) N. 202, 4. Cfr. Sporer qui eadem resolvit l. c. n. 479 sqq.

peccato negligerent. Addo 2° sola ratio praedicta non sufficit ex hoc capite: esto, sed non nimis stricte haec 2ª causa accipienda videtur de scandalo vel infamia proprie dictis, sed latius quoque de vera necessitate morali; cfr. infra III et IV et n. pr. IV.

II. Quodsi Sacerdos laesi ieiunii solum recordetur, cum iam est ad Altare, idque ante Consecrationem — nam si post, necessitas pergendi oritur ex quarta causa — neque solemniter sed privatim celebret, communis sententia docet abrumpendum esse, nisi scandalum vel infamia timetur. Hunc autem censet S. Alph. (1) semper timeri posse, nisi Sacerdos sit notae probibatis; alii vero *probabiliter* opinantur hoc periculum numquam penitus abesse, atque adeo *numquam esse desistendum* (2).

III. Probabiliter licebit neo-sacerdoti qui inadvertenter ieiunium fregit, primitias celebrare, *si* ea concurrant adiuncta in quibus ea differre sine gravissimis incommodis nequeat: puta si multi consanguinei undique convenerint, si publice notum est eum hodie primitias celebraturum esse, occulta vero mansit laesio ieiunii. Nam in casu isto rarissimo videtur licitum uti epikeia (3).

IV. Communicare liceret laico, qui ieiunii laesi recordareter tantum quando iam scamno communicantium assideret. Idem dicendum, si quando puer, primam Communionem solemniter facturus, aliquid casu sumpsisset, et in dilatione essent incommoda paria iis quae supra supposuimus in neomysta, praesertim si pertineret ad familiam minus piam et laesio ieiunii occulta esset.

De irreverentia vitanda et **Sacrificio perficiendo.**, 153. quae sunt 3ª et 4ª causa excusans a ieiunio naturali. Quod attinet ad *necessitatem* et inde *obligationem perficiendi* Sacrificii, etiam a non ieiuno, vide Rubr. Miss. de def. III, n. 5 sq., IV, n. 5, X n. 3. — Sed praeterea partim ex *unione morali* cum Sacrificio iam perfecto, partim ex causa irreverentiae erga S. Eucharistiam vitandae oriri potest *licentia* quandoque certa, quandoque proba-

(1) N. 287.

(2) Sporer abrumpendum esse dicit « si Missa privatim celebretur, *uno tantum Ministro vel altero bene noto praesente* ».

(3) Cfr. La Croix n. 582; Ball.-Palm. n. 173; ed. 3ª n. 945.

bilis sumendi S. Speciem post laesum ieiunium. Qua de re resolves cum Lehmkuhl (1):

Si ciborium quo Sacerdos statim indiget, purificari *debet*, Sacerdos vero ex oblivione purificationem calicis iam sumpsit, nihilominus generatim licet *parvas reliquias in ciborio* inventas colligere et sumere. Ita saltem, si accidet ut aliter vix possit reverentia S. Eucharistiae debita servari, atque tempus pro renovandis S. Speciebus et purificando ciborio praescriptum retineri. Integram autem Hostiam multo difficilius sumi licebit, ut quae etiam servari possit ad sequentem diem.

II. *De aliis fragmentis* (2) S. Speciei, si forte inveniuntur, haec statui possunt.

1° Consulto quidem numquam ita agere licet, ut non ieiunus debeat S. particulam postea sumere, at si tandem post ieiunium per ablutionem laesum invenit fragmenta ad *idem Sacrificium* spectantia, ea sumere *debet*, si adhuc est ad Altare, imo communius cum Ben. XIV dicunt idem faciendum, etsi sit in Sacristia sacris vestibus nondum exutis. Imo si Sacerdos iustam causam habet particulas pro fidelium Communione consecratas post suam Missam potius quam intra illam distribuendi, idque non ex pyxide, sed ex patena, Ben. XIV absolute concedit ut etiamtum fragmenta sumantur.

2° Si fragmenta non sunt de eodem Sacrificio, aut si de eodem quidem Sacrificio sunt, sed inveniuntur a Sacerdote sacris vestibus iam exuto, sumenda non sunt nisi accedit periculum irreverentiae, sc. si post ultimam Missam inveniuntur et a) aut deest tabernaculum, vel decens locus ubi conserventur, b) aut particulae minutissimae sunt, quae sine periculo ne ad tabernaculum quidem deferri possint.

3° Quod de fragmentis dicitur, non potest intelligi de Hostia integra, aut tali parte quae commode usui esse potest in fidelium Communione; nam ut haec a non ieiuno sumi liceat, requiritur ut post ultimam Missam desit locus decens, quo S. Hostia asservetur, et simul sine graviori incommodo deferri ad alium locum non possit. Sub illis autem conditionibus etiam integra Hostia post ablutionem sumenda est, ut ipsa Rubr. Miss. disponit (3).

(1) N. 142, 4 sq.

(2) Conveniunt ea quae Sporer habet l. c. n. 477.

(3) Cfr. Ben. XIV *de Sacrif. Missae* Lib. 3, cap. 17, n. 3-5.

§ II. — *De Reverentia debita.*

154. I. **Decentia habitus** ostendenda multum dependet a locorum consuetudinibus et personarum conditionibus. Peccari potest ab omnibus incuriâ et negligentiâ, accedendo vestibus laceris, sordidis etc.: sed praesertim a mulieribus vana superfluitate, magis etiam si accedant pectore non satis cooperto, vel indecenti ornatu amictae.

II. **Corporis maculae** generatim vix attenduntur nisi sint *notabiles, externae et delebiles:* quae si *brevi* auferendae sperentur, et Communio *commode* differri possit, *decet* eam differri.

III. **De actu coniugali, pollutione,** aliisque luxuriae actibus, quod attinet ad S. Communionem die eâdem, vel post noctem, qua acciderint, proxime sequente, recipiendam, plura AA. disputant, pleraque pro praxi vix non inutilia. Breviter noto praecipua.

1° *Numquam* ex hisce oritur *gravis obligatio* abstinendi, posito sc. peccatum mortale, si contigerit, esse Confessione deletum.

2° Si contigerint cum peccato certo gravi, hoc etiam Confessione remisso, faciunt ut (sub veniali) (1) a S. Communione ea die sit abstinendum, nisi aliud Confessario videatur (1). — Idem dicunt de copula coniugali ex mera voluptate, adeoque cum peccato veniali habita (2).

3° Ratio praecipue habenda est maligni harum rerum effectus, sive voluntarie sive involuntarie, sive cum sive absque culpa acciderint. Qui sc. effectus solet esse vèl 1) sola generalis ineptitudo, seu positiva, dicam, indispositio ad devotionem; vèl 2) quod insuper relinquunt phantasiam variis et inhonestis speciebus perturbatam, aut etiam pravas commotiones sensibiles. In utraque, sed magis in posteriori hypothesi adesse poterit obligatio sub veniali, sed haec disiunctiva erit, sc. vèl abstinendi a S. Communione, vèl adhibendi conatum ad superandum impedimentum illud devotionis (3).

---

(1) Rubr. Miss. de def. IX, n. 5. Sporer l. c. n. 494 absolute ut certum et commune tradit: « non impedit ratione sui ipsius ».

(2) Hic tamen Sporer consentit et alios consentire dicit.

(3) Sporer l. c. n. 496; Ball.-Palm. n. 143 sqq.; ed. 3ª n. 924 sqq.

ARTICULUS V.

DE OBLIGATIONE SUMENDI SS. EUCHARISTIAM.

155. I. **Praeceptum** suscipiendi S. Eucharistiam divinum obligat 1° *aliquoties* in vita, 2° *circa vitae finem;* ecclesiasticum semel quotannis saltem *in Paschate.*

II. *Speculative obligatio* frequentius communicandi, ob specialem necessitatem, certo dari *potest,* saltem conditionate, nisi nempe alia media efficacia diligenter adhibeantur; sed *practice* praestat hanc frequentiorem Communionem sine ulla obligatione *vehementer commendare* iis qui gravibus tentationibus, praesertim contra castitatem, vexantur, eosque monere, quod experientia comprobat — vix aliâ viâ quam Communione, saltem hebdomadaria, concupiscentiam domitum iri (1).

§ I. — *De Communione annua.*

156. I. **Communione annua** secundum omnes simul et integre satisfit praecepto divino, de quo n. pr. I, 1°.

II. Tempus paschale ex iure Communi currit a Dominica Palmarum ad Dominicam in Albis inclusive; sed in Episcopi potestate est hoc tempus ex causa prorogare (2).

III. Circumstantia haec temporis sub gravi est observanda, ita ut quotiescumque alio tempore quis iam communicaverit, adhuc sub gravi eo tempore teneatur.

IV. Tempore paschali iam currente qui praevidet impedimentum in reliquum tempus, hoc praevenire tenetur: eo tempore nondum inchoato obligatio praeveniendi non est (3).

V. *Excipit* ipsum Conc. Lat.: « nisi forte *de consilio* proprii Sacerdotis (seu *Confessarii*) ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum ». Sed extra hunc casum

---

(1) Génicot n. 206.

(2) S. C. C. apud Fagnanum in Lib. V Decr. Tit. 38, cap. XII, n. 46.

(3) Tom. I, n. 95, IV.

VI. Quaeritur num qui tempore paschali non communi- 157.
cavit, teneatur supplere?

Resp. I. Multo *communius,* et ideo saltem *probabilius affirmant.* Rationes patebunt ex mox sequentibus.

II. Alii *negant.* « Hanc (sententiam), ait S. Lig. (1) tenent *plures graves AA.*, (eamque) non contemnendam puto, saltem quia *ex neutro praecepto,* divino ac ecclesiastico, *constat* haec obligatio ». *Rationes:* 1ª Non constat Ecclesiam suo praecepto determinasse praeceptum *divinum ita* ut *hoc* vi illius determinationis obligaret singulis annis; hoc enim Ecclesia numquam declaravit: aliunde autem non constat praeceptum divinum per se obligare singulis annis. Ergo non constat de praecepto divino. 2ª Verba illa: « semel saltem in anno ad minus in Pascha » (Conc. Lat.), « singulis annis saltem in Paschate » (Conc. Trid.) non ita clare continent duplex praeceptum, seu non ita clare excludunt interpretationem ex qua ultimis verbis *tota* obligatio *restringitur* ad tempus paschale. Neque ergo constat de praecepto ecclesiastico.

Vota 1. Sunt qui priorem sententiam ita limitant, ut obligatio post tempus paschale *brevi, non diu,* perduret (2).

2. Prioris *(brevi)* sententiae patroni *non conveniunt* utrum, necne, in casu sit obligatio communicandi *quamprimum.*

Communionem paschalem ex universali consuetudine, 158.
pluribus S. Sedis Constitutionibus et Decretis sancita, constat recipiendam esse a proprio Pastore, et consequenter per se in sua cuiusque Ecclesia parochiali, ut sc. oves agnoscant Pastorem, Pastor cognoscat oves.

I. Circumstantia haec obligat sub gravi, ita ut alibi vel ab alio Communionem suscipiendo per se non satisfiat praecepto. Quamquam non desunt qui sentiant una alterave vice Parochi consensum *praesumere* ad alibi communicandum non esse mortale. Quae sententia admitti posse videtur, si intelligatur de consensu *cum ratione* praesumpto (3).

---

(1) N. 297.
(2) Cfr. Génicot n. 208, 3.
(3) Cfr. infra V, Nota.

II. *In Ecclesia Cathedrali* dioecesani omnes satisfacere *videntur, si ab ipso Ordinario* S. Communionem recipiant; *secus negandum videtur* (1).

III. Ab Ordinario vel a Parocho extra propriam Ecclesiam celebrante qui S. Communionem recipit, secundum alios per se satisfacit (2); secundum alios *non* satisfacit, *nisi* Pastor *et* advertat *et* probet, quia sc. in hypothesi Pastor neque iure suo administrat, neque eius auctoritas recognoscitur (3).

VI. Eximuntur 1° Sacerdotes celebrantes certo, mere *communicantes probabiliter,* cum lex de iis proprie non loquatur (4) 2° vagi ut qui propriam parochiam non habeant; 3° peregrini, qui commode ad parochiam suam redire non possunt; 4° familiares Regularium stricte dicti.

V. Dispensationem seu licentiam alibi communicandi concedere possunt Episcopi, Vicarii generales et Parochi, qui sc. omnes sunt proprii Pastores. — Sufficit quidem *licentia praesumpta,* sed cum hic *de iure* Parochi agatur, cum S. Lig. (5) restringendum hoc videtur: « *modo* adsit certitudo moralis de voluntate Parochi ». Qua de re.

Nota cum Génicot (6): Facilius haec licentia praesumi potest *in magnis civitatibus,* in quibus permulti a Communione Paschali abstinent, et nequaquam a Parocho suo agnoscuntur, cum ibi fere adaequate cessaverit finis legis. In his ergo locis sinere potest Confessarius ut in quavis ecclesia communicent *ii, qui* asserunt se neque in parochia communicare, neque a Parocho licentiam petere posse. Ubi enim serium periculum est, ne fideles tepidi malint a Communione abstinere quam Parochiam adire, vel spernant legem cuius rationem non percipiant, merito praesumi potest Parochi vel Ordinarii consensus (7).

---

(1) Ex Resp. S. C. Ep. et Reg. 21 Ian. 1848.
(2) Gfr. Génicot n. 209.
(3) Ball.-Palm. n. 225; ed. 3ª n. 986.
(4) Id. n. 220; ed. 3ª n. 982.
(5) N. 300.
(6) Ib. V.
(7) Berardi, *Prax. Conf.* n. 546, IV, pag. 463; Frassinetti I, not. 92.

Idem quandoque dicendum si quis invincibilem repugnantiam experitur, quominus a Parocho Communionem accipiat vel licentiam petat (1).

VI. Qui in Parochia sacrilege communicavit, *circumstantiae* loci *satisfecit, substantiae* praecepti *non satisfecit* (2); quare tenetur iterum communicare sed non iterum in propria Parochia.

VII. Aegrotus qui *domi a Parocho* eiusve delegato S. Communionem accepit, certo *satisfecit.*

§ II. — *De Viatico.*

Quaeritur, num teneatur quis **Viaticum** suscipere instante mortis periculo, si paucis ante diebus ex devotione communicaverit? 159.

Resp. I. *Plures affirmant* quia obligatio haec *annexa est periculo* mortis; quare ante ei satisfieri non potuit.

II. *Communius negant,* quia, ut ex fine praecepti deducitur, illud obligat solum ad communicandum *paulo ante mortem;* quare neque par et similis est ratio, ab aliis allata, de Communione Paschali.

Utraque sententia probabilis. Affirmantem opinionem secutum est Conc. Prov. Ultraj. Tit. IV, Cap. VII.

Quid si quis eadem die, qua communicavit ex devotione, incidit in periculum mortis? 160.

Resp. Quatuor sententiae dantur.

I. Alii dicunt eum posse et teneri iterum communicare; quia cessat prohibitio Ecclesiae propter praeceptum divinum.

II. Alii censent eum *non teneri,* sed tamen posse; 1^{m} quia iam satisfecit, n. pr. II; 2^{m} quia in casu Ecclesia non praesumitur urgere suam prohibitionem.

III. Alii sentiunt eum non teneri nec posse generatim; sed *excipiunt* casum periculi seu morbi violenti, cuius nempe causa mane nondum existebat; v. gr. si quis ex alto ceciderit, vel

(1) Gousset, n. 226.

(2) Tom. I, n. 91, II, 3°.

vulneratus fuerit, aut subito morbo correptus; et tunc S. Lig. (1) dicit eum posse et teneri secundum ipsius sententiam ad qu. pr. I.

IV. Alii tandem, imo communiter, testatur De Lugo l. c., contendunt *absolute* eum nec teneri nec posse; quia non habetur ratio sufficiens, cur cesset prohibitio Ecclesiae; praeceptum divinum vero vèl iam est impletum, n. pr. II, vèl secus potius cessaret in casu illud, quam prohibitio tam gravis Ecclesiae.

In praxi « integrum erit Parocho eam sententiam complecti quae sibi magis arriserit ». Bened. XIV (2).

161. Qui sacrilege Viaticum suscepit, per se iterum obligatur; *sed* prudens Confessarius videat num expediat, necne, moribundum de stricta obligatione monere; quod utique, si sola exhortatione persuadere moribundo non potuit, generatim non expediet.

Si autem Viaticum iterum administretur, fiat alia die praetexendo Communionem ex devotione. Quodsi tempus ad id non suppetat, vel si hic modus non satis provideat famae infirmi, videtur esse ratio sufficiens Viaticum clanculo deferendi. Hoc in casu etiam Confessarius Regularis posset Viaticum clanculo deferre, ne infirmi sacrilegium prodat.

SECTIO II. DE SS. EUCHARISTIA SPECIATIM UT SACRIFICIUM EST.

CAPUT PRIMUM.

DE OBLIGATIONE CELEBRANDI ET APPLICANDI.

ARTICULUS I.

DE OBLIGATIONE PRAECIPUE CELEBRANDI (3).

162. Ratione solius Sacerdotii obligatio gravis celebrandi *quoties sit, controvertitur*. Satis communiter tenent adesse aliquoties: ter quaterve in anno, idque ex iure etiam divino. Alii tamen,

(1) N. 285. Probabilitatem huius opinionis non nego. Nota tamen S. Lig. non recte hanc opinionem attribuere Cardinali De Lugo, qui sc. hunc casum subiti periculi solum proponit per modum difficultatis; hanc autem Disp. XVI, n. 55 aliter solvit ac S. Doctor. De Lugo omnino tuetur 4^{m} sententiam.

(2) *De Syn. Dioec.* Lib. VII, cap. XI, n. 2.

(3) Sporer Tr. VIII, Sect. VI, n. 460 sqq.

non ita pauci, obligationem hanc, ex iure sive divino sive ecclesiastico, abstrahendo a speciali praecepto Episcopi (1) negant, vel ut non satis certam habent. Quod vero ratione scandali Sacerdos celebrare negligens graviter peccare potest, omnes admittunt; sed hoc peccatum, ut patet, e circumstantiis pendet (2).

Ratione officii ii qui curam habent animarum, toties quo- **163.**
ties populus sibi commissus obligatur Missam audire, tenentur celebrare vel curare ut celebretur; praeterea quoties ratio muneris id exigit. At plerumque tunc simul aderit obligatio applicandi.

Ratione beneficii est obligatio celebrandi toties quoties **164.**
in fundatione exprimitur.

Nisi aliter exprimatur, *praesumitur* 1° obligatio etiam applicandi ipsi fundatori vel ad ipsius intentionem; 2° posse satisfieri per alium; 3° quodsi fundator non omnes celebrandas Missas, sed harum certum numerum iusserit sibi vel ad suam intentionem applicari, reliquarum applicatio praesumitur libera.

Qui tenetur quotidie ipse celebrare, ex iusta causa potest interdum omittere Sacrum. Qui etiam quotidie applicare debet, potest aliquoties, puta sexies in anno, pro se vel aliis celebrare, non vero stipendium accipere. In utraque hypothesi, si onus immediate incumbit communitati, Ecclesiae etc., qui non celebrat vel applicat, debet semper per alium satisfacere. In priori hypothesi causae iustae censentur 1° *infirmitas;* quae si brevis sit, neque per alium supplere tenetur; brevem alii censent quindenae, alii unius mensis, alii duorum mensium infirmitatem; quae omnes opiniones videntur probabiles (3). Citantur quidem duae declarationes S. C. C. quasi contrariae duabus postremis opinionibus (4); sed hae non videntur rem dirimere (5). 2° *Religio,* qua ratione, hodiernis moribus attentis, concedendum videtur ut semel in mense Sacrum omittatur. 3° *Impedimentum* rationabile, ut iter faciendum, exercitia spiritualia peragenda (6).

(1) Cfr. Conc. Trid. Sess. 23, cap. 14 de Ref.
(2) Cfr. Génicot II, n. 224.
(3) S. Alph. L. VI, Tr. 3, n. 333.
(4) Cfr. Piat ad V. d. Velden II, n. 166; Noldin *De Sacramentis* n. 101, 2, *a*.
(5) Cfr. Ball.-Palm. Tom. IV, Tr. X, n. 1036.
(6) Cfr. Noldin l. c. *b*. et *c*. Cfr. ed. 3ª n. 195, 4, b.

165. Ratione obedientiae Superiores ecclesiasticos omnes celebrationem Missae ex iusta causa praecipere posse extra dubium est; num etiam applicationem, nisi fiat muneris vel beneficii ecclesiastici ratione, hoc non plane convenit inter AA.; magis vero constat hoc posse Superiores Regularium; qui pariter in suos subditos transfundere possunt obligationem *iustitiae* stipendiis susceptam (1).

166. Ratione promissionis, qui gratis Missam promisit, obligatur ex fidelitate vel ex iustitia, item sub gravi vel sub levi, atque per unum Sacrum plures promissiones implere potest vel non potest, prout se obligare intendit; per se minor obligatio est praesumenda (2).

ARTICULUS II.

DE APPLICATIONE MISSAE (3).

Hoc et sequenti articulo dicimus de Missae Sacrificio solum ut est propitiatorium (satisfactorium) et impetratorium: atque de solo fructu ministeriali (quem alii specialem dicunt, Scotus medium vocat) ut qui solus, vel certe praecipue, applicatione a celebrante facienda indiget, saltem ut alii quam ipsi Sacerdoti obveniat.

167. Applicari potest Missa generatim et per se omnibus qui et in quantum fructuum Missae sunt capaces, sive vivis sive defunctis; ita ut, capacitate hac supposita, sola attendenda sit positiva

Ecclesiae prohibitio. I. Relate ad vivos 1° Ecclesia prohibet ne *excommunicatis vitandis* Missa applicetur, saltem publice seu notorie. Privatim vero et secreto id licite fieri ad eorum conversionem nonnulli probabiliter docent: Ecclesia enim ipsa hunc finem quaerit, eiusque legem prohibentem non constat extendi debere ad applicationem privatam (4).

2° *Haereticis et schismaticis* Missa *privata* applicari potest, (non tamen eorum nomen publice denuntiari, ne scandalum oriatur) etiam accepto stipendio, sed, si ipsis petentibus fiat, solum pro

(1) Cfr. Tom. I, n. 90, I, et Lehmkuhl II, n. 206 sq.

(2) Cfr. Tom. II, n. 189.

(3) Sporer Tr. VIII, Cap. IV, S. IV, n. 267 sqq. et Cap. V, S. III, n. 329 sqq.

(4) Gasparri Tr. *de Euch.* I, n. 483; Cfr. quoque Wernz III, n. 542, Palm. ad Ball. IV, n. 1002, 6°, Génicot II, n. 582, II.

impetranda eorum conversione ad veram fidem; de qua intentione etiam ex eorum parte, in hac hypothesi, Sacerdoti satis constare debet; S. Off. 19 April. 1837. Extra hanc hypothesim ad alios quoque fines honestos idem videtur licere. — Missa *solemnis* solum pro principe regnante, i. e. pro eo et pro reipublicae prosperitate, offerri potest (1).

3° *Infidelibus* applicari potest, accepto etiam stipendio, ad quasvis eorum intentiones bonas, sc. modo scandalum absit, et nihil mali, sive erroris sive superstitionis subesse constet; S. Off. 12 Iul. 1865.

II. Relate ad defunctos generatim Missa offerri non potest, saltem publice et notorie, pro iis qui extra unionem externam cum Ecclesia defuncti sunt.

« Pro iis qui in manifesta *haeresi* » mortui sunt, non licet etiamsi « applicatio tantum Sacerdoti et illi qui dat eleemosynam nota esset » ; S. Off. 7 Apr. 1875 ; neque pro principibus defunctis.

« Attamen probabile est licite celebrari Missam privatam, et absque publica denuntiatione, pro heterodoxo qui cum indiciis vere probabilibus bonae fidei et status gratiae obierit. In quo casu tamen abstinendum esset a speciali oratione liturgica pro hoc defuncto recitanda, qualis in Missa pro die obitus reperitur: id enim pertinet ad publicam communicationem (2) ».

Pro defunctis *catholicis* excommunicatis toleratis etiam publice, pro vitandis autem, itemque pro publicis peccatoribus, si ante mortem signa poenitentiae dederint, occulte solum Missa offerri potest (3).

Nota 1° Relate ad Catechumenos, sive vivos sive defunctos, Ecclesia nihil prohibet.

2° Sacerdoti ut personae privatae, adeoque quoad fructus ex opere operantis ipsi obvenientes, item nihil speciatim Ecclesia prohibet.

Applicatio fructus ministerialis necessario facienda est 1° ab ipso Sacerdote celebrante, ita ut hic nemini, neque ipsi **168.**

(1) Génicot II, n. 221, 2°.

(2) Génicot II, n. 221, 1°; Cfr. Wernz III, n. 542; Gasp. l. c. Lehmk. II, n. 176.

(3) Cfr. Noldin, op. cit. n. 93, 2, *d.* Qui tamen in ed. 4ª n. 181 quoad hos omnes, ut dicta liceant, praetcrea requirit ut saltem post mortem ab excommunicatione absoluti fuerint.

Christo vel Deo, eam faciendam relinquere possit; 2° ante Consecrationem, saltem alterius speciei, quia Sacrificium hac essentialiter perficitur, ut recentiores plerique absolute docent; 3° per intentionem saltem habitualem, seu habitam et non revocatam; quae et sufficit, cum fiat per modum donationis; 4° determinata erga personam vel finem certa, explicite vel implicite: non omnino confusa, neque sub conditione suspensiva; necesse tamen non est ut determinatio intentionis fiat ab ipso celebrante, neque ut huic sit nota.

169. Resolves: per se sufficit intentio ante multum temporis elicita et determinata, puta initio mensis etc.; item intentio habita sed cuius oblitus es vel non iam recordaris, modo ne sit revocata; item intentio applicandi secundum ordinem ab alio, puta a Superiore eiusve vices gerente, constitutum, vel secundum ordinem quo stipendia data sunt.

Non sufficit intentio applicandi uni ex decem, a quibus accepisti stipendia, neminem ne implicite quidem determinando; sufficit vero si decem Sacra singula pro illis decem omnibus offeruntur. Ne applicetur pro primo qui stipendium daturus est, prohibuit Paulus V 15 Nov. 1605. Quo non videtur prohibitum ne applicetur personae determinatae, pro qua praevidetur Missas petitum iri.

Quodsi Sacerdos duas intentiones contrarias elicuit, neque patet utra alterius revocationem contineat, sed utraque videtur aequalis, alii posteriorem alii vero priorem intentionem praevalere sentiunt. In praxi, si casus acciderit, alia die celebretur ad intentionem quae non praevaluit, et sic certe res salva erit.

ARTICULUS III.

DE OBLIGATIONE ETIAM APPLICANDI (1).

§ I. — *De Obligatione ex Officio.*

170. **I. Subiectum obligationis.** Praecepto divino-naturali mandatum est omnibus, quibus cura animarum commissa est, pro his Sacrificium offerre (2); sc.:

(1) Sporer Cap. V, Sect. III, n. 351 sqq. et Sect. IV.

(2) Conc. Trid. Sess. 23, Cap. I, de Ref.

1° Episcopis dioecesanis, qui absolute, 2° Parochis, qui hypothetice iure divino obligantur, nim. quatenus Ecclesia ipsis hanc curam cum hoc onere commisit; 3° alterutrorum vices gerentibus *ex officio* competente auctoritate demandato.

II. Parochus qui habet duas parochias non unitas unione plenaria et extinctiva alterutrius, tenetur in utraque per se vel per alium applicare; S. C. C. 12 Mart. 1774. Aliud est de Episcopo in eadem hypothesi; Leo XIII Const. 20 Iun. 1882 *In suprema*

III. Non obligantur 1° Episcopi mere titulares; 2° neque Vicarii Apostolici et Missionarii, nisi forte Dioeceses et Parochiae erectae iam sunt, ipsique eo missi ut Episcoporum vel Parochorum vices gerant; 3° neque Vicarii Capitulares; S. R. C. 12 Nov. 1831; 4° neque Coadiutores Episcoporum vel Parochorum, etiamsi in determinata parte et independenter a Parocho ministerium exerceant, uti Rectores quos dicimus; 5° neque Superiores Regularium, certe non iure ecclesiastico: S. C. C. 25 Iul. 1859, et probabilius neque divino iure hypothetico (1).

Dies obligationis huius S. Sedes declaravit et statuit esse **171.** singulas Dominicas et de praecepto Festivas secundum Catalogum Urbani VIII (2), addito Festo Immaculatae Conceptionis B. M. V., etiamsi Festa quoad praeceptum sint suppressa.

Si Festum incidat in diem Dominicam unâ Missa satisfit.

Quoad dies Festos translatos, solum si una cum solemnitate etiam divinum Officium translatum est in diem Dominicam, pariter satisfit una Missa applicanda, sc. ea die Dominica; Pius IX Const. *Amantissimi* 3 Maii 1858.

---

(1) Cfr. Lehmk. n. 194, VI; Génicot n. 225 i. f.

(2) Sunt Festa: Nativitatis D. N. I. C., Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis duoque dies sequentes, Ascensionis, Pentecostes duoque dies sequentes, Trinitatis, Corporis Christi, Inventionis S. Crucis, Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis B. M. V., Dedicationis S. Michaelis, Nativitatis S. Ioannis Baptistae, SS. Petri et Pauli, S. Andreae, S. Iacobi, S. Ioannis, S. Thomae, SS. Philippi et Iacobi, S. Bartholomaei, S. Matthaei, SS. Simonis et Iudae, S. Mathiae, S. Stephani, SS. Innocentium, S. Laurentii, S. Silvestri, S. Ioseph Sponsi B. M. V., S. Annae Matris B. M. V., Omnium Sanctorum, atque Festum unius e praecipuis Patronis cuiusque regni, dioecesis, civitatis vel pagi (adeoque *loci* non Ecclesiae solius).

Indulta specialia quae a S. Sede obtenta forte fuerint, videantur in respectivis Statutis dioecesanis.

172. **Principalis obligatio,** etiam *realis* dicta, est ut pro populo celebretur, quae certo et semper gravis est, cuique semper per se vel per alium satisfaciendum, vel alio die supplendum est.

II. Accessorie est quoque obligatio 1° *personalis,* ut ab ipso curam animarum habente celebretur *per se,* non per alium; 2° *pro ipsis diebus* determinatis ab Ecclesia; 3° quoad Parochum insuper *localis,* i. e. ut celebretur in ecclesia parochiali. Non tamen obligatur Parochus ad cantandam Missam pro populo; et si intra limites Parochiae in ecclesia filiali aliquove sacello concursus est populi, licite quoque ibi celebratur (1).

Quae accessoria raro negligere veniale, saepius vero mortale videtur (2).

III. Impedimenta legitima ne ipse per se applicet, admittuntur 1° impotentia celebrandi physica vel moralis. 2° Duplex obligatio: accedente sc. obligatione, si parochus foret simul canonicus, ad Missam conventualem; 3° absentia; quae causa si sola adest, Parochus potest vèl ipse applicare ubi celebrat, vèl per alium in ecclesia parochiali satisfacere; S. C. C. 14 Dec. 1872; 4° quoad Parochos ita pauperes ut non possint respuere eleemosynas oblatas pro Missa tali die celebranda, Bened. XIV (3) Episcopis facultatem concessit opportune dispensandi, « ea tamen adiecta conditione ut tot Missas infra hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus festis infra eamdem hebdomadam occurrentibus iuxta peculiarem intentionem pii benefactoris obtulerint ».

§ II. — *De Obligatione ex Stipendio* (4).

173. **I. Stipendium** titulo sustentationis pro Missa, aliunde non debita, accipere licet Sacerdoti, etiam diviti (5).

---

(1) Lehmk. II, n. 196, 2, c).
(2) Id. ib. 3.
(3) Const. *Cum semper* 19 Aug. 1744.
(4) Sporer n. 356 sqq.
(5) Vid. Lugo Disp. XXI. Sect. I.

II. Iustum stipendium est, quod episcopali lege vel consuetudine loci est taxatum, aut communiter dari et recipi solet; quo maius *exigi* nequit, liberaliter vero oblatum accipi potest.

Taxam ab Episcopo statutam etiam regulares servare debent S. C. C. 15 Ian. 1639.

Potest etiam Episcopus prohibere ne minus stipendium sumatur; S. C. C. 16 Iul. 1689; non vero ne maius detur; S. C. C, 16 Ian. 1649. — Neque censeri unquam potest prohibitum ne, si misericordiae ratio ita postulaverit, minus stipendium accipiatur (1).

III. Maius stipendium accipi potest pro labore vel incommodo extraordinario, ut si Sacrum cantandum, solemniter, certo loco vel tempore celebrandum, vel iter longum conficiendum est, etc.

Neque illicitum videtur, si Sacerdos pinguioribus stipendiis ordinarie provisus respondeat petenti: « Non possum ipsemet stipendia tua exonerare nisi tantum tribuas, quantum alii tribuerunt ». Hoc pacto enim petentis libertatem non laedit (2).

I. Si *benefactor stipendium* Missarum *non determinavit*, ne- 174.
que ullo modo de eius voluntate constare potest, consueto stipendio standum est.

II. « Quodsi tribuens eleemosynam *numerum* Missarum celebrandarum *non praescripserit,* tunc tot Missas celebrari deberi, quot praescripserit Ordinarius secundum morem civitatis vel provinciae » respondit S. C. C., auctoritate Urbani VIII, ad 2^m^: Const. Inn. XII *Nuper* § 22.

III. Eadem S. C., ut supra, ad 5^m^, Const. cit. ib. « censuit, ubi *nullam certam elemosynam* testator *reliquit,* esse ab Episcopo praescribendam eleemosynam congruam, quae respondeat oneribus Missarum celebrandarum secundum morem civitatis vel provinciae ».

De Obligatione. Stipendio accepto intercedit contractus, con- 175.
sequenter oritur Sacerdoti obligatio iustitiae.

I. Principalis obligatio est, ut patet, Missam celebrandi et applicandi ad intentionem dantis; cfr. n. sq.

---

(1) Aertnys n. 123, Qu. 2°.
(2) Id. ib. Qu. 4°.

II. Secundariae obligationes sunt 1° celebrandi Missam tempore pacto vel intra modicum tempus; cfr. n. 177 et 179; 2° observandi circumstantias Missarum a dante stipendium impositas; cfr. n. 185 sqq. Quarum obligationum gravitas, praeterquam a dicendis n. sq., pendet tum ab intentione dantis stipendium, tum ab ipsis circumstantiis.

III. Leges ecclesiasticae hac de re praeterea latae praecipue sunt:

1°. Generatim et per se, ne Missa *manualis* ad certum stipendium celebranda suscepta, alteri, parte illius stipendii retenta, celebranda committatur (1); etsi eidem Sacerdoti celebranti et consentienti se maioris pretii stipendium seu eleemosynam accepisse indicasset (2) », seu: etsi hic *rogatus* consentiret: cfr. n. 182 sqq.

2°. Ne cum Missarum stipendiis mercatura exerceatur eive foveatur, secundum dicenda n. 182.

3°. Ut absolute tot Missae celebrentur, quot praescriptae fuerint (3); cfr. n. 190.

Quae tamen leges partim solum sunt positivae.

176. Ad n. pr. I. De principali obligatione, sc. Missam celebrandi et applicandi ad intentionem dantis, non convenit inter AA., undenam primario pendeat gravitas huius obligationis, e stipendio accepto an e Missa debita; atque hinc, num obligatio haec dicenda sit mere ex genere suo an magis absolute gravis. Itaque

1. Plures hoc posterius tenent, resolvuntque omissionem etiam unius vel alterius Missae esse per se grave peccatum. Pro ratione addunt, omissionem cedere in grave damnum dantis stipendium. Id recentiorum multi absolute docent, nixi praesertim, ut videtur, pluribus S. Sedis decretis et declarationibus, quae vel loquuntur de gravi obligatione, vel hanc supponunt.

2. Sed aliud sentiunt plures alii; qui pro ratione addunt, damnum hinc non videri communiter ita grave aestimari, illinc vero levi stipendio redimi posse.

---

(1) S. C. C., ut supra. Const. Inn. XII *Nuper* § 5.
(2) Bened. XIV Const. 30 Iun. 1741, *Quanta cura*, § 3.
(3) S. C. C. ib. § 3.

Equidem puto utrumque momentum, Missam sc. et stipendium, hic esse considerandum; attamen utroque iure, naturali et ecclesiastico, attento rem non esse satis certam; neque ullum novi documentum S. Sedis, quod obligationem esse absolute hoc sensu gravem, clare edicit.

Nota 1°. Sacerdos, qui nequit vel non vult celebrare Missam ex stipendio debitum, per se tenetur monere datorem, ut hic damnum spirituale cavere possit. Tenetur etiam ad restitutionem; sed haec, si stipendium sit levis materia, non potest esse sub gravi debita.

2° Etiam in severiori opinione admitti potest, eum qui e multis Missis, ad eamdem intentionem celebrandis, unam vel alteram omitteret, leviter solum peccare (1).

Ad n. 175, II, 1°. **De tempore satisfaciendi.** 177.

1. Pro urgente necessitate si Missa petita est, etiam brevi dilatione facile peccari, indeque restituendi obligatio oriri potest.

2. Si certa die celebranda est Missa, rationabilis causa dilationem unius alteriusve diei licitam reddere potest.

Si nullo modo tempus celebrandi est determinatum, vide dicenda n. 179.

Ad n. 175, II, 1°, et III; 1° ac 2°. De hisce praeter Const. 178.
cit. *Nuper* et Decretum S. C. C. *Vigilanti* 25 Maii 1893, latum est novissime, 11 Maii 1904, ab eadem S. C. C. Decretum *Ut debita,* cuius dispositionibus iam standum erit; quas recito, nonnulla alia eiusdem S. C. documenta addens, pauca etiam notans:

I. Quae sint, vel pro statutis in Decreto *Ut debita* habeantur ut **Missae manuales:**

« Declarat in primis Sacra Congregatio manuales missas praesenti decreto intelligi et haberi eas omnes quas fideles oblata manuali stipe celebrari postulant, cuilibet vel quomodocumque, sive brevi manu, sive in testamentis hanc stipem tradant, dummodo perpetuam fundationem non constituant, vel talem ac tam diuturnam ut tamquam perpetua haberi debeat.

---

(1) Aertnys n. 121, Qu. 2°.

Pariter inter manuales missas accenseri illas, quae privatae alicuius familiae patrimonium gravant quidem in perpetuum, sed in nulla Ecclesia sunt constitutae, quibus missis ubivis a quibuslibet sacerdotibus, patrisfamilias arbitrio, satisfieri potest.

Ad instar manualium vero esse, quae in aliqua ecclesia constitutae, vel beneficiis adnexae, a proprio beneficiario vel in propria ecclesia hac illave de causa applicari non possunt; et ideo aut de iure, aut cum S. Sedis indulto, aliis sacerdotibus tradi debent ut iisdem satisfiat (1) ».

179. **II. De tempore satisfaciendi.**

« Iamvero de his omnibus S. C. decernit: 1° neminem posse plus missarum quaerere et (2) accipere quam celebrare probabiliter valeat intra temporis terminos inferius statutos, et per se ipsum, vel per sacerdotes sibi subditos, si agatur de Ordinario dioecesano, aut Praelato regulari.

---

(1) Ad Qu.: « An Missae, quae ex onere perpetuo inhaerent ecclesiae, monasterio, confraternitatibus aut locis piis quibuscumque, sed in nulla ecclesia sunt constitutae, ita ut a quolibet Sacerdote pro administratorum arbitrio ubivis applicari possint, accenseri debeant inter fundatas vel potius inter manuales ad effectum decreti »? S. C. C. 19 Dec. 1904 respondit: « Habendas esse ad instar manualium ».

(2) 1° Illud « *et* » alii accipiunt in sensu proprio seu coniunctionis, ita ut prohibitio haec duo simul respiciat, non autem posterius solum sine priore; alii disiunctive intelligunt, ita ut aequivaleat voci « *vel* », adeoque prohibitio aeque cadat in accipientem ac in quaerentem. In priori opinione, quam probabiliorem habemus, contra hunc articulum non agit ille, qui Missas sponte oblatas plures quam intra terminos statutos ipse celebrare potest, mere accipit, puta cum intentione eas committendi Sacerdotibus sibi amicis quos novit iis indigere.

2° Consensus dantium stipendia reddere potest licitum id quod per se non liceret: qui consensus tum explicitus tum implicitus esse potest; cfr. art. 3. Quinimo putamus quandoque pro circumstantiis nihil obstare, vel etiam expedire ut consensus iste petatur.

3°. Observa tandem differentiam inter hunc articulum 1^{m} et articulos 8^{m} — 11^{m}: nim. 1) hic agitur de Missis nondum commissis, seu pro quibus celebrandis stipendia nondum sunt data, sed quae nunc quaeruntur et accipiuntur; ibi agitur de Missis iam alicui commissis. 2) Haec prohibitio non sancitur poenâ; illa sancitur art. 12. — Verum posito Missas quovis modo acceptas esse, attendendum est ad artt. 8^{m} sqq., puta ut aliis Sacerdotibus non aliter quam taxative committantur; etc.

2°. Utile tempus ad manualium missarum obligationes implendas esse mensem pro missa una(1), semestre pro centum missis, et aliud longius vel brevius temporis spatium plus minusve, iuxta maiorem vel minorem numerum missarum.

3°. Nemini licere tot missas assumere quibus intra annum a die susceptae obligationis satisfacere probabiliter ipse nequeat; salva tamen semper contraria offerentium voluntate, qui aut brevius tempus pro missarum celebratione sive explicite sive implicite ob urgentem aliquam causam desposcant, aut longius tempus concedant, aut maiorum missarum numerum sponte sua tribuant ».

III. De Missis, quibus primario oneratus suo tempore satisfacere nequit. 180.

« 4° Cum in decreto *Vigilanti* diei 25 mensis Maii 1893 statutum fuerit « ut in posterum omnes et singuli ubique locorum beneficiati et administratores piarum causarum, aut utcumque ad missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sive laici, in fine cuiuslibet anni missarum onera, quae reliqua sunt, et quibus nondum satisfecerint, propriis Ordinariis(2) tradant iuxta modum ab iis definiendum »; ad tollendas ambiguitates Emi Patres declarant ac statuunt, tempus his verbis praefinitum ita esse accipiendum, ut pro missis fundatis aut alicui beneficio adnexis obligatio eas deponendi decurrat a fine illius anni intra quem onera impleri debuissent: pro missis vero manualibus obligatio eas deponendi incipiat post annum a die suscepti oneris, si agatur de magno missarum numero; salvis praescriptionibus praecedentis articuli pro minori missarum numero, aut diversa voluntate offerentium.

---

(1) In hac ergo hypothesi (de una vel paucis Missis) dilatio ultra mensem est per se culpabilis; dilationem ultra *duos* menses si agitur de Missis pro recenter defunctis, secus dilationem ultra *tres* menses gravem reputant AA. satis communiter.

S. Sedes maiorem concedere potest dilationem; « non tamen ultra sex menses » ordinarie conceditur.

Ex praesumpta offerentium voluntate et charitatis causa, aequus saltem aliquis numerus ex Missis pro *recenter* defunctis quantocius celebrandus esset; Aertnys n. 124.

(2) Sub nomine Ordinariorum venire quoque (in art. 7° huius Decreti, quod etiam huc applices) Praelatos Regulares pro suis respectivis subditis, respondit S. C. C. 27 Febr. 1905.

Super integra autem et perfecta observantia praescriptionum quae tum in hoc articulo, tum in praecedentibus statutae sunt, omnium ad quos spectat conscientia graviter oneratur.

5° Qui exuberantem missarum numerum habent, de quibus sibi liceat libere disponere (quin fundatorum vel oblatorum voluntati quoad tempus et locum celebrationis missarum detrahatur), posse eas tribuere praeterquam proprio Ordinario aut S. Sedi, sacerdotibus quoque sibi benevisis, dummodo certe ac personaliter sibi notis et omni exceptione maioribus ». Sed cfr. n. sq. Decr. 22 Maii 1907, I et II.

« 6° Qui missas cum sua eleemosyna proprio Ordinario aut S. Sedi tradiderint ab omni obligatione coram Deo et Ecclesia relevari.

Qui vero missas a fidelibus susceptas, aut utcumque suae fidei commissas, aliis celebrandas tradiderint, obligatione teneri usque dum peractae celebrationis fidem non sint assequuti; adeo ut si ex elemosynae dispersione, ex morte sacerdotis, aut ex alia qualibet etiam fortuita causa in irritum res cesserit, committens de suo supplere debeat, et missas satisfacere teneatur.

7° Ordinarii dioecesani missas, quas ex praecedentium articulorum dispositione coacervabunt, statim ex ordine in librum cum respectiva eleemosyna referent, et curabunt pro viribus ut quamprimum celebrentur, ita tamen ut prius manualibus satisfiat, deinde iis quae ad instar manualium sunt. In distributione autem servabunt regulam decreti *Vigilanti*, scilicet « missarum intentiones primum « distribuent inter sacerdotes sibi subiectos, quos eis indigere no- « verint; alias deinde aut S. Sedi, aut aliis Ordinariis committent, « aut etiam, si velint, sacerdotibus extra-dioecesanis dummodo sibi « noti sint omnique exceptione maiores », firma semper regula art. 6 de obligatione, donec a sacerdotibus actae celebrationis fidem exegerint(1) ». Sed cfr. sequens Decretum.

---

(1) Archiep. Leopoliensi Ruthenorum ad Qu. III. « An in casu art. 7 pro sacerdotibus, qui ab Ordinario stipendia accipiunt, termini currant non a die, quo primarii offerentes stipendia dederunt, sed ex concessione Apostolicae Sedis a die, quo Ordinarius ipsis tribuit ». S. C. C. 27 Febr. 1905 respondit: « *Affirmative*, id est obbligationem incipere a die quo sacerdotes Missas celebrandas ab Ordinario recipiunt ».

Et Superiori Gen. Congr. a Sp. S. ad Qu. II. « An Episcopi dioecesani et Praelati Regulares, qui aliis Episcopis seu Praelatis Regularibus Missas cum sua

Hic praescriptis S. C. C. Decreto 22 Maii 1907, confirmato a Pio X, tria addidit; nim.: **181.**

« I. Ut in posterum quicumque Missas celebrandas committere velit (1) Sacerdotibus, sive saecularibus sive regularibus extra dioecesim commorantibus, hoc facere debeant per eorum (2) Ordinarium, aut ipso saltem audito atque annuente.

II. Ut unusquisque Ordinarius, ubi primum licuerit, suorum sacerdotum catalogum conficiat, describatque Missarum numerum, quibus quisque satisfacere tenetur, quo tutius deinceps in assignandis Missis procedat.

III. Denique si qui vel Episcopi vel sacerdotes velint in posterum Missas, quarum exuberet copia, ad Antistites aut presbyteros ecclesiarum quae in Oriente sitae sunt, mittere, semper et in singulis casibus id praestare debebunt per S. Congregationem Propagandae Fidei (3) ».

Hisce tandem accessit S. C. de Prop. Fide

---

eleemosyna celebrandas tradiderint, ab omni obligatione coram Deo et Ecclesia relevati censeantur; an potius obligatione teneantur usque dum peractae celebrationis fidem sint assequuti ». S. C. C. 27 Febr. 1905 respondit: *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad secundam ».

(1) Probabiliter hoc non extendendum videtur ad fideles qui libere, adeoque ex propriis bonis, Missarum celebrandarum tribuunt stipendia; sed restringendum ad eos qui onus celebrandarum Missarum susceperunt: hos autem sive ecclesiasticos, puta Sacerdotes Missarum copiam habentes, sive laicos, puta testamentorum executores. Nouv. Rev. théol. 1907, pag. 436.

(2) Observa dici non per *suum* seu committentium, neque per *loci,* sed per *eorum,* quibus nim. committuntur, Ordinarium. Ibid. Hoc tamen non impedit, quominus quisque Missas cum sua eleemosyna tradere possit proprio Ordinario, cuius tum erit observare hoc praescriptum.

(3) Propositis dubiis; I. « Num Delegati Apostolici comprehendantur dispositione art. III decreti *Recenti* 22 Maii 1907, quo missae directe mitti vetantur ad Antistites et Presbyteros ecclesiarum quae in Oriente sitae sunt? ». — II. « Num Superiores Ordinum et Institutorum intentiones missarum cum eleemosynis annexis ad suos subditos in Oriente degentes directe mittere possint? » S. C. C. 9 Sept. 1907 respondit: « Ad I^{m} Negative ita ut nempe mitti possint ad praefatos Rmos Delegatos Missarum intentiones cum respectiva eleemosyna, ut eas distribuant dumtaxat praelatis et sacerdotibus delegationis suae. Ad II^{m} affirmative et taxative pro religiosis subditis suis, non vero pro ceteris ».

Ad quae annotat Vermeersch *De Religiosis et Missionariis supplementa et monumenta periodica* Tom. 4, N. 2, pag. 153: ad I^{m}, de Vicariis et Praefectis apostolicis latinis qui in Oriente iurisdictionem suam exercent, idem videri di-

Instructio 15 *Iul.* 1908.

De ratione qua Missae ad Orientales Ecclesias sint transmittendae.

Cum plures praelati enucleatas instructiones postulaverint circa modum quo transmitti possint Missae ad Ecclesias rituum orientalium, haec S. C. ad tramites recentiorum decretorum, has distinctas normas proponit ab omnibus adamussim servandas:

1° Si qui velint Missas, quarum exuberet copia, ad Ecclesias rituum orientalium mittere, hoc praestare possunt non modo per hanc S. C., uti praecipitur in Decreto *Recenti* S. C. Concilii (die 22 Maii 1907) sed etiam per Rmos Delegatos Apostolicos in regionibus orientalibus constitutos. Quo in casu necesse est significare Delegatis Apostolicis quot Missae et quae stipendiorum summa tradi debeant praelatis orientalibus intra cuiusque Delegationis ambitum existentibus.

2° Nullatenus licet eleemosynas mittere ad viros laicos qui postea eos distribuant sacerdotibus Missas celebraturis.

3° Neque licet celebrationem Missarum directe committere presbyteris orientalibus.

4° Vetitum etiam est eleemosynas directe mittere ad Superiores Congregationum Regularium orientalium.

5° Imo neque licet Missas directe committere Praelatis orientalibus qui vel Episcopi sint titulares vel simplices Vicarii Patriarchales.

6° Si vero agatur de Antistitibus habentibus iurisdictionem ordinariam episcopalem in Oriente, Missarum intentiones cum relativa eleemosyna ab episcopis et sacerdotibus ad ipsos Antistites directe mitti possunt pro necessitatibus sacerdotum dumtaxat iis subiectorum, uti declaravit S. C. Concilii die 18 Martii 1908. Ne

---

cendum quod S. C. affirmavit de Delegatis apostolicis. Ad II^m^, non liquere, utrum S. C. voluerit ad ceteros religiosos (mittenti non subditos) transferre regulam specialem Orientalium, an mere urgere primum statutum ipsius decreti *Recenti*. Verum, utcumque se res ista habet, fas esse eleemosynas receptas tradere huiusmodi (religioso) Ordinario qui commoretur in Occidente; atque ipsum Ordinarium minime prohiberi ad subditos suos in Oriente missas mittere.

antem, ex pluribus locis simul, multae eleemosynae confluant in unam et eandem Dioecesim (quod nimiam dilationem in Missis celebrandis secum ferret); ideo qui committit eleemosynas alicui Praelato orientali, certiorem faciat de numero Missarum etiam Delegatum Apostolicum regionis ad quem spectat vigilare ut Missae, ea qua par est sollicitudine, celebrentur.

IV. De mercatura non exercenda vel fovenda, et de integro stipendio in sua specie tradendo celebranti; generatim saltem, cfr. n. 184. 182.

« 8° Vetitum cuique omnino esse missarum obligationes et ipsarum eleemosynas a fidelibus vel locis piis acceptas tradere bibliopolis et mercatoribus, diariorum et ephemeridum administratoribus etiamsi religiosi viri sint, nec non venditoribus sacrorum utensilium et indumentorum, quamvis pia et religiosa instituta, et generatim quibuslibet, etiam ecclesiasticis viris, qui missas requirant, non taxative ut eas celebrent sive per se sive per sacerdotes sibi subditos, sed ob alium quemlibet, quamvis optimum, finem. Constitit enim id effici non posse nisi aliquod commercii genus cum eleemosynis missarum agendo, aut eleemosynas ipsas imminuendo: quod utrumque omnino praecaveri debere S. Congregatio censuit. Quapropter in posterum quilibet hanc legem violare praesumpserit aut scienter tradendo missas ut supra, aut eas acceptando, praeter grave peccatum quod patrabit, in poenas infra statutas incurret ». Cfr. n. 179, nota ad art. 1 sub 3°.

« 9° Iuxta ea quae in superiore articulo constituta sunt decernitur, pro missis manualibus stipem a fidelibus assignatam, et pro missis fundatis aut alicui beneficio (quae ad instar manualium celebrantur) (1) eleemosynam iuxta sequentes articulos propriam, numquam separari posse a missae celebratione, *neque in alias res commutari aut imminui* (2), sed celebranti ex integro et in spe-

(1) Nota ex Resp. S. C. C. 19 Dec. 1904 ad II « *non posse* » Sacerdotes, quibus a rectoribus seu administratoribus ecclesiarum committitur satisfactio unius aut plurium legatorum Missarum, in ecclesia fundatorum,... pro suo arbitrio committere earum Missarum celebrationem aliis sacerdotibus cum minori eleemosyna etiam extra ecclesiam propriam ».

(2) Attamen Episcopo Bredanensi S. C. C. 27 Febr. 1905 ad I et III respondit: « Attentis omnibus... consuetudinem sustineri » qua sc. cum victu et

cie sua esse tradendam, sublatis declarationibus, indultis, privilegiis, rescriptis sive perpetuis sive ad tempus, ubivis, quovis titulo, forma vel a qualibet auctoritate concessis et huic legi contrariis (1).

10° Ideoque libros, sacra utensilia vel quaslibet alias res vendere aut emere, et associationes (uti vocant) cum diariis et ephemeridibus inire ope missarum, nefas esse atque omnino prohiberi. Hoc autem valere non modo si agatur de missis celebrandis, sed

---

servitio Vicariis (adiutoribus) suis a Parochis praestando commutantur stipendia Missarum, vel haec, si pinguiora sunt, eumdem in finem imminuuntur, ita tamen ut non plus retineatur quam honesta compensatio postulat. — Simile responsum dedit eadem die Episc. S. Deodati, addens: « dummodo et quousque excessus in modo aut alius abusus non oriatur ». — Contra, praxim, inductam ad providendum honestae suae sustentationi, retinendi partem stipendi v. gr. 40 %, ut saepe contingere exponebatur, pro administratione et publicatione Missarum quas parochi e suggestu publicant et alibi celebrari curant: S. C. Episc. Bred. ad II respondit: « non sustineri et ad mentem ». — Videtur ergo vel non absolute prohiberi ne *aliquid* in hypothesi necessitatis et ob istam rationem retineatur, vel saltem Indultum quo hoc liceat, obtineri posse.

De eo qui indebite partem stipendii retinuit, num violaverit striclam iustitiam, ita ut ad restitutionem obligetur, non plane convenit inter AA. Plerique affirmant, praesertim recentiores; nonnulli cum multis antiquioribus etiamnum negant vel dubitant: quia contrarium non probatur ex iure naturae, e quo satisfieri potest per alium, nisi onus personale sit impositum; quod autem ex iure canonico affertur, commode accipi potest de plena liceitate attenta prohibitione Ecclesiae. Cfr. Génicot II, n. 231. Quocum observa, negantem sententiam nequaquam extendendam esse ad executorem testamenti qui retineret sibi partem summae quam in stipendia Missarum erogare debuisset. Idem dicas, cum Bened. XIV Const. *Quanta cura* § 1 sq., de iis qui stipendia colligunt, Missasque celebrari curant alibi ubi minora sunt stipendia.

(1) Huic legi contraria non videtur, atque adeo neque hoc articulo reprobata praxis qua Sacerdotes permutant intentiones et dies celebrandi, non permutatis stipendiis, etsi forte haec sint inaequalia; de qua circumstantia neque sese interrogare solent: id quod usuvenit et locum habet potissime sive quia urget obligatio celebrandi sive quia notae Missarum commodius et exactius servantur. Etenim aliud formaliter est permutare Missam et diem, aliud retinere partem stipendii; quod posterius solum S. Sedes damnavit. Praeterea, si opus est, adest tacita et spontanea utrinque condonatio. Quare neque apparet illa turpis lucri species, ob quam S. Alph. n. 321, dub. 4, id damnavit peccati venialis. Quin etiam voluntas, si haec supponitur, retinendi maioris stipendii non est per se turpis, sed honestissimos fines habere potest. Ball.-Palm. IV, Tr. X, Sect. IV, n. 258, ed 3ª n, 1018; Génicot n. 231, VIII; Noldin n. 99, *c;* Croix II, de Sacrif. Missae n. 134; alii.

etiam si de celebratis, quoties id in usum et habitudinem cedat et in subsidium alicuius commercii vergat (1).

11° Item sine nova et speciali S. Sedis venia, (quae non dabitur nisi ante constiterit de vera necessitate, et cum debitis et opportunis cautelis), ex eleemosynis missarum, quas fideles celebrioribus Sanctuariis tradere solent, non licere quidquam detrahere ut ipsorum decori et ornamento consulatur ».

V. Poenae statutae in contravenientes articulis 8-11. 183.

« 12° Qui autem statuta in praecedentibus articulis 8, 9, 10 et 11, quomodolibet aut quovis praetextu perfringere ausus fuerit, si ex ordine sacerdotali sit, suspensioni *a divinis* S. Sedi reservatae et ipso facto incurrendae obnoxius erit; si clericus sacerdotio nondum initiatus, suspensioni a susceptis ordinibus pariter subiacebit, et insuper inhabilis fiet ad superiores ordines assequendos; si vero laicus, excommunicatione latae sententiae Episcopo reservata obstringetur.

13° Et cum in const. *Apostolicae Sedis* statutum sit excommunicationem (2) latae sententiae Summo Pontifici reservatae subiacere « colligentes eleemosynas maioris pretii, et ex iis lucrum « captantes, faciendo eas celebrare in locis ubi missarum stipendia « minoris pretii esse solent » S. C. declarat, huic legi et sanctioni per praesens decretum nihil esse detractum ».

VI. Exceptiones seu casus quibus non est obligatio tribuendi integrum stipendium. 184.

« 15° Denique quod spectat missas beneficiis adnexas quoties aliis sacerdotibus celebrandae traduntur, Eminentissimi Patres declarant ac statuunt, eleemosynam non aliam esse debere quam synodalem loci in quo beneficia erecta sunt.

Pro missis vero in paroeciis aliisque ecclesiis fundatis eleemosynam, quae tribuitur, non aliam esse debere quam quae in fundatione vel in successivo reductionis indulto reperitur in perpetuum taxata, salvis tamen semper iuribus, si quae sint, legitime

---

(1) Observa prohibitionem hanc supponere duo, sc. consuetudinem atque subsidium alicuius commercii.

(2) Legas: excommunicationi.

recognitis sive pro fabricis ecclesiarum, sive pro earum rectoribus, iuxta declarationes a S. C. exhibitas in *Monacen.* 25 Iulii 1874 *Hildesien.* 21 Ianuarii 1898.

In *Monacen.* enim « attento quod eleemosynae missarum quo« rundam legatorum pro parte locum tenerent congruae parochia« lis, Emi Patres censuerunt licitum esse parocho, si per se sa« tisfacere non possit, eas missas alteri sacerdoti committere, at« tributa eleemosyna ordinaria loci sive pro missis lectis sive can« tatis ». Et in *Hildesien.* declaratum est, « in legatis missarum « aliqua in ecclesia fundatis retineri posse favore ministrorum et « ecclesiarum inserventium eam redituum portionem quae in li« mine fundationis, vel alio legitimo modo, ipsis asssignata fuit « independenter ab opere speciali praestando pro legati adimple« mento (1) ».

« Denique officii singulorum Ordinariorum erit curare ut in singulis ecclesiis, praeter tabellam onerum perpetuorum et librum in quo manuales missae quae a fidelibus traduntur ex ordine cum sua eleemosyna recenseantur, insuper habeantur libri in quibus dictorum onerum et missarum satisfactio signetur ».

185. **Neglectus circumstantiae** generatim grave peccatum non censetur, neque aliam Missam celebrandi vel stipendium restituendi obligationem per se relinquit. Ceterum observa:

1° Altaris privilegiati circumstantiae sacerdos « non potest satisfacere, applicando aliam indulgentiam plenariam » ; at « Sacerdos habens privilegium altaris privilegiati, satisfacit... licet in altari celebret non privilegiato ». Post factum « qui diebus permissis non celebravit in paramentis nigri coloris, in altari privilegiato, ad acquirendam indulgentiam plenariam debet lucrari indulgentiam plenariam... toties, quoties etc. » S. C. Ind. 2 Maii 1852, 16 Febr. 1852, 22 Febr. 1847.

---

(1) Huc ergo generatim referri possunt casus quibus stipendia pinguiora data sunt non solius Missae celerandae sed alio praeterea intuitu: puta amicitiae, propinquitatis, paupertatis etc.; ut faveatur determinatae ecclesiae aut loco pio eiusve Parocho seu Rectori, etc.; item casus Missarum quarum celebratio ad iura Parochi pertinet, et quibuscum « iura stolae » connexa sunt, ut sunt Missae nuptiales et exequiales.

2° Quoad missas ex fundatione celebrandas, communiter dicunt peccari mortaliter quando celebrantur in alia Ecclesia vel altari vel hora etc. quam a fundatore est constitutum, si id fiat saepe, sine iusta causa et sine dispensatione, et fundator illas circumstantias designaverit ob gravem causam, puta ob memoriam, commodum familiae vel populi. S. Alph. n. 329 nota I.

3° Circa missas de Requiem et votivas complura emanarunt SS. CC. Responsa, et variae sunt opiniones Auctorum. Noto praecipua:

Circa utrasque generatim: 186.

Si tales petitae sunt *et dici possunt* ex Responso S. R. C. 3 Mart. 1761 « sacerdos ad illas obligatus ratione fundationis vel accepti manualis stipendii propriae obligationi non satisfacit [sensus videtur: non plene satisfacit] dicendo Missam de die occurrente; *expressa enim voluntas* testatorum vel postulantium, dummodo sit rationabilis (1), debet adimpleri ». Decr. auth. n. 2461.

Quaeritur autem quandonam dicenda sit satis *expressa voluntas?* 187.

Resp. 1° Sunt qui putent satis diserte peti Missam de Requiem vel votivam, quoties petitur Missa pro defuncto uno vel pluribus, aut in honorem alicuius Sancti vel Mysterii. Citantur quaedam S. R. C. Decreta, sed haec obligationem potius supponunt, quam adesse decidunt.

Resp. 2° Alii vero sentiunt non quidem requiri ut expressis verbis missa votiva vel de Requiem petatur, sed neque per se sufficere, ut petatur missa in honorem alicuius Sancti aut Mysterij vel pro defuncto seu in refrigerium animae, et concludunt non adesse obligationem dicendi Missas votivas vel de Requiem nisi de intentione petentis satis constet.

Posterior opinio probabilior videtur: alia enim est applicatio, alius ritus Missae (2). Quoad mentem autem petentium, attendatur num noverint discrimen Missarum, an potius sacerdotis arbitrio sese committere videantur.

---

(1) V. gr. « Non sunt violandae Rubricae imperitorum laicorum causa et ideo petentibus Missam votivam de Assumptione etc. *fiet satis* celebrando unam ex Missis votivis B. M. V. iuxta temporis occurrentiam » 29 Ian. 1752, Decr. auth. n. 2417; cfr. n. 2427, 22 Dec. 1753.

(2) Cfr. Many *De Missa* n. 52.

188. II. Circa Missas de Requiem incidentes in dies impeditos, sequens statui posse videtur *regula* generalis:

1. Quoties Missae de Requiem sive privatae sive cantatae celebrandae incidunt in diem vel tempus (a petente designata sed) quibus per Rubricas vel Decreta S. C. non permittuntur, itemque si plures huiusmodi Missae impositae sunt, quam diebus liberis celebrari possunt, non debent transferri, sed satisfit per Missam diei currentis. S. R. C. 5 Aug. 1662, D. A. n. 1238; 22 Dec. 1753, D. A. n. 2427.

2. Excipiuntur anniversaria *cantata, fundata* tum stricte dicta (i. e. fundata pro recurrente die obitus vel, ex Decreto S. R. C. 2 Dec. 1891, depositionis), quae anticipari vel differri possunt et debent, sed tantum in primum diem pro anniversariis non impeditum; tum etiam fundata pro alio determinato die, quae similiter anticipari vel differri saltem possunt. Quod posterius dictum pariter valet de anniversariis cantatis non fundatis sed celebrandis ex petitione vivorum, dummodo pro recurrente ipso die obitus vel depositionis petita sint: ex Decr. cit. Cfr. Van der Stappen *Sacra Liturgia* Tom. II, Q. 355 sqq.: De Herdt *Sacrae Liturgiae praxis* Tom. I, ed. 9ª, n. 66, II.

Facile autem conceditur petentibus indultum, quo semel vel pluries per hebdomadam cantari possint Missae de Requiem etiam diebus ritus duplicis.

189. III. Circa Missas votivas

1° Missae votivae sive privatae sive in cantu 1° acceptandae non sunt nisi pro iis diebus, in quibus secundum regulas Missalis celebrari possunt. S. R. C. 19 Maii 1614, D. A. n. 320 (quod satis liquet pariter dicendum de Missis defunctorum etsi quoad hasce non est expresse declaratum).

2° Acceptatae transferri debent ad dies, in quibus celebrare eas licet. Ex eodem Resp..

3° Si ob multitudinem non sufficiant dies non impediti *a)* ex quibusdam respp. S. R. C. videretur requiri indultum speciale ad hoc ut pro iis satisfieri possit per Missas diei occurrentis uti ex cit. Resp. *b)* Quia tamen in aliis responsis mere declaratur satisfieri posse imo debere per Missas diei occurrentis, quin mentio fiat dispensationis seu gratiae concessae vel petendae, probabiliter

multi docent in casu Missis votivis tuto substitui Missas de die vel festo occurrente. Vide S. R. C. 22 Dec. 1753 ad VII, D. A. n. 2427 et 24 Iulii 1683, D. A. n. 1714 in Ruremunden. ubi tamen S. C. allegat Decr. 19 Maii 1614.

Ad n. 175, III, 3°. **Tot Missas celebrandi, quot praescriptae sunt,** lex et obligatio haec respiciunt omnes Missas, sive manuales sive fundatas, quarum *numerus determinatus est.* 190.

I. Reductio numeri Missarum pertinet, non ad Episcopum sed ad solam S. Sedem, nisi fundator aliis hanc facultatem expresse dederit.

II. Condonatio pariter Missarum non celebratarum, sive manualium sive fundatarum, ad solam S. Sedem pertinet. Pro foro externo ad S. C. Concilii, pro foro interno per Confessarium ad S. Poenitentiariam recurratur.

III. Ad I. 1. Casu quo redditus *totaliter* deficiunt, cessat obligatio, neque opus est petere reductionem; S. C. C. 7 Iul. 1686 et 1 Aug. 1705.

2. Si *ex parte* deficiunt redditus, fundator vero stipendium singularum Missarum non determinavit, et iam non habetur stipendium iustum, *controvertitur:* alii affirmant opus esse ut ad S. Sedem recurratur, ob Decreta S. Sedis; alii negant, tum ob praesumptam fundatoris voluntatem, tum quia in casu non agitur de reductione stabili.

Si negativa sententia teneatur, *suadetur* ut exquiratur iudicium Episcopi aliusve viri docti et pii, atque per se *aequum* saltem est, id quod exigit S. Alph. n. 331, sc. ut beneficiatus, qui praeteritis annis acceperit solito maius, id compenset.

Notandae tandem hic sunt duae propositiones ab Alexandro VII 191.
24 Sept. 1665 damnatae (1), sc. 8ª: « Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem ». et 10. « Non est contra iustitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere et sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidei itatem, etiamsi promittam promissione etiam iuramento firmata danti stipendium, quod pro nullo alio offeram ».

---

(1) Denziger n. 979 et 981.

Nihil autem refert, utrum stipendia pro pluribus sacrificiis ab una, an a pluribus personis data sint. In posteriori namque hypothesi etsi supponatur multiplicata stipendia non excedere unum stipendium congruum, adeoque ex hac parte non peccari, iustitia tamen laederetur, quia non constat, imo a multis negatur unum sacrificium pro pluribus oblatum tantum proficere singulis, quantum si pro singulis seorsim offerretur.

CAPUT SECUNDUM.

DE PRAECEPTIS LITURGICIS.

ARTICULUS I.

QUOTIES, QUIBUS DIEBUS ET HORIS LICEAT CELEBRARE (1).

192. I. **Regula** est licere 1° semel, non pluries, 2° quotidie, 3° ab aurora ad meridiem celebrare.

II. Exceptiones ad 1^m. *In festo Nativitatis Domini* licet *tres* Missas celebrare, sed solum tres Missas rituales in Missali notatas, neque duas tresve alias Missas, neque bis terve eadem etsi una ex illis tribus; cfr. n. 198.

Ex necessitate praeterea licet quandoque aliis etiam diebus pluries celebrare; cfr. § sq.

193. Ad n. pr. 2° **De Triduo sacro** Hebdomadae Maioris.

1. Feria V in Coena Domini et Sabbato Sancto *Missae privatae generatim prohibentur:* id quod hodie, contra multos antiquiores, constat ex pluribus S. R. C. declarationibus (2).

Permittitur una Missa solemnis in iis Ecclesiis in quibus asservatur SS. Sacramentum et omnes huius Tridui, vel saltem Feriae V et VI, functiones Sacrae solemniter peraguntur; cfr. S. R. C. 9 Dec. 1899, D. A. n. 4049.

2. In Ecclesiis *parochialibus*, ubi tres tantum quatuorve clerici, vel secundum hodiernam consuetudinem totidem iuvenes de-

(1) Sporer n. 445 sqq.

(2) Cfr. Palm. ad Ball. Tom. IV, Tr. X, S. IV, Cap. III, n. 300, ed. 3ª n. 1056.

bite instructi (1), haberi possunt, vel paramenta desunt, functiones huius Tridui peragi possunt et debent secundum Rituale parvum Benedicti XIII.

Ut vero in Ecclesiis *non parochialibus* id fiat, requiritur Indultum S. Sedis.

3. In Ecclesiis *parochialibus,* ubi ne tres quidem clerici, vel iuvenes ut supra, haberi possunt, Parochus, de venia Episcopi quotannis petenda, *feria V* Missam lectam celebrare potest; sed pluribus in regionibus consuetudo iam est ut id fiat non petita venia.

In Ecclesiis non parochialibus et Oratoriis ut idem fiat, requiritur venia S. Sedis per Episcopum obtinenda (2).

« In Ecclesis *Vicarialibus,* quae nempe erectae sunt, in territorio alicuius parochiae, in subsidium Ecclesiae parochialis, a qua dependent, idem dici debet ac pro ipsis Ecclesiis parochialibus » dictum est non solum sub 1 et 2 sed etiam, ut videtur sub 3; Many n. 15, 5°, ex Decreto S. R. C. 4 Sept. 1875. D. A. n. 3366, t. III, p. 58.

Sabbato Sancto si Missa celebrari non potest nisi lecta, haec, quamvis parochialis vel conventualis, licita tamen non videtur nisi accedente consuetudiue (3).

4. *Feria V* ut ante Sacrum solemne Missa legatur pro infirmis qui Solemni interesse nequeunt, Episcopus permittere potest; S. R. C. 27 Mart. 1773. Sed probabiliter etiam huius veniae petitio omitti potest (4). Imo etiam pro populi commoditate Episcopus ex consuetudine idem ubique permittere potest (5).

5. *Apud Regulares* si solemnes huius Tridui functiones non peraguntur, Superior ad ministrandam suis subditis Communionem, per se vel per alium, *feria V* Missam solemnem vel privatam celebrare potest in Oratorio vel in Ecclesia ianuis clausis. — « Immo quamvis sollemnes instituantur functiones, concedunt scriptores ut eadem die una Missa legatur in oratorio vel in ecclesia ianuis clau-

---

(1) Cfr. Many n. 15, 4°, b.
(2) Cfr. Gasparri *De SS. Euch.,* I, n. 81.
(3) Cfr. Many n. 16, 2°; Lehmkuh n. 211.
(4) Gasparri l. c. n. 77.
(5) Id. n. 82.

sis pro commodo infirmorum. Et patet ex privilegio quod Greg. XVI concessit Provinciae S. I. quae tunc dicebatur Germania Superior, 4 Dec. 1841 » (1).

6. *Feria V* si incidat Festum de praecepto adhuc vigente, Episcopi est providere ut tot Missae celebrentur, quot sufficiant ut populus obligationi suae satisfacere possit; S. R. C. 12 Sept. 1716.

Feria VI in Parasceven, si tale Festum incidat, neque obligatio est populi, neque facultas celebrandi Missas privatas.

Quoad *Sabbatum Sanctum,* si particulare Festum tale incidat, Génicot n. 235 i. f. idem absolute resolvit ac pro feria VI. Alii dicunt solum temperari obligationem fidelium, sc. cessare pro iis qui neqeunt unicae Missae parochiali vel conventuali interesse. Quae excusatio quia certe plurimis in locis pro multis aderit, prior opinio rationabilior videtur; sed altera est communior (2).

7. *Feria VI* omnes Missae prohibentur, et sola permittitur Missa praesanctificatorum.

8. « *In necessitate* conficiendi Viatici etiam Feria VI in Parasceve celebrandum est: quod si contingit, celebranda est Missa, quae magis convenit, sc. *de Passione Domini* (3) ».

194. Ad n. 192, 3°. 1. Hora celebrandi ita intelligitur ut Missa ne finiatur ante auroram seu crepusculum matutinum, neve inchoetur post meridiem.

Hora autem aurorae varia est tum pro variis regionibus tum pro variis anni temporibus. Regula namque est eam incipere quum sol 18^{m} gradum infra horizontem ingreditur. Quamquam alii pro regula ponunt auroram inchoare sesquihora ante ortum solis.

2. Quo tempore crepuscula totam noctem perdurant, nulla videtur prohibitio positiva ne Missa inchoetur a media nocte. Contra, quo tempore aurora valde tarda est, ut in regionibus septentrionalibus in hieme, consuetudo, ubi est, servari potest, etiam citius incipiendi quam secundum legis litteram liceret, v. gr. hora quinta. Ubi aurora per aliquod anni tempus non apparet, licet inchoare

---

(1) Vermeersch *De Religiosis institutis et personis* ed. 2^{a}, tom. I, n. 467.
(2) Cfr. Many n. 16, 4°.
(3) Lehmkuhl. n. 211, c).

Missam ab exordio vitae civilis, moralis et usualis, in quo homines dilnculo surgere solent ad opera (1).

3. Privilegia Regularibus hac in re ante Conc. Trid. concessa num revocata sint habenda, non convenit inter AA. « Sed parum refert, cum ampla privilegia Regularibus post Tridentinum concessa fuerint. Ita Congregationi Puritatis Pius VI indulsit (14 Ian. 1783) facultatem celebrandi duabus horis ante auroram et post meridiem. Haec privilegia participant quicumque in privilegiis Regularium communicant (2) ».

4. Grave peccatum censetur sine ulla causa excusante inchoare Missam integra hora ante vel postquam per Rubricas vel privilegium licet.

Causae anticipandi vel differendi admittuntur; 195.

1°. Ut Viaticum detur; etsi statim a media nocte.

2°. Ubi est consuetudo rationabilis, ut opifices et famuli summo mane possint audire Sacrum.

3°. Ob supplicationem vel processionem publicam, concionem; vel iter ipsius Sacerdotis, etc.

Praeterea ex rationabili causa et in casu particulari potest Episcopus vel Superior Regularis suo respective subdito concedere ut hora ante vel post tempus ordinarium celebret.

§. *De facultate binandi.*

I. 1. Praeter Festum Nativitatis Domini, hodie casus quo ex 196.
ipso iure, sine speciali S. Sedis venia, liceat bis Missam celebrare, solus admissus est necessitas spiritualis parochianorum, nim. audiendi Missam in die obligationis.

2. Quo casu occurrente, ex Const. Bened. XIV *Declarasti Nobis* 16 Mart. 1746, quantumvis de necessitate constat, tamen *requiritur Episcopi licentia*, eaque expressa, excepta necessitate ita urgente ut recurri ad Episcopum nequeat. Porro Episcopus in casu licentiam concedit iure ordinario, non delegato.

---

(1) Génicot n. 236.
(2) Id. n. 237, 5°

Praeterea necessitas haec supponit praesto non esse alium Sacerdotem, qui alteram Missam celebret. Sed neque pro Sacerdote qui forte in Parochia adest, neque pro Parocho in ista hypothesi, ex hoc capite certo patet obligatio celebrandi vel curandi ut celebretur in Ecclesia parochiali.

4. Casus ipse triplici modo occurrere potest: 1° si unus Parochus duas habet Parochias tam distantes unam ab altera, ut utriusque populus in eamdem Ecclesiam convenire commode non possit; 2° si una Parochia comprehendit duos populos eodem modo distantes. 3° si parochiani ad unam eamdemque Missam audiendam una omnes convenire non possunt.

In prima hypothesi Parochus imo debet bis celebrare. Et qui tres Parochias habet, secundum nonnullos etiam ter celebrare potest et debet: id quod hinc probabile quidem, illinc vero a mente S. Sedis alienum videtur.

5. Hoc casu licentia ab Episcopo data censetur localis, (neque enim Episcopus privilegium huiusmodi personale iure proprio concedere posset) ita ut valeat quoque pro vices gerente Parochi, puta infirmi, absentis, etc.

II. Theologi satis communiter praeterea admittunt casum necessitatis pro Viatico administrando.

197. Extra praedictos diem et casus conceditur quoque Indultum speciale bis terve eodem die celebrandi, praesertim Episcopis et Missionariis, etiam cum facultate aliis idem permittendi, si necessitas urgeat. Pro cuius Indulti usu

Nota 1°. Necessitas hic sufficit moralis, neque intelligitur sola populi necessitas satisfaciendi obligationi suae. Iudicium autem de sufcientia causae S. Sedes relinquit Episcopis seu Praefectis Missionum.

2°. Vi huius facultatis non licet unquam plus quam bis celebrare eodem die, nisi et hoc expresse indultum sit.

3°. Facultas concessa, non ut in determinata Ecclesia diebus obligationis bis ab eodem celebeari possit, sed Sacerdoti ut eâ ob iustam causam occurrentem utatur, est personalis, adeoque non communicatur alteri, qui illius vice celebrat.

198. Excepto Festo Nativitatis Domini, quamvis ob causam vel quavis facultate plus quam semel in die celebratur, per se semper semel

tantum pro stipendio celebrari potest, et ne semel quidem si pro grege applicari debet vel debuit. Aliis vero obligationibus quae non sint ex stipendio, sed ex fidelitate, voto, praecepto superioris, etc. vel etiam ex tacito contractu vi cuius sacerdotes membra associationis, pro socio defuncto celebrare debent, satisfieri potest (1).

Ordinariis Missionum quidem Pius IX concessit, ut Sacerdotibus suis ex gravi causa permittere valeant alterius stipendii acceptionem. Sed Ordinariis Dioecesum solum quandoque conceditur ut alterum stipendium accipiatur impendendum in opus pium (2).

Permittere quidem potest Episcopus, ut laboris vel incommodi ratione remuneratio aliqua accipiatur, non vero stipendium pro applicatione.

ARTICULUS II.

DE LOCO CELEBRATIONIS (3).

199. I. Per se non licet celebrare nisi in Ecclesia, eâque consecrata vel saltem benedicta (4); quae neque sit polluta, execrata vel interdicta (5). — Oratoria publica ad cultum rite dedicata habentur ut verae Ecclesiae.

II. Episcopus facultatem concedere potest celebrandi non tantum in Oratoriis publicis, sed in omni Oratorio erecto in domibus publicis, uti in carceribus etc., vel in locis religiosis (erectis auctoritate ecclesiastica) aut piis (erectis sine auctoritate ecclesiastica),

---

(1) Cfr. Many n. 58 et 60.

(2) Episcopo S. Deodati, qui, ut exponebat, « vestigiis trium suorum antecessorum inhaerens.... concessit sacerdotibus, ut quaecumque sit eleemosynae quantitas, ad Cancellariam episcopalem non mittatur nisi eleemosyna synodalis » et quaerenti: « an haec Episcopi concessio sit legitima » ? S. C. C. 27 Febr. 1905 respondit: « *Negative* ».

(3) Sporer n. 436 sqq.

(4) « Ecclesia quamvis (ad tempus sufficit ut sit) benedicta... tamen consecranda est ». Rit. Rom. Quod cum non dicatur de Oratorio publico, sufficit ut hoc benedicatur, benedictione tamen speciali. Oratoria non plene publica nec benedictione egent, et benedici tantum possunt benedictione communi.

(5) Tum consecratio tum benedictio spectat ad Episcopum. Simplex Sacerdos ad benedicendam Ecclesiam ab Episcopo, ad eum consecrandam solum a Summo Pontifice delegari potest.

uti in monasteriis, communitatibus religiosis quibuscumque, seminariis, hospitalibus, orphanotrophiis, etc.; cfr. tom. I, n. 387 et Gury I, n. 348.

III. Non vero potest amplius Episcopus, ut olim, permittere celebrationem in oratorio privato vel in domibus privatorum erecto, ne pro actu quidem transeunte. S. C. C. 27 Maii 1617: 23 Ian. 1847. Excipe nisi adsunt graves et urgentes causae. S. C. C. 20 Dec. 1856.

IV. « Si Missa quae omnino celebranda sit, non possit in eiusmodi locis celebrari.... licet sacrificium ubique facere dummodo locus in quo fit, nihil indecori habeat ». Bened. XIV. *De Sacrif. Miss.* L. III. cap. 6, n. 7: petità tamen prius, si fieri possit, licentiâ Episcopi. Cfr. Busemb. apud S. Lig. n. 356.

Episcopi vi facultatum quinquennalium communicare possunt sacerdotibus facultatem *sub dio* celebrandi.

In mari aut in fluvio celebrare non licet nisi ex indulto S. Pontificis; quod concedi solet sub conditionibus ut » mare sit adeo tranquillum, ut nullum adsit periculum effusionis sacrarum specierum e calice, [atque] curent ut alter sacerdos, si adfuerit, rite celebranti adsistat (1).

200. **Polluitur** I. g e n e r a t i m Ecclesia per actiones *criminosas* vel maxime indecentes, quae adversantur sanctitati loci, si sint *notoriae* ita ut nullo modo celari possint, et *patratae in ipsa Ecclesia;* non si in turri, sacristia aliisve cameris Ecclesiae adhaerentibus, supra tectum, in crypta sub pavimento (nisi sit sepultura aut singulariter benedicta); v. Busemb. apud S. Alph. n. 362.

II. I n s p e c i e 1° per patratum *in ea* homicidium mortaliter malum seu iniuriosum saltem immunitati Ecclesiae.

---

(1) Ita habet Decretum quod S. C. P. F. 1 Mart. 1902 pro Missionariis edidit. Ubi additur: « et si in navi non habeatur Capella propria vel altare fixum, caveant omnino Missionarii ne locus ad Missae celebrationem delectus quidquam indecens aut indecorum praeseferat: quod certe eveniret, si augustissimum altaris mysterium in cellulis celebraretur pro privatis viatorum usibus destinatis ». Quae verba eadem S. C. sic explicavit: « Decretum... tantum respicit abusus illos, qui orirentur, si in privatis cellis... indecenter offerretur.... Non autem absolute celebratio in cellis prohibita est, quando adiuncta omnia removeant irreverentiae pericula ».

2° per humani sanguinis effusionem notabilem et graviter culpabilem.

Ad 1 et 2 nota *a)* Requiritur ut delictum committatur in hominem, qui in templo consistat. *b)* non requiritur ex communi et probabiliori ut mors vel sanguinis effusio sequatur in Ecclesia sed sufficit, ut sint in ea causatae. *c)* neque requiritur ut malefactor existat in Ecclesia. *d)* non sufficit ut mors vel effusio sequantur in Ecclesia si non sint in ea causatae.

3° per voluntariam humani seminis effusionem illicitam sive in se sive ratione loci sacri.

4° per sepulturam non baptizati seu infidelis; excipitur probabilius, si sit catechumenus vel infans parentum fidelium.

5° per sepulturam excommunicati vitandi.

Nota. Licet hisce tantum sceleribus in rigore Ecclesiae polluantur, tamen si aliis criminibus vel actionibus indecentibus Ecclesia profanata fuerit, menti S. Sedis saltem consentaneum est, ut reconcilietur. Quod patet ex Decret. S. C. R. in Carpen. 3 Mart. 1821. D. A. n. 2612. Cf. v. d. Burgt *De Cel. Miss.* n. 218.

Reconciliatur pollata Ecclesia 1° « *Si simpliciter benedicta* 201.
fuerit... Greg. IX... statuit nulla praeobtenta delegatione per simplicem sacerdotem adhibita aqua benedicta, quam sanctam sive lustralem vocant, posse.... reconciliari » Bened. XIV. *De Syn. Dioec.* L. III. c. 15 n. 2. Licentia itaque Episcopi congrue sed non necessario peteretur (contra nonnullos). Cfr. Rit. Rom. et v. S. Lig. n. 363. Attamen 8. Iul. 1904 S. Rit. C. rescripsit sacerdotem indigere delegatione episcopi.

2° *Si fuerit consecrata*, reconciliari debet ab Episcopo vel a Sacerdote simplici sed delegato a Papa aut ab Episcopo, cui concessa est facultatis delegatio (ut iis conceditur in quinquennalibus); quo casu sacerdos delegatus uti debet aqua ab Episcopo benedicta, vel si Episcopus longius distet aut necessitas urgeat, aqua a se benedicta.

Nota. Ad qu.: « An per celebrationem Missae in Ecclesia polluta, dicatur reconciliata » ? S. R. C. 19 Aug. 1634 in Oppiden. respondit, « *negative* », D. A. n. 611.

Execratur Ecclesia 1° quando parietes saltem secundum 202.
maiorem partem corruunt vel destruuntur; non autem si solum

crusta partim vel integre e parietibus decidat; neque si per intervalla Ecclesia destruatur et reparetur, etiamsi tota nova fiat. S. Lig. et alii contra alios; neque si tectum tantum corruat.

Ecclesia tantum benedicta hac ratione num amittat benedictionem, non conveniunt AA.

2° per Ecclesiae amplificationem, si novi parietes veteres amplitudine superant. Reiff. n. 14; v. d. Burgt n. 201, IV.

Execrata Ecclesia iterum benedici vel consecrari debet ut nova.

203. Pollutâ Ecclesiâ (non si execrata) polluta sunt altaria fixa et cemeterium contiguum.

Execratâ (non si polluta) Ecclesia perit Titulus atque officii ac commemorationis recitatio Patrono Titulari debita.

ARTICULUS III.

DE REQUISITIS AD MISSAM (1).

§ I. — *De Altari eiusque Ornamentis.*

204. **Requiritur** altare lapideum (quod nempe saltem habeat lapidem qui calicis pedem cum patena ad minus quoad maiorem partem capere possit) ab Episcopo consecratum cum sepulchro reliquiarum per operculum clauso. Omnia sub gravi. Cfr. n. 217, 1.

205. Ut autem consecratio etiam altaris portatilis rite fiat, sepulchrum reliquiarum in superiore altaris parte excavari, non in parte transversali sive in latere sive in fronte exsistere debet, atque lapillo, non solum calce, caemento aliave materia claudi.

Mensa altaris fixi debet ex unico et integro lapide consistere eoque duro et compacto. Ita S. R. C. saepius; cfr. Resp. 10 Nov. 1906.

2. Reliquiae pro *valida* consecratione altaris non debent esse necessario *plurimorum* Martyrum; sufficit ut sint unius solummodo Martyris cum vel sine SS. Confessorum aut Virginum reliquiis. S. R. C. 16 Febr. 1906.

---

(1) Sporer Cap. VI, sect. I-IV, n. 373 sqq.

3. Execratur *a)* altare *fixum,* cum mensa seu lapis superior a stipite suo amovetur. S. C. R. 15 Maii 1819, D. A. n. 2599. Secus autem si integrum altare in alium locum transferatur. Cum communi Gard. in nota ad cit. Decret. *b)* altare *sive fixum sive portatile* 1° si ara frangatur enormiter i. e. si in nulla eius integra parte calix cum patena possit consistere. S. Lig. n. 369 vel « si pars fracta unam contineat ex lateralibus crucibus ab Episcopo in Altaris Consecratione specialiter benedictis » Gard. in nota ad Resp. S. R. C. 3 Mart. 1821. 2° Si frangatur sepulchrum reliquiarum, vel 3° huius operculum, vel 4° hoc etiam tantum amoveatur etsi statim reponatur (non autem si frangatur vel amoveatur sigillum) 5° si reliquiae subtrahantur vel amittantur; nec sufficit appositio aliarum reliquiarum facta ab Episcopo vel eius auctoritate: ex pluribus S. R. C. Respp. (1).

Requiruntur II mappae tres, vel saltem una separata **206.** et altera duplicata eaeque (sed tantum sub veniali) ab Episcopo vel alio habente potestatem benedictae.

1. Abbates aliique Praelati Episcopo inferiores qui Pontificalium usu fruuntur facultatem habent benedicendi ecclesiasticam supellectilem (paramenta Altaris, Calicis et Celebrantis) pro suis Ecclesiis vel monasteriis, non vero pro aliis Ecclesiis, neque, nisi habeant S. Sedis privilegium, benedicendi (seu consecrandi) ea pro quibus adhibetur sacra unctio uti Calices, Campanas etc. S. R. C. 27 Sept. 1659, D. A. n. 1131.

2. Superiores Regularium generatim explere possunt benedictiones omnes in quibus S. Chrisma non requiritur sed pro suis Ecclesiis tantum et supposito S. Sedis privilegio; S. R. C. 16 Maii 1744, D. A. n. 2377. Quod privilegium, non excipiendo corporalia, sicut et benedicendi Ecclesias, Coemeteria, Capitula et Oratoria, eaque polluta reconciliandi, aquà etiam per seipsos (praesertim ubi Episcopum per duas dietas adire non possunt) benedictà Fratribus Minoribus de Observ. concessit Leo X in Const « *Religionis suadet* ». Vide L. Ferr. V° Benedicere Art. V.

1. Celebrare sine ulla mappa non excusatur a mortali ut **207.** communiter docent AA. S. Lig. n. 375.

---

(1) Vide De Herdt P. I. Tit. XX, ed 9ª n. 177, cfr. V. d. Burgt n. 133.

2. A gravi peccato immunem esse, qui duas tantum vel unam duplicatam adhiberet, est communis sententia.

3. In gravi necessitate cum una, imo ut refert S. Lig. ex Concina, sine ulla mappa celebrari posset.

N. B. *Antipendium* (pallium) requiritur sub veniali nisi altare per modum tumbae confectum sit (S. Lig. n. 395). Non praecipitur ut benedicatur, nec determinata est eius materia (Id. ib. et De Herdt). Si commutari commode possit secundum Rubricam color conveniens sit Officio.

208. **Requiruntur III** candelae duae ex cera accensae (1). Neque plures in Missa stricte privata Sacerdotis simplicis cuiuslibet Episcopo inferioris, etiam Vicarii Generalis, vel Abbatis. S. R. C. saepius.

S. R. C. 12 Sept. 1857, D. A. n. 3059 in Molinen. rescripsit ad VII « Servanda esse quidem decreta quoad Missas stricte privatas, sed quoad Missas parochiales vel similes diebus solemnioribus, et quoad Missas, quae celebrantur loco solemnis atque cantatae, occasione realis atque usitatae celebritatis et solemnitatis tolerari posse duos ministros Missae inservientes » Et ad IX (de pluribus duabus cereis in eisdem ac supra Missis accendendis) « Provisum in VII ».

Indultum hac in re sicut in quibusdam aliis Ministro Generali et etiam saltem pro diebus solemnioribus et tempore sacrae pastoralis Visitationis, ubi consuetudo vigeat, Ministris Provincialibus et Custodibus reginiinis Ord. Min. Conventualium a Bened. XIV, 9

---

(1) Ad Qu. « An attenta etiam magna difficultate vel veram ceram apum habendi vel indebitas cum alia cera commixtiones eliminandi, candelae super Altaribus ponendae, omnino et integre ex cera apum esse debeant: an vero esse possint cum alia materia seu vegetali seu animali commixtae? » S. R. C. anteacta decreta mitigando, rescribere rata est: « Attenta asserta difficultate, *Negative* ad primam partem; *Affirmative* ad secundam, et ad mentem. Mens est, ut Episcopi pro viribus curent ut cereus paschalis, cereus in aqua baptismali immergendus et duae candelae in Missis accendendae sint ex cera apum saltem in maxima parte; aliarum vero candelarum, quae supra Altaribus ponendae sunt, materia in maiori vel notabili quantitate ex eadem cera sit oportet. Qua in re parochi aliique rectores ecclesiarum et oratoriorum tuto stare poterunt normis a respectivis Ordinariis traditis, nec privati sacerdotes Missam celebraturi de qualitate candelarum anxie inquirere tenentur » 14 Dec. 1904.

April 1756 concessum, et pro Ord. Min. Observantiae a Pio IX 28 Iuli 1864 confirmatum, videsis apud P. de Carpo in Coerem. ad calcem operis inter » Indulta quaedam Apostolica nostratibus concessa.

209. 1. Mortale est celebrare sine ullo lumine, secundum omnes: imo secundum plerosque etiamsi urgeat necessitas v. g. ministrandi viatici; hoc autem nonnulli probabiliter negant.

2. Probabilius et communius est veniale tantum celebrare cum uno lumino cereo, cum vel sine altero lumine diversae materiae.

3. Celebrare cum solis luminibus ex sebo vel oleo an sit mortale, disputant utrinque AA.; magis vero conveniunt id esse licitum in necessitate, modo absit scandalum; imo deficientibus aliis luminibus, quaecumque rationabilis causa ab omni peccato excusare videtur.

Ex declaratione S. R. C. 16 Sept. 1843, D. A. n. 2865 et alia 7 Sept. 1850 in Divion. (Dyon), confirmatis 4 Sept. 1875, D. A. n. 3376, constat non permitti usum candelarum ex stearina.

Missionariis tamen in Oceania S. C. de P. F. interdum indulsit, ut possent uti oleo loco cerae et deficiente etiam oleo celebrarent absque luminibus; et tandem S. R. C. 7 Sept. 1850 censuit iis permitti posse candelas ex oleo seu adipe coeti efformatas « quas in regionibus istis vocant « bougies à l'étoile », D. A. n. 2985.

Ad quaesitum « Requirituine absolute ut *super altare* collocentur candelabra. Et potestne tolerari usus antiquus pro Missa privata duorum candelabrorum hinc et hinc parieti altare fere tangenti infixorum » ? S. R. C. respondit « Affirmative et contrarius usus etsi antiquus, cum sit contra legem, abolendus erit ». In Cameraen 16 Sept. 1865, D. A. n. 3137.

210. **Requiritur IV** crux cum imagine Crucifixi posita inter candelabra (cfr. supra quaes.) et *visibilis* tam Celebranti quam populo, ita ut non sufficiat parva crux vix visibilis supra tabernaculum etc. S. R. C. 17 Sept. 1822, D. A. n. 2621, et 16 Iun. 1663, D. A. n. 1270. — Requiritur sub *veniali* nisi in Altari sit magna statua SS. Crucifixi vel imago Crucifixi depicta sit in tabula Altaris tamquam primum locum obtinens; cit. Decr. ad 2. Bened. XIV constit. « *Accepimus* » 16 Iul. 1746 et *de Sacrif. Missae.*

Si Missa celebretur exposito SS. Sacramento Crux exponi vel non exponi potest iuxta locorum consuetudinem (id. ib). Necesse non est ut benedicatur; S. R. C. 12 Iul. 1704, D. A. n. 2143.

§ II. — *De Vasis Sacris et paramentis.*

211. Requiruntur V calix et patena consecrata ab Episcopo: sub gravi. Calix debet esse aureus vel argenteus aut saltem cuppam habere argenteam intus inauratam. In casu paupertatis permittitur etiam stanneus (Cfr. Rubr. de praep. sac. I cum Rubr. de defect. X) non autem aereus (nisi, ut ex Holzmann refert nec rejicit S. Alph., sit inauratus) neque vitreus vel ligneus.

Probabilius « dicunt non eximi a culpa veniali consecrantem in calice non inaurato, nisi paupertas excuset ». S. Alph. n. 370, Dub. 3. Pariter patena debet esse saltem argentea intus deaurata.

212. Amittunt consecrationem, et reparata novâ indigent calix et patena 1° si notabiliter franguntur vel inutiles fiunt ad usum Sacrificii v. g. etiam per foramen in fundo calicis etsi exiguum; Busemb. apud S. Lig. n. 370; vel si pes calicis separetur a cuppa, nisi tamen calix sit tornatilis. id. ibid; 2° si de novo deaurantur. S. R. C. 14 Iun. 1845, D. A. n. 2889.

N. B. Ceu abusus habendum est quod vasa sacra priusquam artifici reficienda vel refundenda tradantur manu vel instrumento execrantur; S. R. C. 20 April. 1822, D. A. n. 2620; imo Pius VII generale decretum desuper edi ac publici iuris fieri mandavit 23 April. 1822.

213. Requiritur VI corporale ab Episcopo vel privilegiato benedictum: Utrumque *sub gravi,* a quo tamen excusat gravis necessitas celebrandi « quod certum est apud omnes ». S. Lig. n. 387. Item mortale est uti corporali enormiter immundo nisi excuset necessitas v. g. celebrandi Missam de praecepto audiendam. Id. n° 376.

214. Requiritur VII Palla item benedicta; utrum vero sub gravi an sub levi, quoad utrumque controvertitur utrimque probabiliter. In necessitate eius loco tegi posset calix corporali, purificatorio vel bursa. V. S. Lig. n. 388. Cfr. n. 206.

Sunt pauci qui putent vasa et paramenta non egere alia consecratione vel benedictione si sacerdos iis nondum consecratis vel benedictis usus est ad sacrificium, maxime si id bona fide fecerit; at « merito illam doctrinam reiiciunt omnes alii ». De Lugo D. XX n. 92, Cf. n. 62. V. S. Lig. n°. 380.

Insuper illa paucorum opinio minus conformis est responso S. R. C. relato supra n. 201.

Nota. Et tandem (uti refert De Carpo in Append. Decr. n° 46) S. R. C. 31 Aug. 1867 in una S. Hippolyti ad VII interrogata circa vestimenta nondum benedicta quibus cum bona fide sacerdos celebrasset, confirmavit communem opinionem; D. A. n. 3162.

Ad dubium: « Ex Decreto S. R. C. n. 3832 *Dubiorum resolutio* 17 Iulii 1894, ad IV permittitur ut palla calicis in parte superiori sit cooperta panno serico, aut ex auro vel argento, et acu depicto, dummodo palla linea subnexa calicem cooperiat et pars superior non sit nigri coloris, nec cum aliquo mortis signo. Quaeritur: An huiusmodi palla subnexa possit esse linum cruce munitum et subsutum, ad modum pallae, nec amovibile » ? S. R. C. rescripsit: « *Negative*, et palla subnexa, proprie dicta, sit linea, munda et facile amovibilis ». 24 Nov. 1905.

Requiritur VIII purificatorium; quod si facile haberi non possit, probabiliter licite sine eo celebrari eiusque loco adhiberi potest strophiolum mundum quod tamen postea ad profanum usum non adhibeatur. S. Lig. alii. Ex communi non est necessario benedicendum. Convenienter tamen una cum aliis Calicis paramentis benedicitur, uti et bursa et velum calicis. **215.**

Requiritur IX velum Calicis. Quodsi tamen nullum habetur sine eo celebrare nullum est peccatum. Croix n° 330, S. Lig. n° 395, alii. **216.**

N. B. *Manutergium et bursam* AA. cit. dicunt requiri tantum ob decentiam, itemque de *pulvillo* Missalis.

§ III. — *De paramentis Celebrantis, etc.*

Requiruntur X vestes Sacrae i. e. benedictae ab Episcopo vel alio (n. 206): generatim *sub gravi*. **217.**

1. Celebrare sine ulla veste sacra semper esset mortale. Tantum dissentiunt AA. num ob metum mortis excusari hoc posset, seclusis scandalo et contemptu, si haec secludi possint.

Eodem modo dissentiunt AA. de celebratione Missae ex metu mortis sine altari aut Calice vel cum iis non consecratis, V. S. Lig. n° 377.

2. Mortale etiam foret celebrare *a)* sine casula vel *b*) sine alba vel *c)* simul sine stola et manipulo vel *d)* cum iis sed non benedictis. Communis. Probabiliter tamen secundum plures excusant gravis necessitas in casibus *c* et *d*: gravissima in casibus *a* et *b*.

3. Probabiliter venialiter tantum esset celebrare a) sine *una* ex vestibus minoribus, etiam sine amictu saltem pro iis qui eo non utuntur ad tegendum caput, sed tantum humeros; item b) cum una ex eisdem non benedicta. V. S. Lig. l. c.

218. Amittunt benedictionem vestes sacrae, quando privantur forma sub qua sunt benedictae v. g. alba si abscinditur manica; idque etiamsi ex veste fiat alia nova, v. g. amictus ex alba etc.

219. Color paramentorum quoque probabilius saltem est de praecepto; cfr. n. 223. « Bene tamen censent... non obligare sub gravi, nisi scandalum adsit, puta si in die Paschatis.... celebraretur vestibus nigris. Addit Sporer satius esse quocumque die Sacrum facere in quocumque colore quam illud omittere ». S. Alph. n. 378, Dub. 5 ex Sporer et Quarti.

Ad dubium « An Sacra Paramenta revera auro maxima saltem ex parte contexta pro quocumque colore, exceptis violaceo et nigro, inservire possint? S. R. C. resp. « Tolerandam esse locorum consuetudinem *relate* tantum ad Paramenta *ex auro* contexta » 28 April 1866, D. A. n. 3145. Cf. Resp. 23 Sept. 1837 ad V, D. A. n. 2769.

220. **Requiritur XI** *Missale* Canonem saltem continens: ex communi *sub gravi.*

« *Quaer.* An liceat unquam celebrare sine Missali?

Resp. 1ª Sententia negat.... 2ª sententia communissima... probabiliter dicit posse quandoque sacerdotem celebrare sine Missali, si facile non posset habere et ob praeteritam experientiam abesset morale periculum errandi. Hinc probabiliter inferunt licite cele-

brare Sacerdotem, qui ob visus debilitatem memoriter Missam recitat, modo discernat Calicem et Hostiam quantum sufficit ad evitandam irreverentiam et modo ad notam effugiendam habeat Missale in Altari vel alium librum loco ipsius ». S. Lig. n. 390; quem vide.

Requiritur XII minister isque masculus: utrumque *sub gravi.* 221.

1. Celebrare *sine ullo* ministro est *mortale* secundum omnes.

2. Quod tamen *communiter* dicunt licitum esse urgente necessitate ministrandi viatici, et *secundum plures* ut populus audiat Missam de praecepto.

3. « Probabiliter dicunt [plures] quod incoepta Missa, maxime si sit facta oblatio, permittitur Celebranti pergere sine ministro si iste abscesserit et de brevi non revertatur » S. Lig. n. 391.

« Probabiliter etiam dicunt... quod celebrans non faciat scrupulum, si minister male pronuntiet, nec facile corrigat errores, ne turbet se ipsum vel circumstantes vel ordinem Missae; quamvis moneat Croix cum Gobat quod Celebrans suppleat omissa a ministro » Ibid.

4. « Communiter *negant* [graviter peccare celebrantem *respondente* muliere] maxime si sint sanctimoniales, *modo* non *immediate ministrent* in altari porrigendo urceolos, etc. *id* enim *non posse excusari a mortali.* Id. n. seq. Circa posteriorem partem « bene advertit Laymann quod urgente necessitate satius esset celebrare sine ministro quam cum foemina ministrante » Id.

Nota 1. Quae hoc articulo dicta sunt per se sub veniali tan- 222.
tum requiri, ab hisce generatim excusat rationabilis causa, modo semper absit scandalum etc. Ita passim. AA.

2. Decreto generali 18 Maii 1819 S. R. C. districte iussit ut corporalia, pallae et purificatoria linea omnino sint vel ex cannabe, interdicto et vetito aliorum usu quae ex gossipio supererunt. Quoad mappas, albas etc. permisit, ut si quae ex gossipio confecta erant, adhiberentur donec esset consumpta; D. A. n. 2600.

3. Hic non recensita, si quae praeterea ex Rubricis requirantur, tamen non sub peccato praescripta videntur.

§ IV. — *Observanda in ipsa Missae Celebratione, ubi praecipue De Rubricis Missalis.*

Praenotandum. Pius V in Bulla apposita in fronte Missalis *mandavit* et praecepit « *districte* omnibus et singulis *in virtute S. obedientiae* ut Missam iuxta ritum, modum et normam quae per Missale hoc traditur decantent et legant. Neque in Missae celebratione alias caeremonias vel preces, quam quae in hoc Missali continentur, addere vel recitare praesumant ». Cf. Conc. Trid. Sess. VII. can. 13.

223. Quaer. Num omnes Rubricae ad ipsam Missae celebrationem spectantes sint *praeceptivae* (i. e. sub peccato obligantes) *an* generatim (nisi nempe alicubi, ut septies contingit, expresse notetur praeceptum grave) *mere directivae?*

Resp. Quatuor adsunt sententiae (a S. Lig. n 399 relatae); at ex communi opinione 1° Rubricae *intra Missam* servandae sunt *praeceptivae* idque sub gravi vel sub levi pro rata materia; 2° servandae *extra,* i. e. ante vel post Missam, sunt *directivae.*

Quoad orationes tamen recitandas dum vestes induuntur, plures dicunt eas omittere esse veniale. Imo S. Alph. n. 410 Dub. 3 hoc « tenendum dicit cum communi sententia ». Verum non patet hanc revera esse communem sententiam. S. Alph. quidem pro illa, quam communem dicit, primo loco citat Lugo, sed hic tantum asserit multos contra alios in casu non videre peccatum mortale, non vero dicit eos adstruere peccatum veniale, quod imo ipse admittere non videtur, quippe D. XX, n. 106 dicit « non est materia praecepti sed instructionis ». Cum De Lugo negant et alii ut Suarez, Quarti, Tamburini. Cfr. Sporer n. 417 ubi refert nec rejicit hanc opinionem.

224. **Resolve.** In ipsa Missa itaque ex praescriptis a Rubricis

I. Nihil omittendum.

1. *Graviuso* bligant adeoque et facilius ad gravem materiam coalescunt partes Missae *ordinariae* (quae in omni Missa dicuntur, ut orationes principales, Epistola, Evangelium etc.) quam partes extraordinariae (uti Gloria, Credo, Commemorationes).

2. *Gravius* item obligant dicenda et agenda intra Canonem (et maxime a Consecratione ad Communionem) quam ante et post Canonem.

3. Si quis ex errore vel oblivione aliquid omisit, quando ex ipsa materia leve est, ne repetendo resumat; si aliquid notabile est, atque sine offensione aliorum — uti fit, quando ex iis, quae secreto recitantur, aliquid omisit, — omissa resumere potest, idque pro gravitate materiae tunc facere debet, quando *brevi* post, seu post pauca verba, errorem advertit. Quare Gloria, Credo et similia ne unquam sacerdos resumat, neque Epistolam, Evangelium etc., si unum pro altero sumpserit, nisi forte ab initio falsae Epistolae etc. errorem animadvertat.

II. Nihil addendum. 225.

1. Addere aliquid in Missa ex mente inducendi novum ritum *grave* peccatum est.

2. Ex importuna devotione aliquid addere, quod a forma Missae non discrepet, ut aliquam collectam, peccatum veniale non excedit. Imo S. Alph. putat n. 411, ex aliqua causa licere unam collectam in Missa addere, attamen satius esse rubricam servare.

3. Ad. Qu. « An Ministri parati dum canitur Missa conventualis, privatim recitare valeant Horas canonicas » S. R. C. respondit: « Non est interloquendum seu Negative » 20 Mart. 1869, D. A. n. 3201 ad IX. Si tamen est rationabilis causa id faciendi non videtur ullum peccatum esse.

4. Devotionis causa per modum suspirii oratiunculam iaculatoriam a sacerdote celebrante interponi, quando propter actiones a prosequendis liturgicis precibus impediatur — ut in elevatione, post sacrarum specierum sumptionem, vel dum finem cantus expectat — minus quidem convenire videtur, ita ut praestet, sola mente affectus divinos ciere, attamen pro peccato etiam veniali tantum id ducere non possumus.

III. Nihil mutandum. 226.

1. Illa, quae alta voce recitanda praescribuntur, voce omnino submissa recitare per modum secretae recitationis, a peccato veniali non excusatur, nisi forte iusta causa infirmitatis etc. adsit; at deprimere vocem, relicta tamen aliqua distinctione inter hanc

et inter secretam recitationem, ex qualibet rationabili causa licet, imo si alii sacerdotes in propinquo celebrent, ipsa rubrica omnino monet, ut celebrans ita vocem moderetur ne alios perturbet.

2. E contrario ea, quae secreto dicenda sunt, tam alta voce dicere, ut in magna distantia a populo audiantur, censetur tum grave peccatum, quando notabilem partem, praesertim Canonis, vel sola verba Consecrationis sacerdos ita pronuntiet. (S. Alph. n. 416 dicit, si ad 40 passus audiri possit sacerdos, sibi grave peccatum videri: sed, ait, « quis nisi mente captus hoc facturus est? deberet enim tunc toto conatu vocem elevare »). Alias peccatur venialiter. At periculosius erratur, verba Consecrationis nimis secreto efformando, ita ut sacerdos ne se ipsum quidem audire possit, nisi forte strepitus sit causa, cur se non audiat: alioquin induceret periculum nullitatis sacramenti.

227. 1. Tecto capite celebrare a) totam Missam ex communi esset mortale, si tamen fiat sine causa vel publice; nam si fiat privatim, et ex aliqua saltem causa, teste Sporer a pluribus a mortali excusatur; b) usque ad canonem tantum, secluso scandalo et contemptu, ex communi esset veniale.

2. Comae fictitiae, modo decens sit et honesta, usus quamvis ut minus stricte prohibitus haberi videatur, eam tamen nomine pileoli expresse ab Urbano VIII prohibiti (1) comprehendi, in Congregatione particulari ab Alexandro VII deputata fuit responsum. Ita refert Ferraris V° Coma fict. Consequenter eâ uti non liceret nisi ex indulto speciali S. Pontificis; attamen pluribus in locis ex consuetudine dispensant Episcopi; Bouvier Cap. VII, Art. 7, qui « Imo (addit) comae fictitiae communes evaserunt, ut clericis non videantur prohibitae etiam in celebratione Missae.

228. 1. Interrumpere Missam *essentialiter* (seu abrumpere) ita ut sacrificium inceptum, consecratione sc. saltem unius speciei peracta, maneat truncatum a) *ex proposito nunquam* licet, neque b) *indirecte* nisi in casu inevitabili sc.

1°. Si incursus hostium immineat, aut alias periculum mortis, aut S. Sacramenti profanationis adsit, sacerdos, sive unam sive du-

(1) Decretum Urbani vide initio Missalis.

plicem consecrationem perfecerit, S. Sacramentum aut statim debet consumere aut fugiendo secum auferre, ut in loco tuto consumat, modo periculum in mora sit.

2°. Quando, incepta consecratione, eâque aut certo aut dubie factâ, sacerdos deficit: si post aliquod tempus, etsi paulo longius, vires resumpturus videtur, etsi ieiunus manere nequit, exspectandum est, ut ipse sacerdos Sacrum suum postea perficiat. Si vero ipse perficere illud nequit, alter sacerdos inquirendus est, qui perficiat, resumendo ea, quae dubie tantum a priore perfecta sunt; atque si ieiunus adest, ille sacrum perficere debet, alioquin non ieiunus; imo in alterius defectu etiam sacerdos irregularis, excommunicatus etc. *debet* omnino Sacrum perficere, praemissa tamen contritione, quae quum semper, adstante divina gratia, suo tempore elici possit, non datur excusatio pro sacerdote excommunicato, qua declinet novum peccatum grave, nisi Sacrum illud perficiat, siquidem *legis divinae* est, ne sacrificium mancum relinquatur. Si Sacerdos infirmus adhuc vivat, et Communionis sit capax, nec alia adsit Hostia consecrata, Sacerdos, qui Missam supplet, dividat Hostiam, et unam partem praebeat infirmo, alteram ipse sumat. Ita Missale de defect. tit. 10. n. 3.

3°. Si vero intra horam circiter compleri sacrificium non potuit, obligatio perficiendi S. Alphonso non amplius videtur esse (n. 355), quia probabiliter deest necessaria unitas actionis; attamen etiam post plures horas, v. g. 7, *licebit* prosequi, quia certum non est, deesse necessariam unionem.

4°. Quodsi non reperiatur Sacerdos, qui ante meridiem possit Missam perficere, potest Hostia et Calix condi in tabernaculo, ut postero die Sacerdos, qui Missam celebrabit, ea sumat ante purificationem. Bened. XIV *De Sacrif. Miss.* Sect. 2. n. 110.

2, Interrumpere accidentaliter licet

a) Cum, dicto Evangelio, fit concio, vel quaedam populo nuntianda sunt. — b) In adventu Episcopi, Principis, aut processionis populi, qui alias die festo Missam audire non posset; imo eo casu, si Celebrans ad Offertorium pervenerit, secundum aliquos potest incoeptam Missam, rursus ab initio repetere, modo tamen mos sit. c) Tam ante quam post Consecrationem, si gravis urgeat necessi-

tas necessarium Sacramentum ministrandi proxime morituro, puta Baptismum, Poenitentiam, vel, si Poenitentiam recipere nequeat, Extremam Unctionem. Post Consecrationem Viaticum ministrandum non esset, nisi moriturus prope esset, ita ut vestes exuere necesse non foret.

« Animadvertendum, quodsi celebrans... intra Missam Altare e conspectu suo amittat, hanc administrationem non licere ». S. R. C. 19 Dec. 1829, D. A. n. 2672. Et 7 Febr. 1874 resolvit: licere in valetudinariis Ordinis S. Ioannis de Deo administrare infirmis S. Communionem, modo vox presbyteri celebrantis in cubiculo infirmi audiri possit. D. A. n. 3322.

Porro, si facta sit Consecratio, curet Sacerdos ut Sacramentum interim custodiatur, vel illud in tabernaculo occludat; et postquam redierit, Missam inde, ubi eam intermisit, prosequatur. Si facta non fuerit Consecratio, et parva mora intercesserit, v. g. infra horam, prosequatur ubi desiit; si autem longior, ordiatur ab initio.

TRACTATUS V.

DE POENITENTIA.

NOTIONES PRAEVIAE.

DE VIRTUTE DEQUE SACRAMENTO POENITENTIAE (1).

I. **Virtutis.** poenitentiae obiectum materiale sunt pec- 229.
cata detestanda et vindicanda.

II. Obiectum formale 1) secundum alios est *offensa* Deo peccatis illata — i. e. causa iustae Dei indignationis et a peccatore aversionis — *tollenda*, seu pax cum Deo recuperanda, peccatoris cum Deo reconciliatio (2). — 2) Secundum alios *bonum compensationis* seu solutionis poenae culpis debitae; reconciliatio vero cum Deo est potius effectus et finis extrinsecus (3).

III. Actus proprii seu eliciti 1) in priori opinione sunt *multi;* qui distingui possunt in duas classes. Alii sunt erga bonum pacis cum Deo, uti amor seu complacentia inefficax, amor efficax, desiderium, intentio, electio mediorum, gaudium; alii adversus malum oppositum, uti displicentia, odium, detestatio, voluntas delendi peccatum, satisfaciendi Deo (4). — 2) In altera opinione *unicus*

(1) Sporer, Tr. IX n. 1 sqq.
(2) Cfr. De Lugo Disp. II, n. 50-52.
(3) Scotus in 4, Dist. XIV, qu. II, n. 8.
(4) De Lugo Disp. IV.

actus proprius et elicitus est voluntas vindicandi peccata; detestatio autem peccati est actus communis omnium virtutum.

Haec autem *controversia* est mere speculativa, nec spectat nisi ad *virtutem* poenitentiae; de poenitentia namque requisita in Sacramento Poenitentiae AA. conveniunt, et consentiunt requiri detestationem cum dolore de peccato, sed non referre quo motivo eliciatur, modo sit supernaturale, vel saltem contritio ad Deum referatur (1).

230. Definiri itaque poenitentia, ut virtus, potest: virtus — seu habitus — moralis inclinans hominem — vèl 1) ad placandum et pacandum Deum peccato offensum per peccati detestationem et satisfactionem; — vèl 2) ad detestandum et vindicandum peccatum quatenus est offensa Dei (2).

231. I. **Sacramentum** Poenitentiae definiri potest: Sacramentum quo homini poenitenti et confesso per Sacerdotis absolutionem peccata post Baptismum commissa remittuntur (3).

II. Ad *perficiendum* hoc Sacramentum concurrunt *actus poenitentis*, contritio, confessio et satisfactio quasi *materia proxima*, et *absolutio* Sacerdotis tamquam *forma*; ipsa peccata post Baptismum commissa sunt materia remota.

Satisfactionem in re constat non esse partem essentialem seu constitutivam; de satisfactione *in voto* disputatur sicut de aliis actibus poenitentis.

232. I. Duo controversa sunt: num actus poenitentis sint partim causa gratiae efficax ex opere operato; quod qui

---

(1) Cfr. n. 172; Scotus l. c. n. 13. *Nota*: non potest, sine praeveniente Spiritus Sancti inspiratione atque adiutorio, hominem poenitere, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur. Est de fide ex Trid. Sess. VI, Can. 3, Denz. n. 695. — Utrum autem hoc de actu tantum an etiam de *habitu* poenitentiae sit intelligendum, adeoque num habitus poenitentiae sit *per se* infusus an acquisitus, disputatur; prius illud affirmat S. Thomas 3, qu. 85, art. 5; negat Scotus l. c. n. 20.

(2) Poenitentiae vox, praeterquam pro Sacramento Poenitentiae, quadruplici sensu sumitur: 1° pro virtute seu habitu poenitentiae; 2° pro huius virtutis actibus elicitis; 3° pro causa proxima poenae infligendae; 4° pro ipsa poena; ad 3m et 4m cfr. n. 232, II, 2°.

(3) Saltem in actu *primo*: vide infra controversiam de Poen. Sacramento *valido sed informi*: n. 244 sq.

negant, non conveniunt, 2° num tamen sint materia proxima *ex qua*, seu pars essentialis Sacramenti.

Tres sunt sententiae: 1° Thomistae affirmant utrumque (1); — 2° Scotus et multi Scotistae utrumque negant (2); — 3° Plures alii Scotistae solum prius illud negant, posterius affirmant.

II. Explicantur sententiae.

1° Affirmantes communiter docent actus poenitentis secundario tantum operari gratiam, quatenus sc. a Sacerdote in materiam Sacramenti assumuntur, neque aliter dicunt actus illos esse materiam seu partem Sacramenti (3).

2° Scotus, et cum eo negantes, *ex ipsa natura* huius Sacramenti, quod nim. est *Poenitentiae*, deducunt tres illos actus ad eius *valorem* requiri, seu requiri *subiectum poenitens;* nam poenitentia « sicut colligitur ex Scripturis diversis, ait Scotus, integratur ex tribus poenis (4) », nim.: tristitiae, verecundiae et afflictationis sive laboris, quibus uti respectivae earum causae respondent contritio, confessio et satisfactio, seu opus laboriosum vel poenale. — Prorsus itaque diverso modo et ratione, in sententia Scoti, contritio requiritur in hoc Sacramento, ac in Baptismo adulti peccatoris. Unde

Concludo *pro praxi nihil interesse* inter sententias expositas (5).

---

(1) Ipse S. Thomas certe aliquando priorem partem negavit, uti i. a. testantur Suarez, Bellarminus et Ferrariensis; vide quae scripsit in 4, Dist. 22, qu. 2, art. 1, qu. 1, ad 3. — Sed posteriorem partem semper affirmasse videtur.

(2) Quod ipsum Scotum attinet, ne putetis Doctorem subtilem ita multum curare hanc duplicem controversiam. Ipse sc. potius supponendo — quasi ex opinione eius tempore communi — vim sacramentalem in sola absolutione sitam esse, inde, sibi constans — cfr. n. 4 — resolvit actus poenitentis nullo modo esse partes Sacramenti; l. c. Dist. 16, qu. 1, n. 7; cfr. Dist. 14, qu. 4, n. 2. Scotus, in hac quaestione, totus in eo solo est, ut contra Magistrum Sententiarum aliosque probet in Sacramento Poenitentiae vere et efficaciter deleri peccata, non vero tantum declarari remissa; ut inde deducat non requiri contritionem perfectam sed sufficere imperfectam, quam hodie attritionem passim dicimus; ipse autem Scotus voces contritionis et attritionis promiscue usurpat.

(3) Contra de Lugo Disp. XII, S. II, n. 33.

(4) Disp. XVI, Q. I, n. 5 sq. cfr. Disp. XIV. Q. IV. n. 4.

(5) Intellige: uti eas exposuimus. Non enim admittimus, sive expositionem sententiae scotisticae, quam tradit Ballerini, cfr. n. 244; sive conclusiones omnes, quas ex sententia thomistica deducit Sporer cum aliis; cfr. n. 246 sq.

Divisio tractatus. Iam tractatum hunc ob rerum dicendarum copiam in quatuor dividimus sectiones. In quarum 1ª de subiecto Sacramenti Poenitentiae, seu de actibus poenitentis tamquam materia proxima, ubi etiam de materia remota Sacramenti; in 2ª de Ministro Sacramenti, seu de Confessarii potestate, officiis et dotibus generatim, ubi etiam de forma huius Sacramenti seu de Absolutione; in 3ª de nonnullis poenitentium generibus et de Confessarii officio erga eosdem speciatim; in 4ª tandem de Confessarii obligationibus subsequentibus confessionem auditam dicemus.

SECTIO I.

DE SUBIECTO SACRAMENTI POENITEMTIAE.

CAPUT PRIMUM.

DE CONTRITIONE (1).

ARTICULUS I.

DE CONTRITIONE GENERATIM.

§ I. — *Notio. Divisio. Efficacia. Necessitas.*

233. I. **Contritio** definitur: animi dolor et detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero (2).

II. Essentialiter consistit nec in solo dolore, nec in sola detestatione, sed in utroque simul.

Detestatio *est de essentia,* non solus dolor; quia contritio formaliter opponi debet peccato, et ut loquitur Tridentinum l. c., voluntatem peccandi excludere; atqui...

---

(1) Sporer n. 58 sqq.

(2) Trid. Sess. XIV. Cap. IV; Denz. n. 777.

Dolor *est de essentia* contritionis, non sola detestatio; cum haec sine illo non faciat poenitentiam actualem, uti patet exemplo Beatorum.

Primario in detestatione consistit, ex qua in homine viatore necessario sequitur dolor, et a qua dolor, alioquin de se indifferens, specificatur, atque honestus et utilis evadit.

I. Distinguitur duplex contritio; una perfecta, etiam simpliciter contritio dicta, quae concipitur *ex motivo charitatis*, doletque de peccato quatenus est offensa Dei, summi boni super omnia dilecti; altera imperfecta, et proprio nomine attritio dicta, quae concipitur *ex alio motivo inferiore*. 234.

II. Quaeritur *num perfecta* dici possit contritio, etsi non adsit motivum charitatis, si tamen est de peccato propter ipsum Deum, seu quatenus est offensa Dei, sc. *ex motivo religionis, obedientiae, gratitudinis vel poenitentiae.*

Resp. Ita docuerunt olim gravissimi DD. apud Suarez(1), qui seipsum hanc sententiam ut probabilem aliquando fuisse secutum testatur. Sed post Conc. Trid. communissime negatur. *Advertendum* tamen, poenitentes ab hac contritione facili negotio pertrahi ad motivum perfectae charitatis.

Efficacia. Docet Conc. Trid. l. c.(2) 235.

I. «Contritionem *charitate* perfectam hominem Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur».

II. Quoad «illam vero contritionem imperfectam, quae attritio dicitur, *si* voluntatem peccandi excludat, cum spe veniae, ad Dei gratiam *in Sacramento* Poenitentiae impetrandam disponit»; idque proxime, ut scopo et contextu attentis communiter AA. interpretantur, seu sufficit.

Necessitas. I. Homini in peccato mortali constituto in omni statu de lege ordinaria necessitate medii necessaria est poenitentia seu contritio aliqua: in veteri quidem lege determinate sola contritio perfecta; in nova autem lege, post instituta Sacramenta Baptismi et Poenitentiae, disiunctim aut contritio perfecta aut Sacramentum cum attritione susceptum. 236.

---

(1) Disp. IV, S. II.
(2) Denz. n. 778.

Neque necessaria est formalis, sed sufficit contritio perfecta virtualis (1) inclusa in actu amoris Dei super omnia, ac etiam martyrii, quantum est de necessitate medii. Praeterea

II. Datur praeceptum divinum, partim naturale partim positivum, obligans hominem peccatorem, peccato mortali obnoxium. ad eliciendam contritionem, vèl perfectam in defectu Sacramenti, vèl saltem imperfectam sed cum Sacramento vere suscepto:

a) per se quidem satis probabiliter in articulo seu periculo mortis tantum;

b) at practice longe probabilius etiam antea, non quidem statim post peccatum mortale commissum, sed sic, ut non nimis diu differatur prudentis iudicio;

c) per accidens certo obligat saepius in diversis casibus.

237. III. Ad n. pr. II, a) et b). Ratio regulae petitur ex natura tum iustitiae — seu potius poenitentiae, vi cuius Deo offenso debetur satisfactio — tum charitatis quam sibi quisque debet. Poenitentiâ autem seu satisfactione simul satisfit praecepto charitatis tum erga Deum tum erga seipsum.

IV. Ad b). *Adverte* 1° raros esse qui advertant obligationem huius praecepti, nisi quando vèl cogitant confiteri, vèl timent periculum mortis, vèl occurrit casus per accidens contritionem exigens. 2° Ceterum postquam Ecclesia annuam confessionem praecepit. si fideles hoc praeceptum impleant, eo ipso quoque divino poenitentiae praecepto illos satisfacere credendum est.

V. Ad c) *Casus certi* sunt: 1° quando minister consecratus debet aut vult ex officio *administrare conficiendo* Sacramentum; — 2° quando quis debet aut vult suscipere Sacramentum vivorum;

---

(1) *Notasse* hic semel sufficiat: contritioni — sicut generatim actui voluntatis — formali proprie loquendo non opponitur virtualis vel implicita, sed interpretativa. Haec enim, interpretativa, vere *non adest,* sed solum adesset si poneretur quaedam conditio; virtualis autem et implicita vere *adsunt* etsi non explicite seu reflexe, vel etiam neque sensibiliter. Quamquam neque sine ratione virtualis vel implicita dicitur contritio interpretativa ea, quae non tantum probabiliter praesumitur affutura, sed certo adesset seu abesse moraliter non posset si illius conditio vera fieret; uti v. gr. qui actu elicit amorem Dei perfectum, si tum recordetur peccati mortalis a se commissi, non potest illud non detestari. Tum enim contritio non immerito dicitur *virtute,* et hoc iterum sensu, *implicite* contineri in actu charitatis, quamvis ipsa contritio in sua propria forma non adsit.

— 3°, communiter additur; quando quis in peccati occasione positus gravibus tentationibus urgetur, quas credit se moraliter evadere aliter non posse.

§ II. — *De Dotibus necessariis Contritionis generatim.*

Omnis contritio, etiam generatim imperfecta(1), ut sufficiat 238.
ad remissionem peccatorum, debet esse interna, supernaturalis, universalis et appretiative summa.

I. Interna, seu *animi* dolor, eaque 1° *vera,* ita ut non sufficiat neque ficta, neque putativa seu existimata (2), neque sola cessatio a peccato vel vitae novae propositum et inchoatio sine veteris etiam vitae odio (3); atque 2° tum necessitate Sacramenti (3), tum, quoad mortalia, necessitate praecepti (4), *formalis,* ita ut ad remissionem mortalium non per se, ad Sacramentum autem nequaquam sufficiat contritio interpretativa — quam virtualem vel implicitam passim dicunt — ne ea quidem quae interpretative continetur in actu charitatis perfectae.

II. Supernaturalis contritio requiritur, idque 1° et certo 239.
ratione *principii,* i. e. gratiae actualis saltem in peccatore; 2° communiter addunt: ratione *motivi.*

Porro *certum est* 1) in poenitente requiri *fidem;* 2) contritionem referri debere *aliquo modo ad Deum;* ita nempe ut obiectum contritionis sit peccatum formaliter sumptum, seu tamquam violatio legis divinae adeoque offensa Dei. V. gr.: non sufficienter doleret is, quem *tantum* poeniteret se per peccatum meruisse infernum; at recte dolet is, quem ideo poenitet se per peccatum offendisse Deum, quia meruit gehennam.

Verum num praeterea requiratur ut contritio concepta sit *ex motivo* fidei, seu *per fidem apprehenso,* non conveniunt. Sporer cum communi affirmat; attamen efficaciter hoc probatum non videtur (5).

---

(1) *Observa:* Voce contritionis sine addito nos utramque, perfectam et imperfectam, intelligimus.

(2) Cfr. n. 244.

(3) Conc. Trid. l. c.

(4) Cfr. n. 236.

(5) Cfr. Egger, affirmans, *Th. Dogm. Spec.* n. 570, et Noldin, negans, *De Sacram.* n. 124, 1.

Pro praxi autem conveniunt opus non esse ut de hoc solliciti simus, cum deesse vix possit in eo qui de peccato dolet ut supra sub 2) dictum est.

Nota. Motiva idonea attritionis apte reducuntur, ultimo quidem et potissimum ad spem theologicam ac timorem oppositum; immediate vero communius ad turpitudinem peccati ac metum gehennae aliarumve poenarum (1).

240. **Universalis** debet esse contritio, *explicite vel implicite.* Quod utrumque duplici modo fieri potest: *explicite* 1° quando quis de singulis peccatis commissis distincte recognitis singulos actus contritionis elicit; 2° quando quis de omnibus et singulis peccatis recogitatis unico actu dolet; *implicite* 1° quando quis conscius plurium peccatorum et recogitans se esse in statu peccati uno actu ex motivo universali dolet de omnibus collective apprehensis, nullo excepto; 2° quando quis explicite quidem de uno tantum peccato dolet, attamen ex motivo universali, ita ut si etiam alia peccata tunc memoriae occurrerent, necessario et de illis doleret.

Haec porro conditio 1) quoad mortalia requiritur absolute (2), saltem ad iustificationem (3) ita ut ea deficiente nullum peccatum remitteretur, quia ex his unum sine aliis remitti non potest.

2) Quoad venialia in tantum requiritur ut non remittantur ea, ad quae contritio se non extendit.

241. IV. Requiritur contritio appretiative seu *aestimative* summa, ita ut quis peccatum detestetur super omnia mala quorum timor inducere potest ad peccatum, atque *absolute,* seu sub quavis hypothesi illud in posterum cavere paratus sit.

In hac itaque conditione iam includitur contritio efficax et absoluta, de qua alii expressam mentionem faciunt (4).

Non tamen expresse comparatio institui debet cum aliis malis; quinimo id imprudentissimum et periculosum est, atque aptum ad extinguendum dolorem et propositum antea rite concepta.

242. Non requiritur 1° sive contritio *intensive* i. e. affectu seu gradu vehementiae summa, sive certus quidam gra-

---

(1) Cfr. Trid. l. c.

(2) Abstrahimus hic a sufficientia contritionis interpretativae.

(3) Ad Sacramentum quod attinet cfr. n. 245.

(4) Cfr. n. 249 sq.

dus intensionis; sed sufficit substantia doloris in quovis gradu etiam remisso. Ratio; quia ex Dei ordinatione — de qua per Ecclesiae doctrinam, maxime per Conc. Trid. constat — omnis contritio vera, saltem cum Sacramento, est ultima dispositio ad iustificationem.

Quare neque mora temporis ulla requiritur.

Neque requiritur 2° dolor sensibilis, minus etiam contritio sensitive summa; cum huiusmodi dolor seu sensus ne spectet quidem ad substantiam, imo neque ad perfectionem contritionis, sed et frequenter neque sit in nostra potestate.

Nota 1. Quae praecedunt, praecipue ad cavendos vel sedandos scrupulos dicta intelligantur. Ceterum enim universe consultum semper et valde utile est, adhibere conatum ad dolorem eliciendum et vehementiorem et diuturniorem, etiam sensibilem, quando facile quis potest; utque homo de peccatis suis et vehementer et saepius doleat, eoque magis quo plura et graviora sunt alicuius peccata. Quo sc. non solum peccata quoad culpam et poenam aeternam atque partem poenae temporalis condonentur, sed copiosior etiam gratia infundatur, eoque plus remittatur de poena temporali residua.

2. Attritio ea quae ex metu gehennae aliarumve poenarum concipitur *ibique sistit, non sufficit* quidem si timor est *serviliter servilis;* si nim. poena est contritionis et motivum et obiectum vi cuius consequenter opus quidem peccaminosum quis devitat sed *voluntatem pravam non deponit;* quare qui ita est affectus, reapse est et manet talis, ut *velit* opere etiam *peccare si* poenae timendae non sint.

Sufficit autem si timor est summum *simpliciter servilis* (1); i. e. si poena contritionis est motivum *quidem* sed non obiectum vi cuius adeoque ob poenam *et culpam* quis non tantum externe ab opere abstinet, sed *etiam interne pravum affectum absolute deponit;* cfr. n. 235 et 239.

De attritione qualibet specialia quaedam observasse iuvabit. **243.**

I. Omnis vera et salutaris attritio facile resolvitur in contritionem perfectam, ad eamve saltem conducit et disponit: 1° quia attritus, non refert quo motivo ducatur, actu iam tendit in Deum. Cui reconciliari cupit aliquo amore concupiscentiae. Atque hoc ipso animus ita comparatur, ut si in mentem veniat peccatum non sibi soli sed etiam et magis ipsi Deo esse malum, Eius infinitae bonitatis offensivum, amicitiae laesivum etc., sub hoc etiam motivo facile detestetur peccatum. 2° Quia omnis attritio tendit in remissionem peccatorum, quae per se dirigitur ad reconciliationem divinae amicitiae: haec autem mutuum requirit amorem; ergo iam aliquo modo attritus vult amare Deum amore amicitiae. Et hinc

II. In praxi, quamquam Confessarii poenitentes vulgares ac rudes, dum per se non praebent sufficientia indicia veri doloris, ordinarie excitare

(1) Ab utroque distinguitur timor *filialis,* qui ex amore Dei ut patris procedit. Sporer eodem sensu distinguit timorem servilem, initialem et filialem. *Initialis* autem aliis est timor mixtus ex filiali et simpliciter servili.

debent per motiva attritionis — his enim facilius et efficacius moventur et concutiuntur, quam motivo contritionis perfectae — semper tamen ultimo eos etiam dirigant aliquo modo et elevent ad motivum contritionis perfectae.

III. De amore initiali, de quo Conc. Trid. (1), observa:

1° *Non convenit* inter AA.: 1) quid sibi velit initium illud dilectionis; utrum sit amor concupiscentiae, an actus charitatis, isque perfectusne an imperfectus; 2) utrum illud quod in Trid. sequitur: « ac propterea moventur » etc. referri definite debeat ad ultimum quod praecessit, an ad omnia praecedentia disiunctim, ita ut sufficiat moveri sive timore, sive spe, sive amore.

2° Circa dubium hoc de sensu verborum « diligere incipiunt » in quantum pertinere potest ad Sacramentum Poenitentiae, *constat* 1) idque ex ipso Trid., sufficere attritionem (n. 235, II) positis ponendis (2); 2) attritionem non solum non requirere motivum charitatis, sed ex ipso Trid. supponi hoc motivum non adesse; 3) attritionem, qualem requiri et sufficere dictum est et dicetur, esse non posse sine aliquo initio dilectionis, saltem concupiscentiae, ut hic (I) expositum est. Hoc ergo sufficere debet.

ARTICULUS II.

DE CONTRITIONE IN POEN. SACRAMENTO SPECIATIM.

244. I. Ut n. 238 iam dictum est, ad valorem Sacramenti Poenitentiae requiritur contritio 1° vera, 2° formalis; praeterea, plures addunt, debet esse 3° externa, 4° actualis *vel saltem virtualis* (in proprio sensu).

Ad 1^m et 2^m. Antiquiorum quidem plures, iique graves AA. docuere (3) 1° ad validum, *saltem ad informe,* Sacramentum sufficere contritionem *mere sed bona fide existimatam;* — 2° contritionem autem *virtualem* (in sensu improprio) vel implicitam (interpretativam) quae continetur, vel contineri praesumitur, praecipue 1) in actu charitatis perfectae, 2) in proposito non peccandi in posterum, 3) in desiderio doloris, seu in dolore de absentia doloris, 4) in desiderio absolutionis — hanc, inquam, sufficere docuere ad *fructuosum etiam* Sacramentum. Quos AA. etiamnum sequitur Ballerini (4).

---

(1) S. VI, Cap. VI. Denz. n. 680; ubi peccatores ad *primam* iustificationem disponi dicuntur i. a. eo quod Deum « diligere incipiunt ».

(2) De quibus supra n. 238-241, et infra n. 244.

(3) « Modo post Trid. sine dubio non docturi », praesumit Sporer.

(4) N. 52, ed. 3ª n. 34 sqq.; n. 86, ed. 3ª n. 52 sqq. Immerito Génicot n. 272, c) pro opinione secundum quam saltem sufficit contritio virtualis contenta in

Verum ista sententia — intellecta ut sonat, ita nempe ut Sacramentum valere possit sine contritione re vera habita — hodie communissime et absolute *reiicitur*. Et ratio clara est. Si enim *ex institutione Christi,* ut Conc. Trid. docet, ad existentiam Sacramenti, sive una sive altera ratione secundum varias et liberas sententias, requiritur contritio, haec *absolute* et vere et formaliter, non putative solum vel interpretative (virtualiter) adesse debet (1). Attamen

Nota pro praxi 1. Moraliter *vix fieri potest, quin* confessurus adeoque de peccatis suis actu cogitans, si elicit actum amoris Dei super omnia, *etiam formaliter doleat* de peccatis suis, etsi forte fervore amoris absorptus dolorem suum non advertat.

2. Monent pariter AA., homines *timoratae* conscientiae, cum optant dolere, vel dolent se non dolere, *plerumque habere verum et formalem dolorem,* etsi ipsimet non percipiant; ita ut eorum dolor potius sit de sola absentia doloris intensi vel sensibilis, quae doloris qualitates non sunt necessariae.

3. Idem ut plurimum praesumendum puto de eis, qui *bona fide existimant* se dolere; qui de cetero, ex ipsa hypothesi, tuto recipere possunt Absolutionem, et hanc recipiendo saltem non peccant.

Ad 3^{m} *Externa:* hoc additur in sententia thomistica; proprie autem significat requiri *signum* contritionis. In sententia Scotistica practice res eodem redit; ipsa enim Confessio praesumitur, et plerumque est signum sufficiens contritionis; et in utraque sententia Confessarius licite numquam absolvit, nisi de contritione poenitentis per aliquod signum iudicare possit; atque de facto nemo Confessarius umquam aliter absolvet; cfr. n. 390.

Ad 4^{m} *Actualis* etc.: et hoc plures putant sequi ex opinione Thomistica. Vere tamen inde sequi non videtur; cum potius signum contritionis quam ipsa contritio sit pars Sacramenti; cfr. n. 7, 2°, n. 51 et 246 sqq.

---

actu charitatis, citat de Lugo Disp. V, n. 82 sqq. Hic A. l. c. solum quaerit de *iustificatione,* non de valore Sacramenti. De Lugo omnino adhaerere videtur sententiae communi, de qua ipse Disp. XIV, S. I, n. 4 dicit: « *Vera* et communis sententia est, dolorem esse partem essentialem, *sine qua Sacramentum non subsistit ullo casu* ».

(1) Quod idem dictum intelligatur de necessitate *confessionis.* Perperam itaque Ballerini n. 8, ed. 3^{a} n. 6 necessitatem hanc ex institutione Christi *restringit* ad necessitatem *ex praecepto.*

245. II. Num *ad valorem Sacramenti* requiratur contritio universalis de peccatis mortalibus (1), *disputatur utrimque probabiliter.*

1. *Sufficere dolorem particularem* tantum de aliquibus peccatis, etsi, *inculpabiliter* tamen, non se extendat ad omnia alia mortalia — sive quia eorum aliorum non meminit, sive quia non credit esse mortalia, sive quia illa tacens ex iuxta causa invincibiliter credit se non teneri hic et nunc dolere nisi de peccatis quae actu confitetur, etc. — docuerunt et etiamnum docent plures AA., praecipue Thomistae. *Ratio,* quia etiam *talis* contritio videtur *vera* contritio; consequenter omnia ad Sacramentum requisita adsunt. — Porro eorumdem AA. *plerique* censent Sacramentum in his et similibus casibus esse *informe sed reviviscere* obice oblato.

Sunt vero etiam qui Sacramentum validum et formatum dicunt; quia cum poenitens doleat ut divinam recuperet gratiam, eius dolor semper virtualiter se extendit ad mortalia oblita, utpote opposita reconciliationi cum Deo intentae (2). Praeterea *propositum universale* requiritur (n. 251), sed hoc vix aderit sine dolore universali saltem implicite concepto. Quas ob rationes saltem puto casum doloris particularis, qualis in hypothesi supponendus est, rarissime contingere.

2. *Non sufficere particularem* dolorem docent plurimi alii, praesertim Scotistae. *Rationes:* 1ª Minime conveniens est ad valorem Sacramenti, instituti ad *remissionem peccatorum,* sufficere et assumere alium dolorem atque illum, qui simul sufficit ad dictum Sacramenti *fructum.* 2ª Mirum maxime esset Christum etsi tantum pro valore Sacramenti partem assumpsisse talem quae *scienter numquam* sine sacrilegio et nullitate Sacramenti adhiberi possit. 3ª *Conc. Trid.* quod plenissime huius Sacramenti naturam explicat, nullam tamquam illius partem agnoscere videtur dolorem nisi talem, qui saltem cum Sacramento ad *iustificationem* sufficiat.

Nota pro praxi praeter iam observatum ad 1: ex priori sententia sequitur, ut non sit necesse poenitentem ita confessum, agnito postea errore, peccata in tali confessione manifestata iterum confiteri.

---

(1) Cfr. n. 240.

(2) Cfr Aertnys, n. 178, 3°; Elbel. P. IX. n. 82.

III. Quaeritur num vel qualis coniunctio requiratur inter actus poenitentis, vel hos inter et absolutionem. 246.

Resp. 1° Certo requiruntur duo, seu tria, haec; 1° in poenitente, dum absolvitur, intentio suscipiendi Sacramentum (1); 2° unio moralis lata (2), inter actus poenitentis et absolutionem; et hinc 3° contritio tempore datae absolutionis saltem in habitu perseverans (2).

Resp. 2°. Praeter haec aliud quidpiam in poenitente requiri — sc. ut contritio aliquo modo ad confessionem, aut faciendam aut saltem ad factam, referatur eamque informet; vel requiri ut contritio eliciatur et referatur a poenitente ad recipiendam absolutionem; quae duo satis communiter AA. requirunt — negandum censemus, quia hoc

1) *nulla ratio suadet;* ne ea quidem quae praecipua videtur, et quam affert Sporer hoc modo: « nam pars debet referri ad compartem ». *Resp.:* pars debet existere unacum comparte. *Transeat* (3). Debet referri ad compartem: *Distinguo:* a ministro Sacramenti: *Transeat* iterum; a poenitente: *Nego,* nam dirigere materiam ad Sacramentum est officium ministri, non vero subiecti (4). — Pergit Sporer: « et confessio sacramentalis ac valida debet essentialiter esse dolorosa ». *Resp. Nego.;* gratis asseritur. Non dolor, sed *intentio* Sacramenti suscipiendi facit confessionem sacramentalem. Id confirmatur ex Rit. Rom. (5), quod posito poenitentem sine dolore confessum, et postea a Confessario ad contritionem esse excitatum, ne verbo quidam innuit necessitatem repetendi aliquo modo, ut vult Sporer cum aliis, confessionem factam, imo neque consilium hac de re praebet.

(1) Cfr. n. 49 sqq.

(2) Cfr. n. sq.

(3) Cfr. n. sq. 1 et 3.

(4) Quod idem responsum esto ad rationem — re eamdem — prout eam proponit S. Alph. n. 447: « quia sicut minister ita etiam suscipiens Sacramentum Poenitentiae debet ad illud ordinare dolorem, qui est huius Sacramenti materia ». Sed praeterea absque iure ratio haec affertur in sensu quo communiter sententia thomistica accipitur; cfr. n. 232. Quin ipse De Lugo, quamvis aliter istam sententiam accipiat, illam tamen conclusionem, ob allatam a nobis rationem, reiicit.

(5) Tit. III, Cap. I, n. 17.

2) Sententiae Sporer aliorumque *neque Conc. Trid. favet,* quod explicans quaenam contritio in Sacramento Poenitentiae requiratur, nihil omnino habet de ulla relatione seu ordinatione a poenitente facienda.

3) Sed et reliqua, quae isti favere sententiae videri possit, *auctoritas* saltem valde *dubia* est. Etenim ipse Suarez (1), « a quo, ut dicit de Lugo (2) videntur accepisse illum modum loquendi alii recentiores », quamquam nonnihil obscure loquitur, revera tamen nihil praeter duo vel tria supra enumerata exigit.

Concludo sententiam negantem esse satis certam et practice tutam. Quod et sentit Génicot (3).

247. IV. Quaestio 1ª Num stricte loquendo requiritur ut contritio vero aliquo modo perduret, ita ut cum absolutione physice vel saltem stricte moraliter simul existat?

Resp. Videtur negandum, et sufficere ut *modo negativo,* ut dicam, contritio in habitu perduret, i. e. ut ante absolutionem non fuerit retractata (4). Consentiunt enim omnes sicut in iudicio forensi intervallum prorsus indeterminatum, ita et in sacramentali iudicio aliquod saltem intervallum intercedere posse inter cognitionem causae et sententiae pronuntiationem, tantum nempe, quantum stare potest cum unione requisita secundum n. pr.; cognitio autem causae sacramentalis non solam accusationis receptionem sed etiam iudicium de *dispositione* poenitentis complectitur (5).

Quaestio 2ª Quandiu satis perdurat actus contritionis elicitae (6)?

---

(1) Disp. XX, Sect. IV.

(2) Disp. XIV.

(3) N. 278.

(4) Retractata vel saltem non iam sufficere dicenda est contritio *de mortalibus,* sive repetitur consensus in idem vel in unum ex iisdem peccatis, sive aliud quodvis peccatum mortale committitur. Si vero de venialibus agitur, difficilius hoc determinatur. — Quod ad venialia dicendum puto contritionem non esse, saltem certo, retractatam censendam nisi vel denuo idem omnino, vel maius eiusdem generis peccatum admittitur, idque attentis omnibus circumstantiis; cfr. Lehmkuhl n. 281, 4.

(5) Cfr. infra Qu. 3.

(6) Cum hac quaestione passim confunditur ea quae proxime sequitur; Cuius rei haec, coniicio, est ratio, quod facilius tamquam certum ponitur requiri ut contritio vero aliquo sensu perduret. Nos in seq. quaestione *contritionem aequiparamus confessioni,* quae certe non proprie perdurare dicitur.

2. Resp. Quaestionem hanc, saltem in quantum a qu. seq. *sensu* differt, vix non inutiliter poni.

Quamvis enim, in sententia thomistica de partibus *intrinsecis* huius Sacramenti, necessarium alicui *videri* possit ut contritio usque ad absolutionem dandam, non in habitu solum, sed virtualiter, idque in proprio sensu, perduret (1); haec ipsa tamen necessitas ob eamdem, quae supra data est, rationem negari potest. — Ceterum neque determinari potest, quamdiu contritio elicita virtualiter perduret. Solum dici potest, hoc pendere tum ex illius gradu intensionis, tum ex aliis quoque circumstantiis, quarum vi tamdiu sic durat, quamdiu in aliquem effectum, non physicam solum, sed moralem vim agere pergit.

Quaestio 3ª. Quantum temporis spatium intercedere potest inter contritionem elicitam et absolutionem?

Resp. Non conveniunt AA. Censent alii tantum hic intervallum admitti posse, quantum inter partes iudicii forensis; alii vero hoc laxius dictum putant; et merito: ob dicta n. pr. sub Resp. 1°. Quamquam regulam certam non assignant AA.; sed neque assignari posse existimo.

Nota 1. Eadem, ut patet, est quaestio, idem dubium de distantia admittenda inter *confessionem* factam et absolutionem dandam (2).

2. *In praxi*, dummodo de contritione habita satis constet, vix difficultas est facienda, quia vix accidet ut, quando quis postea vèl confitetur vèl absolutionem petit, dolorem ante elicitum non aliquo modo renovet (3). Summum itaque *dubitari*, in rigidiori sententia, poterit casu quo quis rei inscius sic absolutus est.

V. Quaeritur, num — positis ponendis secundum dicta n. pr. — novus actus contritionis requiratur ad novam absolutionem recipiendam sive — 1° peccatorum, quae inculpabiliter erant omissa, sive — 2° quando quis peccata iam confessus iterum confitetur eadem. 248.

---

(1) Cfr. Noldin n. 125, 2, 2).

(2) Cfr. nota (6) hui. num. et Ball.-Palm. n. 137 sqq. ed. 3ª n. 89 sq.

(3) Cfr. Lehmkhl n. 280, 3.

Resp. I. In 1° casu *posito* motivum doloris sese extendisse ad peccata omissa, nunc clavibus subiecta, communiter et satis certo negant. Adsunt enim omnia ad Sacramentum necessaria absque actu contritionis denuo elicitae, nam sicut habetur nova absolutio, ita quoque nova confessio, eaque dolorosa vi actus praecedentis: ergo iudicium completum.

S. Alph. tamen contrarium dicit probabile, imo probabilius, scribens (1): « 2ª sententia affirmat (2). *Ratio*, quia per primam absolutionem iam completum est iudicium ». *Resp.* Obiective completum non est. — « Ergo si nova impertienda est absolutio, nova requiritur materia proxima ». *Resp.* 1°. Distinguo: denuo requiritur: *Concedo.* Nova requiritur: *Transeat;* cfr. quod mox dicetur ad alterum casum. *Resp.* 2°. Hoc casu satis adest; nim. contritio *manifestata* per ipsam confessionem peccati omissi: cfr. n. 392. — « Et quamvis dolor in se moraliter perseveret, non tamen perseverat in ordine ad secundam absolutionem ». *Resp.* Hoc non requiritur (n. 246), et dato requiri, dolor perseverans aeque refertur ad secundam absolutionem ac ad primam.

Resp. II. In secundo casu idem et propter eamdem rationem resolvunt i. e. negant multi.

In contrarium tamen maior hic quam in 1° casu stat auctoritas, si minus maior probabilitas intrinseca; quia sc. hoc casu prius iudicium erat revera completum (3).

Verum neque hoc obstare videtur. Quod enim in casu novum iudicium est instituendum, huic rationi satisfit nova accusatione; et cum, ex supposito, satis etiamnum adest contritio, ergo omnia requisita adsunt. Quod autem integra materia proxima debet esse omnino nova, hoc non gratis asseri sed probari debet (4); id autem in ipsa sententia thomistica, ut communiter accipitur (5), dif-

(1) N. 448.

(2) Addit S. Dr.: « et hanc tenent Bonacina, Vasquez, Filliucci ». Sed hi AA. loquuntur de altero casu.

(3) Cfr. Lehmk. n. 282, et Ball. ad Gury n. 448, ed. Palm. n. 260, Quaer. 8°. — Sporer sententiae affirmanti adhaeret pro praxi, fatetur tamen negantem esse speculative veram.

(4) Cfr. De Lugo D. XIV, S. III.

(5) Cfr. n. 232.

ficulter probabitur. Quid enim obstat quominus Sacerdos ad alteram absolutionem adhibeat eamdem contritionem, aeque ac v. gr. adhibere potest eamdem aquam ad alterum baptismum conferendum?

Ceterum *pro praxi* idem hic observari potest quod n. pr.

ARTICULUS III.

DE PROPOSITO (1).

Propositum requiritur firmum seu absolutum, efficax et, quoad mortalia, universale. 249.

I. Firmum seu absolutum requiritur propositum; ita nempe ut, *praesenti* voluntate attenta, quis nullius mali metu, nullius boni amore velit in posterum peccare (2) — saltem non mortaliter, si grave peccatum confessus est (3).

Quaer. quid de sufficientia propositi censendum sit, si ipse poenitens timeat vel praevidere sibi videatur relapsum.

Resp. *Per se* non obstat. Non enim requiritur persuasio certa intellectûs, qua poenitens certo credat vel animo sibi persuadeat se non amplius peccaturum, aut hoc vel illud peccatum non amplius patraturum, ut notant DD. communiter. Potest enim quis vere dolere et detestari peccatum, ac vere et absolute proponere se de cetero non peccaturum, tametsi valde timeat, aut etiam existimet, *imo certo credat*, se ob expertam suae voluntatis inconstantiam et fragilitatem suam denuo relapsurum. Quare si poenitens, bonae alioquin voluntatis, dicat: « doleo quidem ac firmiter propono; interim tamen scio: iterum faciam; non possum promittere etc. » is tamquam bene dispositus, praemissa confirmatione ac consolatione debita, atque edoctus non promissionem neque praevisionem constantiae sed propositum seu actualem solum bonam voluntatem requiri, absolvendus est.

Non est ergo illa relapsus pravisio, quam DD. obstare putent firmo proposito, sed est tantum *desperatio* poenitentis; uti ex-

(1) Sporer. n. 392 sqq.
(2) Cfr. n. 241.
(3) De venialibus speciatim dicetur n. 253.

plicat ipse La Croix (1), qui tamen praecipue affertur tamquam aliorum opinioni contrarius. « Si tamen, inquit, consuetudinarius ipse *desperet* de sua emendatione, difficulter habebit verum propositum; hinc priusquam absolvatur, disponi debet, ut *speret,* non per vires suas sed per Dei gratiam, cui si cooperetur, poterit etc ».

250. II. Efficax (2) debet esse propositum, ita ut reipsa quis moveatur ad omnem adhibendam operam et media necessaria quibus in posterum peccata evitet; et imprimis ad amovendas vel fugiendas occasiones proximas peccatorum mortalium, ad satisfaciendum vel restituendum pro iniuriis vel damnis illatis, ad remittendam ex animo offensam, etc. Ratio petitur ex praecedenti requisito. Intentio enim finis, si absoluta et firma sit, eo ipso movet ad quaerenda et amplectenda media necessaria.

251. III. Universale, quoad mortalia, requiritur propositum; idque, uti communissime contra paucos tamquam certum tradunt, non tantum quoad mortalia antea commissa, sed universale absolute *de omni* peccato mortali vitando. Is enim omnino videtur sensus Conc. Trid. requirentis « propositum non peccandi de cetero », seu contritionem quae « voluntatem peccandi excludat ».

Universale autem hoc sensu erit, si dolor conceptus est ex motivo universali. Quod cum plerumque fiat, practice non ideo erit difficultas facienda, si poenitens de solis peccatis commissis cogitet, dummodo ne habeat vigentem affectum erga ullum aliud.

252. Sufficere implicitum propositum — contentum in contritione — deducitur ex ipso Trid., quod non exigit nisi contritionem quae « voluntatem peccandi excludat ». Itàque, contra paucos (3), communiter Theologi docent, *si* quaeritur de sola iustificatione vel valore (4) Sacramenti.

---

(1) N. 1822.

(2) Sicut propositum qua *firmum* excludit *voluntatem peccandi,* ita qua *efficax* includit *voluntatem media adhibendi* necessaria; non ergo dicitur efficax ab effectu realiter secuto: compara numeros praesentem et praecedentem.

(3) Hi aliud sentiunt, quia Conc. Trid. expresse meminit propositi. *Resp.* 1° meminit ubi agit de prima iustificatione; 2° pari probabilitate exigere possent concionatorem, nam Trid. ibid. meminit etiam fidei ex auditu.

(4) Cfr. tamen mox sequentem alineam « Praeterea ».

Alias tamen ob causas regulariter propositum explicitum postulant; sc.: — 1° *si* poenitenti subeat cogitatio de vita futura; tum enim vix vel ne vix quidem serium praesumi potest propositum nisi explicitum; — 2° *ut* tum poenitenti, tum maxime Confessario de sufficienti dispositione constet.

Praeterea propositum explicitum multum iuvat *uberiorem* fructum Sacramenti, perseverantiam post confessionem.

Nota. Videtur requiri propositum formale seu *explicitum* in casu, utique raro, quo dolor de peccato concipitur *unice e motivo particulari*; nam tali dolori non est implicitum propositum non peccandi de cetero, sed tantum vitandi illa peccata de quibus homo dolet (1).

Scholia de peccatis venialibus.

I. De contritione et proposito *in confessione* ve- 253.
nialium.

In confessione solorum venialium, ut illa valeat, consequenter sub gravi, contritio et propositum dotes easdem habere debent, quae supra expositae sunt; *excepto* quod non requiritur ut sint *universalia* (2), quia unum sine altero remitti potest.

Sufficit itaque dolor et vitandi propositum 1° de iis solis quae poenitens confitetur; 2° de horum aliquibus vel aliquo; v. gr. de veniali graviore vel magis deliberate commisso, vel determinatae speciei (3); 3° de eorumdem multitudine seu frequentia, ita ut propositum non sit de singulis vitandis, sed de minuenda saltem illa frequentia vel negligentia. Quamquam hoc ultimum, de venialibus etiam deliberatis intellectum (4), periculo non caret, quia proposita quo magis universalia eo minus sunt efficacia.

Quare suadendum est 1) iis qui sola venialia confiteri solent, ne nimiâ curâ se omnium venialium specie et numero accusent, sed eorum tantum quae magis gravant; utque ex hisce ipsis

(1) Cfr. tamen dicta n. 245, 1. Génicot n. 280.

(2) « Valde probabile est pro venialibus sufficere detestationem *virtualem* » — interpretativam? — Haec Génicot n. 276 nixus textu S. Thomae 3, qu. 87, a. 1. *Resp.* S. Thomas ibi non agit de remissione venialium in Sacramento Poenitentiae. Cfr. n. sq.

(3) Num autem scienter et sine causa confitens venialia de quibus satis non dolet, ideo venialiter peccet, non conveniunt AA. Cfr. n. 259.

(4) Cfr. Lehmkuhl n. 294.

unum seligant, quod speciali proposito ac conatu deinceps emendare studeant; — 2) ut addatur, generice saltem, peccatum *gravius vitae praeteritae.*

254. II. De remissione venialium (1) *generatim.*

Regulae: I. Nullum remittitur veniale nisi prius vel simul remissa sint mortalia. Ratio, quia nullius culpae remissio fit sine infusione gratiae.

II. Unum veniale remitti potest sine alio. Ratio, quia venialia non repugnant gratiae habituali.

III. Nullum veniale remittitur sine omni poenitentia; *sufficit* autem *extra* Poenitentiae Sacramentum poenitentia *virtualis*, quam vocant, contenta in actu affectui ad venialia repugnante. Utrumque, contra nonnullos, communiter sentiunt. Ratio utriusque petitur ex (praesumpta) Dei oeconomia ordinaria.

Media seu modi quibus venialium remissio obtinetur, a S. Thoma (2) ad tria reducuntur.

1^m^ est infusio gratiae, quo modo — praeterquam per Sacramentum Poenitentiae — per Eucharistiam et Extremam Unctionem, et universaliter per omnia Sacramenta remittuntur.

2^m^ est motus detestationis peccatorum; quo modo confessio generalis, tunsio pectoris, oratio dominica operantur ad remissionem venialium.

3^m^ est motus reverentiae in Deum et ad res divinas: quo modo operantur Sacramentalia.

Ad 1^m^. Quod ad S. Eucharistiam, contra multos negantes, confirmatur ex Trid. Sess. XIII, Cap. II. — De Confirmatione, Ordine et Matrimonio etiam plures a fortiori negant.

Ad 2^m^. Mens S. Thomae videtur, sufficere attritionem. Quod plures absolute negant (3). Verior videtur sententia De Lugo (4), secundum quem *sola* attritione *non omnia* remittuntur venialia, sed « pro gravioribus perfectiorem attritionem, pro levioribus minus perfectam exigit Deus ».

CAPUT SECUNDUM.

DE CONFESSIONE.

ARTICULUS I.

DE CONFESSIONIS MATERIA GENERATIM (5).

255. **Materia** remota Sacramenti Poenitentiae adeoque et materia Confessionis sacramentalis distinguitur praecipue: alia *necessaria*, alia *libera* ac sufficiens.

(1) Quod ad culpam spectat.

(2) 3, q. 87, a. 3.

(3) Quibus consentit Sporer.

(4) Disp. IX, S. II, n. 29 sqq. Hanc et Sporer probabilem habet.

(5) Sporer n. 24 sqq.

I. Necessariam materiam constituunt omnia et sola peccata mortalia post Baptismum commissa et nondum directe vi clavium, seu absolutione sacramentali remissa. — Quae possunt esse: 1° nec remissa nec confessa; 2° remissa — contritione perfecta — sed nondum confessa; 3° confessa sed nondum remissa — ob defectum substantialem — 4° confessa et remissa — contritione perfecta sed non vi clavium (1).

Difficultates ex Baptismo vèl sacrilego vèl dubio. 256.

Quaer. 1°. Quid de peccatis illius qui ipsum Baptismum valide quidem sed sacrilege suscepit?

Resp. I. *Speculative* res *dubia* et controversa est, tum de peccato sacrilegii tum de aliis peccatis simul a baptizato forte commissis, puta: odii, luxuriae etc.; aliis affirmantibus de omnibus illis peccatis, aliis negantibus de omnibus, aliis affirmantibus de primo, negantibus de reliquis peccatis, ea esse materiam Sacramenti Poenitentiae.

Resp. II. *In praxi certum* est — opinamur cum De Lugo (2) — omnia illa peccata esse materiam necessariam Confessionis; quia si aliquod peccatum duravit toto tempore antecedenti et ipso etiam instanti ultimo terminativo Baptismi, vel solo illo instanti, tunc praesumendum est fuisse continuatum etiam aliquo modo et per aliquid saltem temporis sequentis.

Quaer. 2° Quid si adultus sub conditione baptizatur propter 257. dubium de Baptismo praecedente; num peccata ante conditionatum hunc Baptismum commissa sunt materia Confessionis sacramentalis?

Resp. I. Peccata iam rite confessa et absoluta certo repetere non tenetur, ut patet.

II. De peccatis nondum confessis 1) multi antea negabant, et nonnulli etiamnum negant obligationem ea confitendi, quia positâ probabili prioris Baptismi invaliditate probabiliter ea peccata non videntur materia Sacramenti Poenitentiae. 2) Multis e recentioribus opinio haec relinquenda videtur, propter responsum S. C. P. F. (3): « Quoad dubium... sacramentalem confessionem attingens a neo-con-

(1) Necessitas haec oritur *ex praecepto* divino positivo. Qualis confessio sit *essentialiter* requisita, adeoque de necessitate sacramenti, dicetur in fine huius cap.

(2) Disp. XVI, S. I.

(3) 12 Iulii 1869; *Anal. eccl.* anni 1899, pag. 489.

versis exigendam, observandum occurrit responsum S. O... 17 Dec. [1868], licet Episcopis Angliae tantummodo rogantibus datum, *universalem legem continere*, proindeque... in aliis etiam regionibus obligare. Hinc patet quod nullatenus permitti possit ut praedictae decisioni contraria sententia edoceatur ».

Cuius decisionis, isto sensu absoluto et generali intellectae, fundamentum sic indicat Lehmkuhl (1): « Nemo ambigit quoslibet regimini sociali eius societatis subiacere, cui externo ritu adscripti fuerint, donec illa adscriptio probetur invalida.... Hinc.... dubium circa Baptismi valorem id quidem efficit; ut hoc sensu habeatur Baptismus pro nullo quatenus possit et debeat conditionate repeti in favorem hominis, ne salutis aeternae dispendium faciat; sed nullatenus eo sensu pro nullo practice haberi potest, quatenus dubie baptizatus eximatur ab iis legibus et obligationibus, quae sive ecclesiastico sive divino iure pro baptizatis vigent inter quas obligatio peccata confitendi principalem locum tenet ».

Verum hoc modo summum probatur obligatio *ante* Baptismum conditionate repetitum; sed probanda proprie est perduratio huius obligationis *post* Baptismum quo *probabiliter* abluta sunt peccata, de quibus agitur.

Porro alii AA. resonsum S. Off. 17 Dec. 1868 datum censent pro iis solis casibus quibus ob circumstantias, quales ab Episcopis Angliae expositae sunt, tum speciales rationes suadent Confessionem faciendam, tum maxime praesumptio stat pro valore prioris Baptismi, ita ut vix probabiliter posterior Baptismus validus haberi possit. Expositum nim. i. a. erat: « Habetur insuper necessitas suae saluti per iustificationem in Sacramento Poenitentiae prospiciendi, a cuius integritate nemo in infantia semel baptizatus possit eximi, attenta praesertim diligentia iuniorum e Clero Anglicano circa ritum baptizandi fideliter servandum, et attento proinde maiori numero eorum de quorum baptismatis infantilis valore non licet dubitare (2).

Concludimus nequaquam constare per responsa S. Off. et S. C. P. F. priorem sententiam, posita probabili prioris Baptismi nullitate, amisisse suam probabilitatem (3).

---

(1) N. 322.

(2) P. Bucceroni adhuc in editione 5ª ann. 1908 defendit decretum illud non esse generale his verbis: « Responsum illud generale decretum non esse, publice declaravit ad S. Apollinaris Emmus Card. S. O. Secretarius ann. 1898, cum ex professo de hac quaestione in consueta casuum conscientiae collatione disputaretur. Quod etiam d'Annibale, S. O. Assessor, et deinde Card. explicite affirmat ed. 3ª, p. 3, n. 301, nota 3. *Casus conscientiae* Gury-Ferreres t. II, n. 424.

(3) Iuvat hic recensere, cum Génicot n. 259 in nota: « ordinem servandum in admissione haereticorum iuxta Instructionem S. C. P. F. 20 Iulii 1859: Cfr. Denz. n. 1688.

1° Si Baptismus *absolute* conferendus est, nulla requiritur abiuratio vel absolutio.

2° Si Baptismus iteratur *sub conditione*, sequens ordo observandus est: abiuratio seu professio fidei; — Baptismus conditionatus; — confessio sacra-

II. Materiam liberam simul et sufficientem esse 258.
peccata — post Baptismum commissa — venialia quaecumque, et sive mortalia sive venialia iam directe vi clavium remissa, hoc certo omnino constat tum ex perpetua fidelium praxi, tum ex constanti et concordi Theologorum doctrina, tum etiam ex Conc. Trid. Sess. XIV, cap. V, et ex Const. Bened. XI « *Inter cunctas* ». Rem explicant Dogmatici.

III. Materia non sufficiens sunt illi omnes morales de- 259.
fectus qui ad rationem peccati non pertingunt. — « Verum non debent reprehendi Confessarii, quod poenitentes in iis dicendis non impediant; tum quia plura ex iis, quae videntur merae imperfectiones, non fiunt sine aliqua culpa veniali, tum etiam quia non est necesse quod omnia quae poenitens in confessione dicit, sint determinate et absolute materia absolutionis. Multa quippe dicuntur, quia ad Confessarium magis spectat discernere, quae sit, quae non sit absolutionis materia, et ut Confessarius magis perspectam habeat poenitentis conscientiam et eo melius de toto eius statu iudicare possit in ordine ad debitum remedium adhibendum (1) ».

ARTICULUS II.

DE NECESSITATE ET PRAECEPTO SACRAMENTI POENITENTIAE ET CONFESSIONIS (2).

Necessaria sunt — posito peccato mortali post Baptismum 260.
commisso — Sacramentum Poenitentiae et Confessio

---

mentalis cum absolutione conditionata. Hic ordo si non fuerit servatus, peccata tamen certe deleta erunt sive per Confessionem sive per Baptismum. Insuper poterit accipi accusatio peccatorum antequam conferatur Baptismus; quo collato absolutio impertiatur, peccatis summatim tantum repetitis. (S. Inqu. 2 Dec. 1874; Coll. P. F. n. 957).

3° Si Baptismus in haeresi susceptus *iudicatus fuit validus*, sola requiritur abiuratio seu professio fidei, quam absolutio a censuris sequitur.

Sola *professio fidei*, iuxta formulam in cit. Instr. relatam, exigenda est ab iis qui nondum compleverunt annum 14^{m}; a reliquis insuper formalis *abiuratio sectae*. (S. Inqu. 8 Mart. 1882; coll. P. F. n. 1680). Ritum refert Schneider, *Man. Sac.* pag. 437 ».

(1) De Lugo Disp. XVI, S. II, n. 103.

(2) Sporer n. 517 sqq.

1° necessitate medii, in re vel in voto, et praecepti divini. « Est autem hoc Sacramentum Poenitentiae lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus ». — « Ex institutione Sacramenti Poenitentiae iam explicata [praesertim ex data Sacerdotibus *duplici* potestate *remittendi et retinendi* peccata] universa Ecclesia semper intellexit, *institutam* etiam esse *a Domino* integram peccatorum *Confessionem,* et omnibus post Baptismum lapsis *iure divino necessariam* existere (1) ».

2° Necessaria sunt ex praecepto ecclesiastico lato in Conc. Later. IV: « Omnis utriusque sexus fidelis.... omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti (2) ».

261. I. Subiectum obligationis. Neutrum praeceptum obligat, ex opinione communi et probabiliori, nisi eos qui mortaliter peccaverunt. — Sunt tamen qui putent, praeceptum *ecclesiasticum* eos quoque obligare, qui sola venialia commiserint; nempe vèl ad ea confitenda, vèl saltem ad declarandum in foro sacramentali se mortaliter non peccasse. Ad quae

Nota. Ex opinione 2ª sequeretur eum qui venialia confessus est pro eo anno satisfecisse praecepto Ecclesiae, neque amplius eo obligari, etsi currente eodem anno in mortale incideret. — *Ex opinione* 1ª alii aliter in dicta hypothesi resolvunt. Sed opinio negans in casu obligationem probabilis saltem est, ut magis consona tum sensui fidelium — qui etiam sola venialia in confessione annua confitentes legem implere se putant et intendunt — tum aequitati, quia secus peioris conditionis foret qui venialiter solum, quam qui mortaliter peccaverit.

262. II. **Tempus** implendi: 1. Praeceptum divinum obligat 1° *per se in articulo mortis* tantum; aliud certum tempus huius obligationis per se nullo certo fundamento assignari potest; cfr. n. 236; — 2° *per accidens* autem *saepius:* praecipue 1) prae-

---

(1) Conc. Trid. Sess. XIV, cap. II et V; accedit Can. VI: Denz. nn. 775, 779, 794.

(2) Cap. XXI; Denz. n. 363.

ceptum, si minus divinum, saltem ecclesiasticum obligat (1) quando Eucharistia sumenda est; addunt: 2) quando eo solo medio certum peccatum mortale evitari potest. Quamquam alii negant dari casum quo non possit quis hoc vel illud peccatum evitare nisi medio Confessionis. In singulis casibus standum erit iudicio experti.

2. Praeceptum ecclesiasticum obligat *singulis* annis sed *non tempore determinato*. Alii annum computandum dicunt a 1° Ianuarii ad 31^{m} Decembris, alii a Paschate ad Pascha. Posterius magis convenit tum universali fidelium praxi tum etiam ipsi textui Conc. Later., quod Communionem in Paschate praeceptam arcte coniungit cum annua confessione, tamquam cum necessaria eius praeparatione (2).

Practice parum refert, cum illi qui praecepto Communionis Paschalis satisfaciunt, etiam confiteri praevie soleant, consequenter singulis annis inter 1^{m} Ianuarii et 31^{m} Decembris confitentur; neque lex dicit Confessionem non posse ultra ipsum annum differri.

3. Dubia. 1^{m} Num is qui non satisfecit praecepto ecclesiastico, tenetur etiamnum confitendo satisfacere pro anno elapso, idque quamprimum? — Communiter affirmant utrumque; contradicunt tamen plures.

2^{m} Num idem, si postea confiteatur, una confessione satisfacit tum pro praeterito vel praeteritis annis tum pro anno currente? — Communiter affirmant, saltem si peccatum mortale anno currente commissum confessus est; cfr. n. pr.

III. Modus implendi. Neutri praecepto satisfit per Confessio- **263.**
nem sacrilegam vel invalidam (3).

Iamdudum cessavit obligatio confitendi proprio Parocho, vel huius licentiam habendi ad confitendum alteri. Hodie quisque apud quemlibet Confessarium confiteri, idque quovis anni tempore potest.

---

(1) Cfr. n. 131. I.

(2) Cfr. Génicot n. 323. 2°.

(3) Cfr. Vol. I n. 91, II. 3° et n. 97, II; atque propp. 13 et 14 damnatas ab Alex. VII: Denz. n. 984 sq.

ARTICULUS III.

DE DOTIBUS CONFESSIONIS GENERATIM (1).

264. **Necessariae dotes** Confessionis reduci possunt ad has quatuor (2): sit vocalis, facta sacerdoti praesenti (3), vera et integra.

1. Vocalis esse debet confessio *ex praecepto* ecclesiastico, consuetudine inducto, et, ut communiter censent, *sub gravi* obligante. Quamquam hoc non ita certo constat (4). Consentiunt autem ob iustam causam licere confiteri per nutus, signa vel scripturam, neque ita gravem causam requirunt AA; v. gr. si puella supra modum verecunda peccatum suum ore exprimere non possit; si quis ob linguae impedimentum, gutturis angorem, pectoris oppressionem etc. difficulter ore confiteatur; si confessarius surdaster poenitentem non satis audiat nisi ita alte loquentem, vel poenitens surdaster ita alte loquatur, ut etiam adstantes audiant. — Quinimo De Lugo l. c. censet non esse ullam obligationem voce confitendi distincte seu singillatim omnia peccata sed sufficere ut tradatur scripta confessio legenda Sacerdoti, et post lectionem dicatur: «accuso me de his peccatis, quae legisti». Est «sententia saltem speculative probabilis» ait Sporer.

265. II. Vera sit confessio. *Regula* 1. mortale est mendacium — admissum sive negando vera sive affirmando falsa — si notabiliter pervertat iudicium Confessarii. Quare 1° si fiat in materia necessaria, quae nim. vel ex praecepto est declaranda, vel ad valorem absolutionis spectat (5); 2° si fiat in re gravi seu magni momenti, et, quavis ratione, ad confessionem pertinente, de qua

---

(1) Sporer n. 340 sqq., et n. 448 sqq.

(2) Sexdecim passim AA. enumerant; cfr. S. Thom. Suppl. qu. IX, a. IV.

(3) Vid. dicenda de absolutione.

(4) Cfr. De Lugo Disp. XV, S. V, n. 76 sqq.; Ball.-Palm. n. 453, ed. 3ª n. 263.

(5) Quod etiam in materia libera contingere potest, si sola clavibus subiicitur.

sc. Confessarius pro officio suo iure interrogat vel interrogare posset (1).

2. Extra hos casus mendacium per se, seu tamquam tale, est tantum veniale, *sed* mortale aliunde accedere potest.

ARTICULUS IV.

DE INTEGRITATE CONFESSIONIS SPECIATIM (2).

I. Integritas distinguitur alia *materialis* — obiectiva — qua integra materia necessaria seu omnia *per se* in praesenti confessione accusanda (n. 255) exprimuntur, modo § seq. exponendo; alia *formalis* — subiectiva — habetur in accusatione omnium peccatorum, quae quis hic et nunc confiteri *moraliter* potest et debet; id quod § II magis explicabitur. 266.

II. Integritas materialis itaque est *per se* necessaria, idque *ex praecepto* divino (n. 260 I); in eius defectu autem, seu *data causa* excusante — quae vel vere adest vel saltem bona fide adesse putatur — sufficit formalis integritas. 260.

Haec ergo formalis absolute et semper requiritur ad *validam* absolutionem: cum deesse nequeat absque novo peccato mortali, quocum non consistit sufficiens contritio. Quo sensu dicitur etiam necessaria *de necessitate Sacramenti*.

§ I. — *De integritate materiali* (3).

1. Ad integritatem certo pertinent, adeoque exprimi debent peccatorum mortalium 1° *species moralis, infima*, 2° *nu-* 267.

---

(1) Cfr. tamen n. 272, II. — Sunt qui cum S. Lig. putent, his in casibus committi duplex peccatum mortale, unum sacrilegii, alterum mendacii sibimet graviter perniciosi. Pro qua opinione S. Dr. citat Sporer. Verum hic mere dicit « mendacium factum in confessione in re gravi semper continere duplicem et quandoque triplicem malitiam,... [sc.] saepe etiam iniustae infamationis aut sui ipsius aut proximi ». Sed non addit singulas illas malitias esse vel semper esse mortales; quod revera difficulter intelligitur.

(2) Sporer n. 353 sqq.

(3) Sporer n. 368 sqq.

merus, singularum specierum, 3° — ratione 1^mi — *circumstantiae speciem mutantes.* — Horum porro exprimendorum necessitatem ipsum Conc. Trid. (1) deducit seu probat ex natura Sacramenti, ut est a Christo institutum (2). — Adde: exprimi debet 4° *actus externus* — commissus vel omissus — *qui* actum internum in ratione peccati *complet*, quia nim. in se seu obiective legi adversatur; uti v. gr. furtum, fornicatio, omissio Sacri. Aliud est de externa manifestatione peccati proprie interni, quale v. gr. est odium, haeresis; quae per se non est necessario declaranda, nisi nempe inducat novam et specificam malitiam.

II. Dubium: *de effectu* post completum peccatum secuto, si is fuerit intentus vel saltem praevisus, quaeritur num exprimendus sit.

Resp. 1. Conveniunt AA. communiter:

1° talem effectum non esse necessario declarandum si ante eius eventum prava voluntas fuerit sincere et pro viribus efficaciter *retractata;*

2° per accidens aliquando effectum exprimi debere, si nim. ab eo *dependet reservatio, censura, obligatio restituendi,* de quibus Confessarius pro munere suo interrogandum censet.

3° Supponunt saltem communiter effectum declarandum esse, si eius eventus actualiter a libera voluntate pependit.

2° *Extra hos casus* disputatur. Affirmatur, quia talis effectus etsi non formaliter et intrinsece liber et malus, talis tamen est extrinsece et denominative a libertate et malitia voluntatis a qua procedit. At *satis certo* «*negatur,* quia solum debent necessario explicari peccata; ille autem effectus, licet effectus sit peccati, non est tamen proprie peccatum, quia non potest esse peccatum actuale in eo qui actu non peccat»; quae est hypothesis (3). Quae argumentatio peremptoria videtur.

268. I. De specie exprimenda. 1. Ad confessionem non pertinet physica species peccatorum, sed sola moralis. Ex. gr. qui fu-

(1) Sess. XIV, cap. V; Denz. n. 779.

(2) Cfr. n. 260, 1°.

(3) Cfr. supra 3°. De Lugo Disp. XVI, S. IX, n. 438, 440; cfr. La Croix n. 944 sqq.

ratus est 100 florenos in pecunia, equum valentem 200 fl. etc., has species distinguere non debet, sed satisfacit dicendo se commisisse toties gravia furta (1).

2. Infima species exprimenda est. Non sufficit indicare solum genus vel speciem subalternam dicendo v. gr.: peccavi contra iustitiam, religionem, castitatem; vel commissi peccatum luxuriae contra naturam (2).

3. Quantum fieri potest species est exprimenda.

1) Qua in re, si a Confessario poenitens est adiuvandus, sicut a Confessario minus instructo per defectum, ita, ne dicam magis etiam, a doctiori peccari potest per excessum (3). Nim., ut notat Lehmkuhl (4): « Species peccatorum accusandae a poenitente et inquirendae a Confessario sunt *pro captu poenitentis eiusque conscientiâ* quam peccando habuit; malitia enim ignorata non contrahitur: attamen sufficit confusa gravioris malitiae cognitio seu apprehensio », v. gr. multo gravius esse adulterium quam simplicem fornicationem (5).

2) Qui certe scit se peccasse mortaliter, nescit vero vel non reminiscitur in qua specie infima, sed solum in genere vel specie subalterna; huic *nunc sufficit*, sed etiam *debet* hoc ipsum, *quantum recordatur*, in confessione explicare, cum haec sit èt sufficiens èt necessaria materia confessionis et absolutionis. Quare neque tenetur quidquam ex materia libera addere sive in genere sive in specie (6).

II. De numero dicendo. 1. Numerus moralis, non physicus, 269.
dicendus est (7).

2. Quantum fieri potest certus numerus dici debet.

1). Quando numerus *certus* deprehendi *non potest*, dicatur numerus *probabilis*, *is* nim. qui videtur ad numerum verum *ma-*

(1) « Singula tanti valoris » addit Sporer; sed cfr. n. 271, 2.

(2) Cfr. Vol. I, n. 112 sq.

(3) Cfr. De Lugo l. c. S. XIV, n. 589.

(4) N. 306.

(5) Plura vid. n. 270 et infra Artic. de officio interrogandi.

(6) Quid in casu *directe* remittatur, dicunt Dogmatici. Cfr. De Lugo Disp. XVII, n. 14 sqq.

(7) Cfr. Vol. I, n. 115 sqq.

gis appropinquare, addito illo solemni « circiter » vel « plus minusve ». Quo probabili numero dicto a) *comprehenditur excessus modicus* super numerum verum; ita ut, si is postea cognoscatur, non est tamen obligatio eum declarandi in proxima confessione. — b) *Non comprehenditur* autem excessus *notabilis;* qui si postea deprehenditur. in nova confessione manifestari debet. — c) Quantus porro excessus haberi possit modicus et comprehensus hoc communius(1) dicunt aestimandum esse respectu ad numerum qui dictus est, proportione non arithmetica sed geometrica; ita ut quo maior sit ille numerus, eo maior etiam, absolute quidem sed non comparate, excessus comprehendatur; v. gr.: si dicatur « decies plus minusve », intelligi potest ad 12; si vero: « centies plus minusve » non ad 120 sed summum ad 110, ut sentiunt plerique. (Cfr. tamen nota 1). Verum si ad 100 crescit numerus a poenitente expressus, in praxi praestabit applicare regulam quae sequitur:

2). Quando neque probabilis numerus haberi potest, opus erit et sufficiet poenitentem aperire suum statum, consuetudinem peccandi, moram temporis quod in statu peccandi mortaliter perseveraverit, et frequentiam lapsuum in die, hebdomada, mense. Exemplis aliquot, ex probatis AA., declarantur dicta nn. pr.

270. De specie et numero exempla.

1. Communis meretrix satisfacit dicendo: « tot annos in statu meretricio permansi; quoties occasio fuit, et quibusvis, etiam coniugatis, sacris etc. copiam corporis feci »; nam species peccatorum saltem principales, et eorum numerum aliquem si possit, eam debere exprimere notant DD. communiter. Fieri enim potest ut una talis lupa centies peccarit cum clericis et coniugatis, cum aliis tantum decies; quidni haec exprimere teneatur?

2. Qui domi habet concubinam, sufficienter confitetur dicendo: tantum tempus habeo concubinam et ea velut uxore usus sum ».

---

(1) Alii excessum *certo* notabilem solum et semper dicunt esse *quartam* partem numeri expressi. — « Ad praxim tamen parum faciunt istae determinationes, utpote fidelibus fere omnibus ignotae. Si qui errorem a se admissum animadvertent, illum sponte manifestabunt, etiam ubi iuxta theoriam Theologorum, nulla foret obligatio ». Génicot n. 285, 1°.

3. Qui solet passim concupiscere obvias quasque muleres, satisfacit aperiendo suam consuetudinem et species principales: an frequenter coniugatas, an aliquando cognatas, sacras etc.

4. Eodem modo satisfaciunt illoti oris homines qui consueverunt totam diem colloqui de rebus turpissimis citra ullum delectum materiae vel sociorum.

5. Absolvi potest fur qui solum dicit: « fui a quinquennio ita perdite deditus furtis, ut quandocumque se obtulerit occasio — eaque saepissime fuit oblata — surripuerim quae potui; et res sacras quidem notabilis pretii furatus sum quinquies vel sexies. At *Quid* si isti, sic generaliter et confuse confessi, postea magis distincte recordentur numeri et specierum: nonne erit obligatio ea distinctius postea declarandi? — *Resp.* Negatur; quia satis intellecta sunt a Confessario, qui ideo ab omnibus directe absolvit.

6. Qui habet consuetudinem peccandi saepissime, v. gr. blasphemandi, peierandi ita ut nullum, neque probabilem numerum dicere possit, satisfacit confitendo tempus consuetudinis. At vero *Quid* si numerum probabilem dicere possit: eritne necessarium exprimere praeterea ipsam consuetudinem? *Resp.* cum distinctione: si saepissime *et* deliberate blasphemavit etc., non tenetur *sponte* consuetudinem manifestare; secus autem non tenetur confiteri ipsas blasphemias inadvertenter prolatas, sed solum consuetudinem, *posito* hanc esse voluntarie contractam *et* retentam.

III. **De circumstantiis** exprimendis, *quae speciem* alterius peccati non addunt seu — *non mutant.* 271.

1. Constat declarandas esse 1° eas, quae veniale ad mortale transferunt, vel viceversa, seu mutantes speciem theologicam.

2° Saltem per accidens manifestandas esse eas circumstantias a quibus pendet vèl censura, vèl reservatio peccati relate ad Confessarium praesentem.

3° Aperiendum esse id omne quod « necessarium putat Confessarius, quo rectius iudicare possit de poenitentis dispositione atque de munere absolvendi vel non absolvendi: id iure suo a poenitente interrogat, neque id poenitentis iudicio vel arbitrio relinquendum est; nisi forte in poenitentis doctrina ita confidere

possit Confessarius ut illius doctrinali iudicio Confessarii iudicium auctoritativum tuto nitatur (1) ».

2. Disputatur solum, num circumstantiae peccatum mortale in eadem specie *notabiliter aggravantes per se* sint exprimendae.

1° *Non pauci affirmant;* praecipue quia 1) in supposito unum peccatum pluribus aequivalet; et 2) secus Confessarius non posset proportionatam poenitentiam iniungere, cum « sine illis peccata neque a poenitentibus integre exponantur, nec iudicibus innotescant »; ut ait Conc. Trid. (2) de circumstantiis speciem mutantibus; quae eadem ratio hic pari modo valet.

2° *Communius et probabilius negant;* maxime 1) quia Conc. Trid. obligationem confitendi explicans harum circumstantiarum non meminit; 2) ob auctoritatem S. Thomae (3) hanc obligationem diserte negantis; 3) quia obligatio ista esset onus intolerabile et moraliter impossibile, ac seges infinitorum scrupulorum et difficultatum inextricabilium.

3° *Sunt* tamen *qui excipiunt* circumstantias quae respiciunt rei quantitatem, quas *mixtas* vocant, seu ad malitiam substantialem actus concurrentes ratione vel materiae maioris: uti in furto excessivo, in incestu in gradu valde propinquo; vel obiecti multiplicati: ut si uno sermone quis pluribus simul detrahit vel scandalum praebet (4).

272. Quaer. num integritati confessionis desit qui se de peccato recens commisso vel nondum confesso accusat tamquam de olim commisso vel iam confesso?

Resp. I. Mera omissio, etsi de industria fiat, distinctionis inter peccata confessa et non confessa iudicium sacramentale non pervertit, cum peccatum idem sit, nec illa circumstantia temporis vel confessionis factae vel non factae variet ullo modo pecca-

---

(1) Lehmkuhl n. 313. Cfr. prop. 58 ab Inn. XI damnata: Denz. n° 1075.

(2) Sess. XIV. Cap. V: Denz. n. 779.

(3) In 4, D. 16, 9, 3, a. 2.

(4) Haec est sententia Sporer. De 2ª tamen sententia dicit: « valde probabile est et satis tutum ».

tum (1). — Quare in confessione generali potest poenitens miscere confessa non confessis; quamquam eorum distinctio semper est suadenda.

Excipe: 1° si a circumstantia temporis vel factae confessionis dependet vèl casùs *reservatio* relate ad hunc Confessarium, vèl *species* peccati. — 2° Si in hanc circumstantiam *Confessarius inquirendum censet* propter suscipionem occasionis proximae, pravae consuetudinis, gravis obligationis restituendi etc. (2).

II. Si vero mentiatur poenitens, idque 1) *de tempore:* 1° Plerique putant eum obligationi suae non satisfacere (3). Ratio est, quia actus quem posuit poenitens hodie, non est actus positus anno praeterito. Quare dupliciter quidem mentitur.

2° Alii tamen mendacium hoc leve putant. Quod videtur probabile, *dummodo* sit eadem malitia *moralis*. Id autem verum est etiam in sententia, quae actionem eiusque continuationem in unum et idem redigit: quae est ratio contrariae sententiae (4); quia quamvis illa duo: homicidia v. gr. hoc anno et praeterito commissa, in esse physico distinguuntur; tamen sunt moraliter idem, nec notabiliter ideo immutari debet iudicium Confessarii, quod fertur non secundum speciem entis seu naturae, sed secundum speciem moralem; totam autem moralitatem expressit, quae erat occidisse (5).

2) *De confessione* facta vel non facta si mentiatur:

1° *Commune est, et certum videtur,* poenitentem non satisfacere, saltem *si* dicat confessum, quod non est confessus, ita ut materiam necessariam proponat ut liberam (n. 265).

2° *In casu contrario probabile* videtur nonnullis, mendacium esse veniale tantum. Et revera hic casus multum differt a priori.

« Ceterum *vix* ullus harum opinionum usus *ad praxim facit;* nisi forte Confessarius cum eo, qui totius vitae peccata confiteri instituit, supervacuum ex adiunctis putet inquirere, num alias hoc vel illud peccatum confessus ille fuerit, Nam alioqui fideles theologicarum subtilitatum ignari numquam consuescunt artificiis hisce uti (6) »; vel si utantur, vix tamen sine gravi conscientiae remorsu.

---

(1) De Lugo Disp. XVI, S. II, S. II, § IV, n. 47.

(2) Sed tunc casus practice vix differet a casibus hypothesis II.

(3) Id Sporer quidem ut certum docet.

(4) Apud de Lugo l. c. n. 53.

(5) Haec La Croix n. 1284; ubi et alii citantur.

(6) Ballerini ad Gury n. 488. ed. Palm. n. 300.

Scholion I. De Peccatis dubiis (1).

273. **Dubitari** potest 1° de ipso peccati *facto* — actu vel omissione, num contigerit — 2° de peccati certo commissi *gravitate*; 3° de peccati mortalis certo commissi *confessione,* sitne necne facta vel rite facta. Possunt quoque dubia illa concurrere. Porro

I. **Resolves** ex traditis de conscientia dubia et probabili, in quovis dubio *generatim* non esse obligationem confitendi, sed *solum si et* de facto *et* de gravitate *et* de non facta confessione peccati praesumptione moraliter certa constat, quod accidere potest in casu dubii negativi ex una parte tantum.

II. *Attamen plurimi,* etiam ex iis qui in aliis materiis similia dubia eodem, quo nos, modo resolvunt, *in dubio* de *hac* materia *ex utraque parte negativo,* et vèl *de facto* (2) vèl *de gravitate,* peccata *dubia tamquam dubia confitenda* esse resolvunt. *Probant* praecipue (3) ex universali omnium fidelium consensu et praxi, cuius initium ignoratur. — *Resp.* Fideles pariter, ne dicam: magis, confiteri solent peccata *positive* dubia; sed tamen haec confitendi obligationem ipsi adversarii negant.

274. *Notae pro praxi.* I. In dubio de *obiectiva* gravitate peccati poenitentes illi, qui ipsi dubium prudenter deponere, conscientiamque formare nesciunt — iique plerique sunt — hac ratione practice subiicere dubia sua debent iudicio Confessarii; hunc enim prae quovis alio ipsi consulere malunt (4).

II. Dubia de *subiectiva* gravitate *practice* plerumque ex praesumptione et habituali cuiusque statu conscientiae solvi possunt et debent. *Regula* nim. est: laxi *obligandi,* timorati vel saltem non

---

(1) Sporer n. 385 sqq.

(2) Sunt etiam qui distinguunt, et in dubio de ipso *facto* peccati resolvunt ut alii.

(3) Argumentum ex silentio Conc. Trid. Sess. XIV, Cap. V, nimis infirmum se prodit Potius enim argumentum in contrarium erui potest ex ipsis Conc. verbis l. c.: « quorum *conscientiam* habent ».

(4) Cfr. Vol. I, n. 57. I.

laxi sunt tantum *monendi ut,* scrupulosi vero *prohibendi ne* dubia eiusmodi manifestent (1).

Quaer. in hypothesi dubii de facto, si peccatum confessum tamquam dubium postea certo commissum detegitur, num denuo tamquam certum sit accusandum? 275.

Resp. I. Multi, i. q. Sporer et plurimi recentiores, probabiliter negant. Ratio: poenitens iam revera, ut ponimus, confessus est *totum* peccatum suum, secundum speciem, numerum et circumstantias se tenentes ex parte ipsius peccati, *et* ab eo *directe,* etsi forte sub conditione, absolutus est. Nam dubitatio prior et certitudo superveniens spectant tantum ad cognitionem, adeoque nihil mutant ipsum peccatum, quod proin *integre* et confessum et absolutum est; ergo... *Confirmatur* doctrinâ communi de casu numeri dubii expressi (n. 269, 2); prorsus enim pares sunt casus (2).

II. Multi antiquiorum et non pauci recentiorum affirmant; quia, ait S. Lig., peccatum non fuit expositum uti erat in conscientia, prout praecipit Trid. — *Resp.* 1° *Nego:* est contra hypothesim; 2° verba illa: « uti erat in conscientia » non habentur in Trid. (3) — « Nec explicata fuit substantia peccati quae consistit in eius cognita gravitate ». *Resp. Nego* utrumque, propter dicta sub I.

Nota. « *Si* quis confitetur peccatum, quod nec ipse nec Confessarius sciebat esse mortale, et *postea novit esse mortale ex genere suo,* prababilissime et communissime dicunt, quod *non tenetur* iterum confiteri » (4).

---

(1) Cfr. n. 287.

(2) Utut nonnulli (vid. S. Lig. n. 478, La Croix n 616) aliquid discriminis invenisse sibi visi sint; « nec ego, inquit Gobat Tr. 6, n. 443, etsi diu multumque me fatigans in vestiganda disparitate, ullam reperio ». Vide etiam De Lugo Disp. XVI, S. II, § IV, ubi n. 79: « non invenio, ait, apud AA. solutionem huius difficultatis, quae, ut verum fatear, apud me tanti ponderis est etc. », ut in *utroque* casu obligationem confitendi vèl affirmatam vèl negatam velit.

(3) Quodsi forte sensus est hic: « *nunc* habetur conscientia peccati, quae *ante non* habebatur; atqui etc. » iam responsum supra est sub I.

(4) S. Lig. l. c.

Scholion II. De Peccatis sine culpa omissis.

276. **Peccata** in una confessione **omissa** — sine culpa, ut ponimus — aperiri debent in prima, quae cessationem causae sequitur, confessione sive libera sive praecepta; quia *omnis* confessio debet esse per se materialiter integra (1). Non tamen hac ratione tenetur quis praevenire tempus confessionis annuae.

277. Quaer. 1°, si quis confessus est peccatum, sed omissa circumstantia necessario exprimenda, num teneatur repetere totum peccatum; an satisfaciat exprimendo in alia confessione peccatum illud quod ex circumstantia omissa oritur.

Resp. Posterius hoc per se quidem sufficit; pro praxi autem distinguendum est. 1° *Sufficit* posterius si illud aliud peccatum seorsim ab obiecto principali in sua specie infima explicari potest; v. gr. violatio voti, si fornicationem confessus est, sed non tamquam sacrilegam. — 2° Secus *non sufficit*, sed totum peccatum repetendum est: v. gr. adulterii, incestus, stupri violenti, si pariter mere fornicationem confessus est.

278. Quaer. 2°, num absolvi iterum debeat poenitens aperiens *solum* peccatum grave omissum.

Resp. Affirmandum esse communissime AA. docent vel supponunt. Ratio: ut Trid. (2) docet, ex institutione Christi ad Sa-

---

(1) Exceptio forte, cum nonnullis, admitti potest secundum ea quae dicentur n. 287, 1; pro eo v. gr. qui Confessario extraordinario multa et gravia peccata confessus, quae apud ordinarium diu tacuerat, in ea confessione alicuius peccati oblitus est, neque alium quam ordinarium Confessarium nunc adire potest — ut monialibus contingere potest — sed huic illud declarandi repugnantiam vincere sibi non posse videtur. — Ceterum apposite hic notat Génicot n. 296. VI: « Casus iste vix ad praxim pertinet. Nam fere semper aderit hodie moralis possibilitas adeundi alium Confessarium, etiam pro monialibus: hoc autem faciendum foret, dilata etiam ordinaria confessione [vel in ea solam benedictionem petendo] ne temere praeceptum divinum integrae confessionis posthabeatur. Insuper si Confessarius extraordinarius sedulo interrogabit poenitentem, vix ullum erit periculum ne is prorsus novum peccatum grave recordetur; quare poenitenti, praesertim ad mentis perturbationem prono, significare licebit nullam ipsi esse obligationem de hac confessione cum alio Confessario loquendi, si quando videatur aliquid recordari, quod omiserit ».

(2) Sess. XIV, cap. V. Denz. n. 779.

cerdotes « omnia mortalia crimina deferantur... quo pro potestate clavium remissionis aut retentionis sententiam pronuntient » ; atqui in casu non retentionis, ut ponimus, ergo remissionis sententia pronuntianda est.

Nota 1. cum Gury (1): « Licet Confessarius omittere possit absolutionem cum poenitentibus, qui ad eumdem Confessarium redire solent;... melius est tamen omnibus absolutionem impertiri, quando facile fieri potest, ad poenitentis solatium et animi tranquillitatem, necnon ob fructum ex Sacramento percipiendum. Adde periculum ne poenitens eumdem Confessarium amplius adire non possit ».

2. Advertatur num forte peccatum iam satis in antea declaratis comprehendatur (2).

Scholion III. De Integritate confessionis praeparanda seu de examine conscientiae (3).

Regulae. I. Examen conscientiae tunc et ideo, tale et sub tanta obligatione requiritur, quando et quia, quale et in quantum pro adiunctis necessarium est ad confessionem integram procurandam. 279.

II. Nunquam tamen requiritur cura summa vel extraordinaria; at semper sufficit diligentia ordinaria et mediocris, qualem sc. homines prudentes in re seria adhibere solent.

Ratio omnium, quia agitur de obligatione *medii ad finem* necessitate *praecepti positivi* obtinendum.

Resolves I. Generatim: diligentia ipsa in examinanda conscientia adhibenda, eiusque obligatio diversa est pro diversis circumstantiis; praecipue 1° pro diverso statu actuali conscientiae vel consueta vitae ratione morali; 2° pro diversa temporis diuturnitate de qua instituendum est examen; 3° pro diversis peccandi occasionibus in quibus quis versatus est; quo et spectant diversa negotia quae quis tractavit; 4° pro diversis cuiusque tum ingenio et intelligentia, tum corporis valetudine. 280.

(1) N. 496, ed. Palm. n. 309.
(2) Cfr. n. 276, nota in fine.
(3) Sporer n. 363 sqq.

281. II. Magis speciatim et ad praxim resolves: 1° qui moraliter certo scit se vèl nullum, quod necessario confiteatur, habere peccatum, vel omnium, quae confiteri debeat, satis recordari, is ad examen stricte non tenetur; 2° qui non vel parum vel leviter sese examinando periculo quidem sed levi tantum se exponit non integre confitendi, is hac ratione venialiter solum peccat; 3° qui serium, spectatis tempore et cura impensis, examen non praemittendo praevidet se gravi periculo saltem exponi non integre confitendi, is ad serium examen sub gravi per se tenetur, nisi sc. adsit causa excusans, de quo § sq.

282. III. Speciatim relate ad poenitentem talem de quo mox supra sub 3°.

Observa 1. — 1) Mediocris ista diligentia, de qua n. 279, II, adhibita sufficit, etiamsi quis existimet fore ut plura occurrerent sibi peccata mortalia, si diutius vel maiori et extraordinaria diligentia sese examinaret; ita ut infirma sit consequentia: probabiliter plura occurrent si amplius inquisiero, ergo plus inquirere teneor. — 2) Neque tenetur quis confessionem suam scribere, ne peccata memorià excidant; quia hoc foret medium extraordinarium. — 3) Neque, quamdiu conscientia ipsi non certam et gravem negligentiam admissam exprobrat, tenetur diutius cogitare de anteacta vita. Et si quid occurrat quod non videatur expressum, praesumere poterit esse cum ceteris confessum. Contra

Observa 2. — 1) Graviter negligens in examinanda conscientia per se invalide et sacrilege confitetur, *si* nempe ad gravem hunc defectum satis advertit. « Quod quidem quum admodum frequens non sit, siquidem perinde id foret ac sacrilegae confessioni advertenter consentire, exinde colligi potest necessitatem iterandi hac de causa confessiones raro contigere (1) ».

2) *Post factum* ut gravis levisne fuerit negligentia discernatur, traditur haec *regula: si* post confessionem peractam *plura* peccata mortalia occurrant, quam confessa sunt, *gravis; si* aliqua sed multo *pauciora* occurrant, *levis* negligentia est iudicanda.

---

(1) Ballerini ad Gury n. 508, ed. Palm. n. 320. Ceterum cfr. Art. de officio interrogandi.

3) *In ipsa confessione* nimis fundatam gravis negligentiae suspicionem ingerit is, qui a modico tempore confessus exprimit parvum eumque incertum numerum talium peccatorum quorum quis non facile obliviscatur.

§ II. *De integritate formali seu de causis ab integritate materiali excusantibus* (1).

Causae generales ab integritate materiali confessionis ex- 283.
cusantes assignari solent duae vel tres: oblivio (2), impotentia tum physica tum moralis.

I. Oblivio — quo referuntur tum iuris ignorantia tum opinio probabilis — ponitur inculpabilis vel summum leviter culpabilis (n. 281), et, *modo* nunc talis sit, excusat *etiamsi* orta sit ex causa graviter culpabili, de qua poenitens doleat, v. gr. ex nimia dilatione confessionis etiam ex praecepto faciendae.

II. Impotentiâ physicâ excusantur praecipue 1° infirmi 284.
qui non sine nimia difficultate vel fatigatione sese examinarent, vel a Confessario examinarentur, vel integre ea etiam quorum recordantur confiterentur; et maxime *moribundi,* de quibus speciatim Sect. III.

2° Surdi, 3° muti, vel impeditae aut balbutientis linguae, 4° ignari idiomatis Confessarii, si alius linguae eorum gnarus commode et brevi haberi non possit. Qui omnes satisfaciunt exprimendo sua peccata, quantum moraliter verbis vel signis possunt.

1° Nullus omnino, adeoque neque ullus eorum de quibus 285.
n. pr., tenetur confessionem scribere. Ita satis communiter AA. atque absolute docent contra multos contrarium sed summum tamquam probabilius docentes. Ratio praecipua est, quia scriptum naturâ suâ est quid publici, praebetque causam vel occasionem manifestationis vel infamationis.

2° Surdi et surdastri, qui alta voce loquentem audiunt, ducendi sunt in locum remotiorem, *nisi* tamen iusta causa excuset quia v. gr. poenitens valde invitus est, vel quum de muliere agitur et pro regionis consuetudine hoc decentia prohibet, vel quia sur-

(1) Sporer n. 455. sqq.

(2) Hanc alii passim reducunt ad impotentiam physicam.

ditas in decursu tantum confessionis et tum demum animadvertitur, quando alio iam duci nequit quin timendum sit ne adstantes eum graviter peccasse suspicentur.

3° Ignarum idiomatis non teneri uti interprete, satis conveniunt AA. — Refertur responsum S. Inq. (1): « In casu quo quis conatur quantum potest exhibere signa peccatorum in specie, nequeant autem omnino intelligi, absolvi posse per solam manifestationem peccatorum *in genere* ».

Nota 1 ultima cit, Resp. verba. Plures enim, i, q. Sporer, quoad omnes quoscumque ab integritate excusatos, qui tamen aliquo modo, esto extraordinario, ut scriptura, interprete, peccatum saltem veniale in specie exprimere possunt, quin et eos qui solum publice confitendi occasionem habent, plures, inquam, sunt qui tales omnes ad hoc teneri docent vèl generatim si absolvi velint, vèl saltem in articulo mortis si tunc in statu mortali et non satis certi sint de contritione perfecta. Quam doctrinam eiusque fundamentum reiiciemus n. 305 sqq.

2. Cum Génicot (2): « minorem ob causam licebit audire poenitentes quorum lingua, non autem dialectus cognoscatur, ita ut quaedam peccata etiam explicatione petita, percipi nequeant ».

286. Impotentiâ partim physica partim morali excusantur 1° qui angustiis temporis, loci, periculorum coarctantur, ut in periculo mortis, in naufragio, in bello, imminente conflictu; item in publico nosocomio, ubi est multitudo moribundorum tempore pestis, ita ut omnes audiri vel confiteri non possint: si imminens periculum aliud non permittat, possunt simul omnes se peccatores confiteri et absolvi unica et plurali forma.

2° Ex parte Confessarii, si hic in periculo constitutus timendum sit ne moriatur, vel grave aliquid ei accidat antequam poenitentes integre confessus absolvatur; vel si nimium festinans non potest vel non vult omnia audire, vel de facto ante confessionem finitam absolvit (3).

---

(1) 28 Febr. 1633; apud Bucceroni *Enchir.* p. 160. Cfr. Lehmkuhl n, 328, 2, ubi indicat modum integre confitendi per interpretem ita ut in huius notitiam nihil deveniat. Sed modus indicatus non videtur efficax pro omni casu. Quid enim v. gr., si Confessarius de eadem materia pluries interrogat? Nonne interpres colligere inde poterit responsum ad quaestionem praecedentem non fuisse negativum?

(2) N. 292, 3°.

(3) *Nota.* Poenitentis qui bona fide et intentione integre confitendi accessit, parum interest num Confessarius iustà necne causa confessionem abrumpat; hic ipse viderit. Confessarius generatim excusatus videtur ob similes causas quales excusant poenitentem; cfr. Art. de officio interrogandi.

Nota. Non vero « licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos *ratione magni concursus* poenitentium, qualis v. gr. potest contingere in die magnae alicuius *festivitatis aut indulgentiae* (1) ».

III. Impotentia moralis adesse dicitur et excusat, *quando* 287. physice rem considerando potest quis integre et commode confiteri, sed obstat incommodum 1° per accidens seu extrinsece confessioni coniunctum et 2° huius legis gravitati proportionatum.

1. Ad 1m. Non excusat incommodum per se vel ex communiter contingentibus confessioni annexum, quale praecipue est verecundia. Quae proin *neque eos* excusat, qui prae aliis sunt ultra modum verecundi; *neque* excusat verecundia *maior ex* circumstantia communiter contingente, quod quis *Confessario sibi noto* vel familiari confiteri debet. In haec omnes consentiunt.

Quid vero si ob circumstantiam extraordinariam et valde gravem verecundia transit in repugnantiam quae poenitenti invincibilis videatur?

Resp. Non improbabile nobis videtur id quod nonnulli, pauci tamen, docent, sc. causam excusantem in casu admitti posse (2).

2. Ad 2m. Excusat *generatim* damnum grave huiusve fundatus timor seu probabile periculum, *spirituale* vel *temporale,* ipsius *poenitentis, Confessarii* vel cuiusvis *tertii.*

3. Speciales causae et casus — praeter n. pr. iam indicatos — praecipue sunt: 1° periculum *famae,* vel 2° *revelationis* vel usus saltem illiciti notitiae sacramentalis, quod tamen rarissime satis fundate timetur; vel 3° *scandali* vel *lapsus* proprii; vel 4° *laesi sigilli* sacramentalis per ipsam confessionem, quod item rarissimum.

Quando v. gr. 1) quis non potest sine gravi scandalo vel nota omittere vel differre Sacrum vel Communionem, sed oneratus est tam multis peccatis, ut nequeat omnia accusare, *quin adstantes rem suspicentur;* b) quando poenitens ob fragilitatem sibi notam timet, ne diu immo-

(1) Prop. 59 ab Inn, XI damnata: Denz. n. 1076.

(2) Cfr. quae de casu simili diximus n. 134. Et hac occasione *noto* ex sensu communi AA. *gravius* obligare praeceptum praemittendi confessionem S. Communioni quam praeceptum integre confitendi.

rando in talium peccatorum examine *denuo labatur*. Quod idem Confessarius ipse observare debet in interrogationibus maxime de rebus turpibus. Huc quoque refertur 3) *casus scrupulosi*, qui si confessionem nimis difficilem sibi reddit, Confessarius eius confessionem abrumpere potest et debet (1); 4) *casus complicis* etc. de quo speciatim.

288. Quaeritur num quis debeat confiteri peccatum quod manifestari non potest sine infamia complicis vel cuiusvis tertii.

Resp. Disputatur utrimque probabiliter.

1. Solutio pendet e duobus: 1° utrum revelatio in casu censenda sit per se *graviter laesiva* iuris proximi; quod si affirmatur, 2° utrum revelatio haec, ob occurrentem iustam causam *licita*, imo ob concurrentem gravem integre confitendi legem *obligatoria* evadat (2).

Atqui ad 1m: attenta maxime strictissima Confessarii obligatione sigilli vix probabile videtur per confessionem grave alienae famae damnum inferri, nisi vel agatur de crimine enormi, vel confessio fiat apud ipsum infamandi Superiorem, dominum, benefactorem etc. (3). Ad 2m: saltem probabilius affirmandum videtur.

3. Concludo cum Génicot (4): « in praxi datur libertas. *Sed laici* huius theoriae ignari plerumque sine haesitatione peccatum proferunt; si quando circumstantiam complicis tacent, generatim male agunt; ideoque ex *conscientia erronea* sacrilege confitentur ». Ceterum cfr. nn. sqq.

289. **Animadversiones generales** seu omnibus casibus excusatis communes.

I. Ut ratione impotentiae moralis licite peccatum reticeatur, duo requiruntur: 1° ut adsit aliqua necessitas vel obligatio vel saltem *iusta causa* confitendi; haec autem semper adest, cum quis est in statu peccati mortalis, praesertim gravioris, vel si iam diutius in eo est moratus; 2° ut *non sit*, neque commode et brevi haberi possit *alius* Confessarius *aeque idoneus* et poenitenti utilis, cui sine incommodo quod vitare intendit, omnia sua peccata confiteri queat.

---

(1) Cfr. n. 274, II.
(2) Cf. Vol. I, n. 56 II, 1°.
(3) Cfr. Vol. II. Tr. III. n. 519, V.
(4) N. 295.

II. Si damnum seu incommodum vitandum non tam ipsi confessioni generatim, sed solum certi cuiuspiam peccati confessioni annexum est, tunc supponi *illud solum peccatum reticeri,* hoc per se patet.

Verum sunt qui exigant, si soli circumstantiae exprimendae incommodum illud annexum est, ut haec *sola circumstantia taceatur.* Quod et Sporer supponit. Quin Lehmkuhl (1) loquens de servanda fama complicis ex. gr. in peccato *incestûs,* hoc dicit esse « ex omnium sententia », ita ut quis « certissime » teneatur in prima confessione *confiteri peccatum luxuriae. — Sed contra:* 1° De Lugo (2) hoc habet: « adverte in praedictis casibus *aliquos dicere* debere explicari illud peccatum, tacendo solum illam circumstantiam, ex qua imminet tale periculum ». Idque generatim *reiicit* ut medium minus aptum secreti servandi. 2° Illa « omnium » sententia in plerisque casibus poenitenti *onus* imponit *bis idem* peccatum, quoad substantiam, confitendi (cfr. n, 277); atqui hoc est « onus quod *semper pro magno* haberi consuevit », ait ipse Lehmkuhl l. c. In quo parum sibi constans videtur A. l. Cum enim onus magnum vèl a tacendo vèl a confitendo excuset, ergo peccatum vèl totum dicatur vèl totum reticeatur.

Animadversiones speciales seu *casus complicis* etc. re- **290.**
velandi propriae.

I. Pro theoria: 1° *poenitentis obligatio* quaerendi vel expectandi alium Confessarium gravis vel levis est pro variis supra memoratis sententiis: *levis, si* èt peccatum manifestandum esse, èt violatio famae proximi in casu levis esse dicatur; *secus, gravis* est. 2° *Confessario* pariter *gravis obligatio* incumbere videtur — abstinendi ab omnibus interrogationibus quibus poenitentes, praesertim minus exculti, facile inducerentur ad complicem etc. indirecte manifestandum — *nisi* teneatur peccatum integre semper esse confitendum non obstante violatione famae proximi etiam gravi.

II. Pro praxi vero satis conveniunt AA., ii etiam qui severioribus hac in re sententiis adhaerent, et sat *facile excusant* tum 1° *poenitentem* qui Confessario, quem pro libitu elegerit, omnia sua peccata integre exponil, *modo ne* sine ulla necessitate vel utilitate alium infamet; tum 2° *Confessarium* vèl *interrogantem* poenitentes de circumstantiis et occasionibus peccatorum prout expedire sibi videatur; vèl *sinentem* poenitentes integre omnia ex-

(1) N. 334, 2).
(2) Disp. XVI, S. XIII, n. 528.

ponentes ut supra. Quamquam curandum esse monent, quantum fieri potest, in confessionibus matrum praecipue et uxorum, ut de peccatis alienis taceant et se solas accusent.

291. *Nota.* Ab indirecta manifestatione peccati complicis etc., de qua nn. prr., prorsus differt nominis complicis inquisitio. Quam *per se,* etsi bono fine fieret, v. gr. ut complex corrigatur, illicitam esse tum ex natura iudicii sacramentalis, ut a Christo institutum est, patet, tum plures leges ecclesiasticae (1) probant et confirmant.

Excipe casum necessitatis, quo poenitens aliunde habet obligationem denuntiandi socium criminis, et vèl Confessarius est ipse superior cui denuntiatio fieri debet, vèl per ipsum solum poenitens reapse denuntiare potest. « Expedit vero ut extra confessionem, quantum commode fieri possit, haec denuntiatio excipiatur; imo ut detur notitia sigillo sacramentali non clausa, exigendum est (2) ». Extra hanc hypothesim vero si Confessarium « poenitens ex se sponte sua rogaret, ut complicem corrigeret, tunc Confessario multa prudentia opus est: nam ordinarie loquendo non expedit, ut se immittat in huiusmodi rem; ipsi enim tantum incumbit curare damnum sui poenitentis, non alienum, et solummodo intra confessionem, non extra; et ex alia parte Confessarius difficulter assumet hoc munus corrigendi sine periculo scandali et offensionis sacri ministerii (3) ».

ARTICULUS V.

DE CONFESSIONUM REPETITIONE GENERATIM (4).

292. I. **Obligatio repetendi** confessiones imponenda non est, nisi moraliter certo constat de earum nullitate. Ratio: in dubio standum est pro valore actus. Consilium dari potest secundum regulas de confessione generali tradendas art. seq.

(1) De quibus vide Cursum Jur. Can. et Bened. XIV Breve 7 Iulii 1745: Denz. n. 1323. Cfr. Pii IX Bulla *Apostolicae Sedis* Ser. II, § I.

(2) Lehmk. n. 340.

(3) Sporer-Bierbaum n. 473.

(4) Sporer n. 493 sqq.

II. Ob defectum ex parte poenitentis de nullitate confessionum saepius satis constat: ut si ipse aperte fateatur se in tali confessione omni dolore et proposito caruisse, Confessario in materia gravi et necessaria mentitum fuisse, utpote peccatum mortale scienter et cum conscientia novi peccati mortalis negasse vel tacuisse, falso promisisse emendationem, occasionis proximae evitationem, restitutionem. At saepe etiam res dubia manet: ut in casu frequentis relapsus sine occasione voluntaria.

III. Ex parte Confessarii casus fere solus practicus, isque rarus, est si ob surditatem, somnum etc. nihil prorsus audiverit vel intellexerit (1) At

Quid si Confessarius peccata partim intellexit, partim non?

Resp. Seclusa mala fide poenitentis, absolutio est valida, non vero confessionis praecepto satisfactum quoad mortalia non percepta.

Quodsi ergo poenitens defectum detegat, et *sciat* quaenam peccata Confessarius non perceperit, haec repetere tenetur, quia sunt ac si confessa non essent. — Si vero hoc *nesciat, distinguendum* est: si confessio sat longa fuerit, et peccata non percepta comparate sint numero pauciora, non tenetur confessionem repetere, sed satisfaciet dicendo se animadvertisse, aliqua peccata mortalia non esse percepta, nescire autem quaenam illa sint. Ratio, quia in hypothesi de singulis peccatis sic confessis probabiliter iudicat ea esse rite confessa. Secus, si secus, ob contrariam rationem.

Modus repetendi. I. Si fiat apud eumdem Confessarium, 293.
apud quem invalidae confessiones factae sunt, quoad peccata iam confessa ex sententia satis communi per se sufficit ut generali accusatione in praesenti confessione ea comprehendantur — additis addendis, cfr. infra III, 2. — utque Confessarius recordetur hunc poenitentem *confessum et iudicatum* fuisse.

Si tamen satisfactio non fuit imposita, sed nunc imponenda, hunc in finem et ad licitam absolutionem requiritur, ut Confessarius retinuerit vel nunc resumat, puta factis aliquot interrogationibus, *confusam memoriam statûs poenitentis.*

Confusa haec notitia et generalis accusatio secundum plures (1) *sufficit etiamsi* priorem notitiam Sacerdos *non habuerit ex con-*

---

(1) Quamquam secundum dicenda de confessione generica probabiliter absolutio sat facile valida erit.

(2) Vld. De Lugo Disp. XVI, S. XV, § III, qui imo allegat communem auctoritatem et praxim.

fessione sacramentali, sed v. gr. ex mera narratione peccatorum consilii petendi causâ facta, vel quia ipse Sacerdos praesens fuerit dum peccata committebantur. — Dissentiunt autem plures, requirentes in huiusmodi casibus *distinctam* vèl memoriam vèl repetitionem; quia sc. in confessione *sacramentali* accusanda sunt peccata secundum speciem et numerum.

II. Apud alium Confessarium repetitio, ut patet, ex integro et distincte fieri debet. Attamen, praeter id quod modo diximus de notitia extra-sacramentali,

Nota et applica plurium AA. observationem, quam refert Gury (1): « Confessarius excipiens confessionem rustici, qui praeteritis annis male confessus est, suo muneri satisfaciet interrogando de ultimo tantum anno, si ob uniformem vitae rationem possit simul de praecedentibus annis iudicium efformare. Idem dicendum si audita unius anni confessione detegat Confessarius praeteritarum confessionum defectum, et ex hac ultima confessione sufficientem (2) praeteritorum peccatorum notitiam habeat; attamen requiritur ut poenitens generali modo de aliis se accuset ».

III. Sive apud eumdem sive apud diversum Confessarium fit repetitio,

1. In omni casu quo poenitens reperitur antea invalide aliquando vel aliquoties confessus imprimis attendendum est utrum confessiones subsequentes omnes invalidae fuerint, an vero supervenerit bona fides et consequenter confessiones validae, etsi non materialiter integrae. Quod posterius tamen rarius accidit post confessionem cum certa conscientia *sacrilegii,* v. gr. cum voluntaria reticentia, factam; saepius autem post confessionem ob merum dispositionis defectum *invalidam.*

2. Distinguendum est inter confessiones mere invalidas et sacrilegas. Priores enim repeti sufficit, addito quod forte integritati defuit. Quoad posteriores vero addere debet insuper poenitens numerum sacrilegarum Confessionum et Communionum; et praeterea

(1) N. 516 ed. Palm. n. 328.

(2) Sc.: aequalem ac per ipsam repetitionem confessionum invalidarum acquireret. Quod si ita intelligas, « rusticus » in exemplo est *pro omnibus* illis qui quamvis ob causam non maiorem repetendo notitiam Confessario praeberent.

num et quoties ideo defuerit Confessioni et Communioni annuis, *si* quidem ad hoc neglecti duplicis praecepti peccatum satis adverterit.

Exemplo practico ut dicta applicando declarem, sit casus 294. frequentissimus peccati mortalis in praecedentibus confessionibus omissi vel taciti. Eadem fere erit iudicandi et agendi ratio in reliquis. Itaque:

1. Imprimis inquirat Confessarius de ipso peccato omisso, num formale et grave reapse fuerit *ab initio* saltem ex conscientia erronea vel practice dubia; an vero *postea solum* et *quando* poenitens sciverit vel putaverit esse peccatum mortale.

a) Si *nunc primum* hoc sciat etc., iam res-salva est, modo quiescat Confessarius.

b) Si vero *ab initio vel iam dudum* poenitens noverit etc. esse peccatum mortale, tunc

2. De omissione inquirendum est istius peccati, num *gravis sacrilegii conscientiâ,* sive verâ sive erroneâ vel practice dubiâ, tacitum sit *necne.*

a) Quod si ita est, quaerat Confessarius *a quo tempore,* et num dein *semper,* et *quoties,* sive definite sive per annum etc., *sic* confessus sit et S. Communionem cum eadem conscientia receperit, et de repetendis confessionibus moneat.

b) *Si vero bona fides supervenerit,* interrogetur: quando, et quamdiu duraverit. Cfr. n. pr. III, 1.

3. Quodsi forte poenitens nonnisi malum in genere seu peccatum in confuso comprehendit, nihil cogitando vel dubitando de peccato gravi, prout revera saepissime sua peccata comprehendunt homines simplices, plebeii, rustici, pueri: Confessarius *tuto* sequatur probabilissimam plurimorum DD. sententiam, et veniale tantum peccatum admissum esse iudicet, atque adeo neque rigorose confessionum repetitionem imponat.

Attamen tum hoc casu, tum si poenitens dicat se veniale solum peccatum vel nullum comprendisse, *ad maiorem securitatem* interrogari *potest,* praecipue si agitur de poenitente prudentiore magisque capace: nonne te accedentem ad S. Communionem conscientia arguebat, horrebat, vel dictabat te a Deo punitum iri tamquam sacrilegii reum? Prompte respondenti nihil tale venisse sibi

in mentem, alioquin certe se non communicaturum fuisse, Confessarius repetitionem confessionum ne imponat. — Contra, si talis poenitens ingenue fateatur se valde anxium fuisse ac perturbatum, de obligatione repetendi non erit dubitandum. Tandem

4. Quid si advertas poenitentem laborare ignorantia invincibili obligationis repetendi confessiones? Numquid in sua ignorantia relinqui et absolvi poterit, perinde ac si peccatorum inculpabiliter oblitus esset?

Respondet Sporer: valide quidem, licite autem certe non absolves, nisi in raro casu, quando adest *vera causa excusans ab integritate materiali* confessionis: ut quando manifestatio istius obligationis poenitenti scrupuloso, anxio, incapaci maius malum vel incommodum esset allatura, v. gr. extremae anxietatis, perplexitatis, desperationis, quam sit malum mutilae confessionis.

Verum si agatur de poenitente qui, ut aliquando accidit, etiam monitus de necessitate repetendi confessiones praecedentes, utpote invalidas, hanc *obligationem non intelligit* (1), ita ut in sua bona fide permanere videatur, non video cur licite absolvi non possit *hanc solam ob causam ne maneat in statu peccati mortalis.* — Attamen, addo, in tali casu fit ut poenitens qui adduci non potest ad repetenda peccata plurium annorum, tamen sat facile respondeat interroganti Confessario. Huius itaque erit tentare ut per interrogationes eliciat a poenitente confessionem quantum fieri potest integram. Quodsi neque hoc modo integram confessionem obtinere queat, sedulo saltem inducat oportet poenitentem ut de omnibus peccatis praeteritis in genere se accuset et sincere doleat.

ARTICULUS VI.

DE CONFESSIONE GENERALI.

295. **Confessio generalis** I. necessaria esse potest et *praecipienda* secundum dicta art. pr.

II. Nociva per se et *prohibenda* iis, qui recogitando vitam praeteritam aut periculum lapsûs sibi crearent, aut conscientiâ

(1) Haec enim est hypothesis Sporer. Sed advertatur, ex regula prudentiae *omittendam esse monitionem* quae praevidetur *obfutura potius* quam profutura.

nimis strictâ in anxietates et perplexitates coniicerentur. Quibus, *nisi omnino constet* de repetitionis necessitate, ea permittenda non est; si constet, cum moderata cura et sub Confessarii prudentis auxilio repetitio instituì debet, et examen postea prorsus interdici (1).

III. Utilis et *consulenda* ex duplici causa esse potest: 1° ob grave dubium de confessionum nullitate; 2° quando se quis ad maiorem fervorem in divino servitio comparat: puta quum novum statum, coniugalem, religiosum etc. assumpturus est; item in morbo periculoso (1). Ceterum sint

Monita ad III. 1. Praeter confessionem tempore primae Communionis peractam facile generatim loquendo permittenda est alia confessio totius vitae; sed difficillime tertia concedenda est si prior sat accurate facta sit, nisi forte in iuvenili aetate, v. gr. ante aetatem 20 annorum peracta fuerit (2). 296.

2. Facile permittenda est confessio partim generalis nempe unius anni seu a tempore ultimae confessionis generalis, uti praecipue occasione missionum (3) et exercitiorum spiritualium. Item permitti aliquando potest poenitentibus piis ut repetant summatim paucis verbis praecipua vitae suae peccata; attende tamen ad varias personarum circumstantias (2).

3. Potissime cavere debent Confessarii ne facilius poenitentes ad confessionem generalem compellant; et summopere sunt reprehendendi qui ab omnibus novis poenitentibus hanc exigant praetextu necessitatis vel ratione directionis (2).

4. Iis praesertim qui in peccatis luxuriae vixerunt, una tantum vice permittenda est confessio generalis. Satius est ut peracta semel seria horum confessione non amplius nisi in genere et cum discretione de iis sese accusent. Neque expedit talibus suadere confessionem generalem antequam impetus illius vitii est repressus, nisi adsit certa obligatio (4).

Observanda ante concedendam confessionem generalem. Cavendum est ab utroque opposito excessu: ne poenitenti generalis confessionis desiderium vel anxietatem de praeteritis confessionibus manifestanti statim os claudatur, quasi de mero scru- 297.

---

(1) Lehmkuhl n. 345.

(2) Gury n. 518 ed. Palm. n. 330.

(3) Tempore missionis potest utiliter suaderi ut confessio generalis ab omnibus qui scrupulosi non sunt instituatur. Sedulo tamen cavendum ne huiusmodi praxis tamquam communiter necessaria proponatur, praesertim iis qui iam alias generaliter confessi sunt; sic enim in animis piorum fidelium magna excitaretur anxietas, quam Confessarii multis conatibus vix aut ne vix quidem sedarent. Génicot n. 310, III, 3°.

(4) Muller § 124.

pulo agatur; neve statim quilibet petens, etiam ignotus, ad confessionem generalem admittatur (1). — Ante omnia itaque Confessarius a poenitente quaerat, quas ob rationes ita confiteri desideret; tum ipsum inducat ut prius confiteatur peccata ab ultima confessione commissa, quod generatim expedit, sed maxime requirendum hoc est, si auditis rationibus poenitentis Confessario de necessitate vel utilitate nondum satis constat. Nec ita raro contingit, ut Confessarius ex particulari confessione intelligat ipsam confessionem generalem, etiam necessariam, esse ad tempus differendam ob occasionem proximam voluntariam nondum relictam, ob restitutionem nondum factam etc. (2). Quodsi dubia manet necessitas vel utilitas, et agitur de poenitente qui stabilem suum Confessarium mutare statuit, plerumque iuvabit eam differre donec poenitens novo Confessario melius sit perspectus, idque tum maxime si idem iam ab ordinario Confessario petierit (3).

Nota. Multi qui confessionis generalis instituendae copiam petunt — puta matrimonium inituri — id tantum spectant, ut praecipua quaedam peccata e vita sua praeterita iterare possint: qui prorsus inviti essent, si Confessarius interrogando veram confessionem generalem iis extorquere conaretur (3).

298. Materia confessionis generalis. Cum finis etiam sit ut maiori animarum tranquillitati et paci consulatur, utque poenitentes efficacius ad meliorem ducendam vitam excitentur, hinc in confessione etiam necessaria, sed magis si non necessaria, ut plurimum utiliter manifestantur vel quaeruntur quoque peccata dubia mortalia, excepta materia turpi, circumstantiae notabiliter aggravantes, venialia graviora, negligentiae in exercitio religionis, orationis, officiorum status.

299. Praeparatio poenitentis. 1. Quando agitur de confessione *necessaria,* et maxime si impulsu Confessarii est peragenda, imprimis Confessarius poenitenti animum addat, summamque in eo excitet fiduciam erga infinitam Dei misericordiam, erga B. M. V. etc. Dein ipsi persuadeat confessionem non fore ita difficilem, ad eam

(1) Génicot n. 310, III, 2°.
(2) Cfr. n. pr. in fine.
(3) Génicot l. c. et IV, 3°.

requiri moralem tantum, non extraordinariam diligentiam; promittat poenitenti suum auxilium, imo se totum munus examinandi et interrogandi illum, si opus fuerit, in se suscepturum ita ut ipsi sufficiat ad quaesita simpliciter et quam brevissime respondere (1).

2. Quum maioris causa *utilitatis* tantum confessio generalis peragenda est, moneatur poenitens aeque liberum ipsi esse èt confiteri peccata èt ea reticere quae velit; tum post confessionem eum non debere inquietari, etsi plura forte omiserit, quae manifestare voluisset. De quibus si poenitenti firmiter persuasum non sit, confessio generalis potius ut nociva erit deneganda (2).

3. Post haec inquirat Confessarius, praesertim si confessio generalis necessaria est, num poenitens satis iam se examinaverit; et si minus, num oporteat eum examinis defectum supplere. Quod posterius plerumque servandum cum rudibus, minus instructis, et salutis suae negligentibus.

300. Modus excipiendi confessionem. Methodus interrogandi. 1. Satis per se liquet, Confessario pro casu valde frequenti, quo ipse onus confessionis generalis per interrogationes eliciendae totum in se suscipere debet, opus esse ut certam, succinctam et accuratam habeat methodum interrogandi, quam constanter sequatur; nisi quandoque ob specialem rationem maior poenitentis utilitas, vel prudentia ab ea in una alterave re recedendum suadent. Secus enim multorum vèl defectuum vèl excessuum periculum vix evitare poterit.

2. Advertit hic Heilig (3): Viri docti atque aliae personae satis instructae, praecipue si sint nobilis aut honestioris conditionis, plerumque confessionem suam ipsimet facere malunt, quam a Confessario de singulis vitae suae peccatis interrogari; quod per se etiam praestat. Quare ad methodum interrogandi Confessario propriam non adigantur, sed hic sciscitabitur ex iis, an in declarandis peccatis adiuvari velint, necne. Contra qui ex plebe sunt, fere omnes ut interrogentur malunt et petunt; quinimo hominibus rusticis et plebeiis non facile permittat ut non adiuti generaliter confiteantur,

(1) Cfr. n. sq., 2.
(2) Gury-Ball. n. 419. ed. Palm. n. 331.
(3) *Methodus* etc. VI. n. 26.

cum omnia confundant, nec gravia nec levia. nec speciem nec numerum distinguentes, — Subinde vero magna hic circumspectione opus est, nim. ubi occurrit poenitens callida, quae secus satis garrula, sed in sacro tribunali plane taciturna, ideo forte a Confessario interrogari exoptat, ut quid interrogaturus sit, exploret, longius quam par est confessionem protrahat etc. Suspectis id genus poenitentibus, ut ipsae peccata sua quod ad substantiam aperiant, serio imponat, et deinde quod forte integritati desit, paucis tantum interrogationibus suppleat, totumque negotium brevi conficiat (1).

301. Qualitas methodi. I. Nonnulli putant expedire, ut vita poenitentis dividatur in diversas epochas; v. gr. a prima Communione usque ad electionem status etc.: item ut confessio distribuatur in partes, ita ut pars una hodie, altera pars alia die vel hebdomada audiatur. Sed plurimi experientia docti utrumque reiiciunt, et suadent ut confessio vel interrogationes fiant sine interruptione et unico tractu pro tota vita, habita interim ratione diversorum vitae temporum vel statuum, in quantum hoc utile vel necessarium erit. Ita v. gr. tempus iuventutis saepe erit circumstantia valde minuens, status matrimonialis circumstantia speciem mutans. Non negant tamen quandoque, tota confessione finita, expedire posse, ut cum poenitentis consensu differatur absolutio ad paucas horas vel dies, ut poenitens defectum examinis si forte timendus sit suppleat, vel melius se praeparet, etc.

302. II. Quaestiones praeviae ad confessionem fiant — 1° de poenitentis *aetate; statu,* praecipue num coniugatus an liber; *occupationibus; officiis; familia,* num habeat adhuc parentes, fratres etc. et num cum ipsis versetur adhuc, vel diu versatus sit; — 2° de *confessionibus* praeteritis, num rite peractae; si non, num iteratae; quandoque — 3° de *satisfactionibus* sacramentalibus, num impletae. — Sequitur, nisi iam praecesserit, confessio peccatorum post ultimam confessionem commissorum (2).

Nota. Quaestiones praeviae plures vel pauciores proponi, atque magis vel minus urgeri debent pro qualitate poenitentium et indole responsionum. Numquam vero in hisce quaestionibus diu immorandum est.

---

(1) V. Egeren *De Confessione* n. 113, ex Mach *Le Trèsor du Prêtre.*

(2) Cfr. n. 272.

Cum poenitentibus nobilitate, doctina etc. commendatis, vel qui magni se facere videntur, hae quaestiones oportet ut sint valde paucae et discretae; nec raro de statu vitae interrogasse satis erit, remittendo alia ad materiam confessionis in cuius examine ea scire opus erit.

Post haec statim fit initium ipsius confessionis secundum ordinem de quo statim; nisi animadvertatur difficilis esse aditus ad cor poenitentis: tunc enim, et maxime si poenitens aliqua observantia dignus videatur, valde opportune confessio inchoatur a culpis levioribus, praesertim a peccatis acediae; quaeratur v. gr. a poenitente: num preces matutinas et vespertinas facere consueverit, an saepius vel per notabile tempus omiserit: num poenitentias sacramentales semper impleverit, etc. Fieri etiam potest ut confessio potius inchoanda videatur a peccatis contra parentes aliosve superiores, vel contra proximum, quam a peccatis contra Deum.

Ordo interrogandi. I. Conveniunt AA. generatim servan- 303.
dum esse ordinem Decalogi; in quo ponuntur 1° praecepta erga Deum, 2° erga Superiores, 3° erga proximum, et supponuntur 4° praecepta erga seipsum. Haec ultima tamen alii partim referunt ad V praeceptum, partim extra Decalogum ponunt in examine nim. de vitiis capitalibus. Variant quoque AA. in assignando in quibusnam vel quando hic ordo sit aliquatenus invertendus. Praecipua referam.

II. Monita. 1. Cum post integritatem maxime brevitati et claritati sit consulendum, expedit ut peccata natura sua coniuncta seu valde inter se similia etiam in confessione coniungantur et simul absolvantur. Sic, quamvis virtutes theologicae referri soleant ad I Decalogi, examen de peccatis contra charitatem proximi melius tamen differri videtur ad V praeceptum. Pariter examen fiat simul de VI et IX, item de VII et X.

2. S. Leonardus a Portu Mauritio suadet ut quaestio de ignorantia mysteriorum fidei remittatur a praecepto I ad finem confessionis.

3. Praecepta Ecclesiae cum ad Deum praecipue spectent, apte referuntur ad III praeceptum. Quaestiones tamen de omissione annuae Confessionis et Communionis et de sacrilegis Confessionibus et Communionibus idem Sanctus suadet ut ad finem confessionis differantur. Econtra Heilig haec sacrilegia melius investigari dicit

cum ad eam materiam perventum fuit, ob quam commissa sunt; alia vero sacrilegia, personale et locale, ad VI et VII praecepta.

4. Ad praeceptum IV inquiritur de peccatis subditorum, praecipue filiorum; atque Superiorum, maxime parentum. Peccata contra officia aliorum statuum, ut iudicis, medici, mercatoris, ab aliis hoc loco, ab aliis circa finem confessionis examinantur. Illae vero statuum obligationes quae spectant ad strictam iustitiam apte quoque ad VII praeceptum referuntur.

5. Peccata scandali et cooperationis, quae ad V pertinent, examinari possunt ad quodvis praeceptum, praesertim ad VI.

6. Peccata contra VI suo tantum loco examinantur, si poenitens vitam satis castam duxisse praesumitur. Secus, si nempe multa peccata huius generis commissa esse Confessarius suspicatur de hisce interrogabit vèl statim in initio confessionis — nim. si ipse poenitens de hac materia loqui incipit, aut aliunde Confessarius advertit eius animam hisce peccatis nimis gravari nec levari posse, nisi statim ea confiteatur — vél in fine confessionis; aut saltem post alia peccata contra Decalogum.

7. Peccata contra VIII inquiri possunt vèl suo loco, vèl adiungi aliis peccatis oris contra V.

8. De peccatis capitalibus ordinarie stricte necessarium non est inquirere, si excipiatur ebrietas; cum alia vèl iam examinata sint, vèl plerumque praesumi possint non fuisse mortalia. Utiliter tamen saepe breviter interrogatur de superbia, avaritia et acedia; tum ad maiorem poenitentis tranquillitatem, tum ad meliorem directionem spiritualem.

Diverse, ut ex praecedentibus patet, ordinari potest methodus seu norma confessionis generalis. Caput est ut quisque Confessarius certam sibi, quam sequatur, constituat.

304. Conclusio confessionis. Poenitens paululum se colligat et cogitet, considerans hanc forte ultimam esse quam instituat generalem confessionem. Tum dicat num quid supersit quod conscientiam mordeat. Dein poenitens plane quietus reddatur et moneatur ne vitam praeteritam curiosius indagare pergat; cum satis sit, si *ultro* peccati mortalis recordetur, ut illud in confessione quae proxime sequetur aperiat. Vel, si confessio generalis neces-

saria non fuit, moneatur ipsum nequaquam teneri peccata memoriae occurrentia et ante iam rite confessa, iterum manifestare.

Tandem seria exhortatione et subiectis motivis poenitens ad contritionem peccatorum inducatur, et ad propositum cavendi ab *omni* peccato saltem mortali, praecipue a *tali*, necnon a tali occasione vel periculo.

Scholion I. De Confessione generica.

Confessio generica peccati vel peccatorum in communi, 305.
sine expositione speciei, sufficitne ad validam et licitam absolutionem? Supponitur non esse materia quae pandi debeat et possit. Cfr. n. 266.

Resp. I. Non videtur dubitandum de sufficientia ad validam absolutionem, etiam extra casum necessitatis. Probatur: essentia Sacramentorum non mutatur pro variis casibus; sed quod sufficit umquam, puta in necessitate, ad essentiam Sacramenti, id sufficit semper. Hoc passim omnes AA., uno alterove forte excepto, ut certum tradunt vel ponunt; cfr. n. 308. Atqui in necessitate sufficit talis confessio. « Et hoc certum est », ait S. Lig. (1), nec quisquam hodie in dubium vocat. Ergo. Ex quo deduco:

II. Ergo sufficit etiam ad licitam absolutionem, nisi detur obligatio, semper ac commode fieri potest, confitendi saltem unum peccatum in specie. Atqui obligatio dicendi speciem peccatorum probatur de sola materia necessaria. Minor patebit ex responsis ad obiectiones.

III. Confirmatur sententia nostra doctrinâ communi AA., secundum quam peccatum mortale generice solum confessum aliquando etiam extra necessitatis casum certo est materia tum sufficiens tum necessaria; in casu sc. n. 268, 3, 2).

I. Obiiciunt. Contraria est auctoritas plurium et gravium 306.
AA, qui has conclusiones vèl reiiciunt, vèl de iis dubitant (2).

Resp. Quod spectat *ad valorem* absolutionis, Auctores isti antiquiores non magis dubitant de eo extra nocessitatem quam in

(1) N. 480.

(2) Allegantur praecipue Suarez, Vasquez, Laymann, La Croix, Bosco, etc.

casu necessitatis. Sed *nonnulli* eorum, quia etiam pro casu necessitatis de valore absolutionis dubitant, concludunt, idque logice, eam extra necessitatem esse illicitam. Si itaque eorum auctoritas non obstat quominus in necessitate absolutio dicatur certe valida, eorumdem auctoritas neque extra causam necessitatis obstare potest. Sed audiamus unum alterumve ex recentioribus.

307. II. Obiicit, *contra valorem* maxime, Van Elst cum Auctore anonymo (1), argumentationem nostram peccare contra logicam, quae prohibet ne e particulari concludatur ad universale.

Resp. 1°: Obiectio summum ad priorem conclusionem spectare potest; quare 2°: ratio sic concludendi ubi agitur *de valore* Sacramenti datur in propositione maiori; haec vero non supponit argumentationem a particulari ad universale, sed contra; quare 3° obiiciens refutet maiorem propositionem; aut unam saltem solidam rationem afferat cur de eiusdem veritate dubitemus. Id praestare conatus est Lehmkuhl (2), qui

308. III. Obiicit: « Ex eo quod in articulo mortis valeat et liceat, non plane necessario ad valorem extra illam necessitatem concludere possumus; quod patet ex confessione per nuntium facta, quam in articulo mortis valere dubitandum non est, at eam alias nullo umquam casu licere ex thesi proscripta (3) constat; atque eam ne validam quidem esse communi suffragio Theologi ex universali prohibitione deducunt ».

Resp. 1° Negando ultimo dictum. Ut testatur Herinx (4), multi censent solam *confessionem* absenti factam (5) esse tantum proscriptam ut illicitam. 2° Secundum de Lugo (6) ex illa thesi solum invalida dicenda est confessio hoc sensu quod eà non satisfit praecepto divino confitendi distincte peccata mortalia. Quam opinionem dicit communicatam ipsi Clementi VIII et ab eo probatam. 3° Alii, ut A. l. testatur, satis communiter ponentes confessionem

---

(1) In *Nouv. Rev. Théol.* anni 1898, pag. 569.
(2) N. 265. Cuius argumentum V. Elst dicit convincens.
(3) Cfr. infra ubi de absolutione.
(4) Disp. III, qu. VI, n. 76.
(5) Aliud est de absolutione absenti data.
(6) Disp. XVII. S. IV, n. 71 sqq.

absenti factam valere non posse, ut casum supra positum explicent, ostendere conantur confessionem in casu proprie non fieri absenti. Ergo etiam illi, non secus ac illi de quibus sub 1° et 2° satis clare ponunt requisita essentialia eadem esse in casu necessitatis atque extra necessitatem.

Observa 1°: loquendo de solo *valore* Sacramenti opus non 309.
est solvere ea quorumdam argumenta, quae aeque pro casu nenessitatis ac extra eum casum solvenda sunt. Tale est argumentum ex eo petitum quod Sacramentum hoc institutum est per modum accusationis et iudicii. — 2° Quod autem, posito valore Sacramenti, ad eiusdem licentiam attinet, observa, obiici iterum iure non posse illos plerosque graves Auctores, qui ideo solum dubitant de licentia, quia dubitant de valore. Quod autem

IV. Obiiciunt *contra licentiam:* Accusatio et iudicium per 310.
se et ut plurimum debent esse de materia certa et saltem in specie determinata: cfr. n. pr. 1°.

Resp. 1° Id requiri in hoc iudicio *reconciliativo* aeque ac in condemnatorio, constat solum relate ad materiam necessariam; quoad liberam vero *probatione indiget.* 2° Ut ipse Suarez fatetur, is qui unum peccatum veniale confitetur, v. gr. verba otiosa, secundum omnes dat materiam sufficientem; quamquam non magis suam conscientiam declarat, quam qui dicit tantum se peccasse venialiter: neque prior illa confessio magis variat iudicium Confessarii. — Praeterea multi, i. q. Sporer n. 379, cum Laymann

V. Obiiciunt 1. Haec, i, e. non absolvendi, est praxis bo- 311.
norum Confessariorum.

Resp. Praxis bonorum Confessariorum est suadendi vel a poenitente eliciendi confessionem plus minusve specificam: *Transeat;* praxis haec est multum commendanda, et a patronis etiam nostrae sententiae commendatur; cfr. quae mox hoc n. et sqq. dicentur. Praxis est eaque *constans* et omnium temporum et *omnium* bonorum Confessariorum, non absolvendi quoties confessio specifica obtineri nequit: *Probetur.*

2° Periculum est ne quis solum dicat se peccasse, quia audivit omnes homines esse peccatores; vel ne meras imperfectiones in

mente habeat, non certa peccata; adeoque timendum insuper in utroque casu ne vero dolore careat.

Resp. Haec ratio solummodo vim habet in iis casibus, quibus Confessarius prudenter dubitare et timere debet; id quod cum rudibus praesertim contingere potest, de quibus etiam solis Laymann aliique loquuntur; cfr. infra Resp. ad 4^m.

3° Si poenitens de quo supra vere supernaturalem dolorem habet, iustificari poterit ab occultis peccatis suis Sacramento Eucharistiae.

Resp. Huiusmodi ratio probat tantum absolutionem non esse necessariam.

4° Si fateamur absolutionem extra casum extremae vel gravis saltem necessitatis conferri aliquando posse fidelibus generice solum se accusantibus, ea facultate abutentur Sacerdotes quo citius et commodius expediant poenitentes.

Resp. Abusus in qualibet re quantumvis bona ac licita vitandus et eliminandus est. In casu autem periculum abusûs, sicut et periculum, de quo sub 2°, non existit ex ipsa doctrina; sed solum provenire potest ex incuria vel imperitia Confessarii.

312. VI. Obiicit *contra confirmationem* nostrae sententiae Lehmkuhl (1): « In *gravis* peccati [etiam sola generica] declaratione habetur materia aliquo sensu prorsus determinata; non autem in peccati venialis generica declaratione: siquidem peccatum mortale infert notionem offensae Dei secundum respectum privativum plane determiuatae et definitae, peccatum veniale non ita. Quare causa iudicialis *videtur* manere prorsus incognita ».

Resp. 1° *Videtur* accusatio *aeque* determinata et causa cognita, sive poenitens dicit se peccasse mortaliter, nihil addendo, sive dicit se non mortaliter sed venialiter peecasse. 2° Si ita est, ergo sufficit si poenitens dicat se antea graviter peccasse; cfr. n. 272; consequenter, secundum mox dictum, aeque sufficit si dicat se antea venialiter peecasse.

313. *Notae pro praxi.* I. De sententia contraria.

1° Cum sententia haec, utut tamquam certa a nonnullis tradatur, tamen sit summum plus minusve probabilis, non ergo impedit

(1) N. 265, 2).

quominus Confessarius poenitentem generice solum confessus absolvat, saltem sub conditione quoties satis rationabilis causa hoc suadere ipsi videatur; v. gr. si agitur de poenitente a notabili tempore non confesso.

2° Secundum plures illius sententiae patronos sufficit ut exprimatur species generica peccatorum; v. gr. « accuso me de peccatis contra castitatem, charitatem etc. »; itemque confessio peccati in communi, *si* praecesserit accusatio specifica defectuum quotidianorum, de quibus tamen dubitatur, num praebeant materiam sufficientem absolutioni, vel de quibus dubitatur, num poenitens satis doleat. — Vix, fateor, intelligo qui posterius hoc sufficiat, si non sufficit confessio generica se solâ. Nonne isti Auctores fucata specie confessionis specificae contenti sunt? — Sed et illud prius sat arbitrarium videtur. Quidni enim in sua sententia materiam liberam in hoc aequiparant prorsus materiae necessariae?

3° Secundum omnes confessio generica peccatorum vitae anteactae sufficit, si Confessarius novit ex praecedentibus confessionibus, quaenam in confuso saltem peccata poenitens tali accusatione intelligat.

II. De sententia affirmante. 1° Praxis generice tantum confitendi non est commendanda quoad peccata venialia post ultimam confessionem commissa. Privaret enim poenitentem apta Confessarii directione.

2° Etiam de peccatis vitae praeteritae praestat unum alterumve peccatum de quo poenitens magis dolet, in specie satem generica confiteri; quo magis dolor excitetur, adeoque etiam fructus Sacramenti augeatur. Haec tamen confessio specifica non est extorquenda poenitentibus, qui interrogationes Confessarii de vita praeterita factas moleste ferre videantur.

Scholion II. De confessione materiae dubiae et liberae.

Quaer. 1° Si poenitens materiam dubie sufficientem tantum praebet, num Confessarius tenetur exquirere certam ex vita praeterita? 314.

Resp. Per se negandum: sed potest poenitentem dimittere cum sola benedictione. *Idem est* si poenitens videatur habere *dolorem dubium de venialibus* quae *sola* confessus est.

Si tamen poenitens *mortalia dubia* confessus est, Confessarius vèl sub conditione absolvat dispositum, vèl, quod praestat, exquirat certam materiam, ut absolute possit absolvere. Quod ultimum semper expedit, si poenitens a notabili tempore non est confessus.

Quar. 2°. Quid si poenitens non affert materiam necessariam?

Resp. Si tamen praebet materiam certe sufficientem cum debita dispositione et *cum intentione* recipiendi Absolutionem, absolvi debet. Secus casus recidit in unum ex solutis sub 1°. Cfr. n. 255 sqq.

CAPUT TERTIUM.

DE SATISFACTIONE (1).

ARTICULUS I.

OFFICIUM CONFESSARII.

315. **Obligatio imponendi.** I. Debent Sacerdotes... *pro qualitate criminum et poenitentium facultate* salutares et convenientes satisfactiones iniungere; ne si forte peccatis conniveant, et indulgentius cum poenitentibus agant, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis iniungendo alienorum peccatorum participes efficiantur (2) ».

II. Rationes obligationis. Confessarius debet 1° ut minister Sacramenti huius integritatem procurare, 2° ut iudex servare iustitiam vindicativam, 3° ut medicus sanare poenitentes remedia et medicinas praescribendo. Attamen

(1) Sporer n. 537 sqq.

(2) Conc. Trid. Sess. XIV. Cap. VIII: Denz. n. 783.

Nota ad 3m: « Sciendum est totam potestatem at auctoritatem imponendarum poenitentiarum seu fidelium *obligandorum* in munere iudicis sitam esse; sc. qua medicus Confessarius intendere quidem debet animae vulnera curare, relapsus convenientibus mediis praecavere; sed nisi de *necessariis* mediis agitur ad medicam suam curationem subeundam poenitentes cogere nequit: si vero de necessariis remediis agitur ad ea non tam obligat, quam obligationem iure naturali et divino existentem declarat atque manifestat (1) ».

III. Natura et gravitas obligationis. Satisfactio a Confessario imponenda est necessitate non Sacramenti sed praecepti; quia sicut ipsa satisfactio implenda ita et consequenter eius iniunctio est pars *integralis* tantum Sacramenti. Quare

1° Cum adest omnimoda impotentia, non requiritur ulla satisfactio imponenda. Qui tamen casus vix accidere potest nisi agatur de poenitente sensibus destituto.

Alias autem obligatio gravis est ex genere suo seu pro rata materiae. Quare

2° *Mortaliter* peccaret Confessarius *si nullam* vel levissimam imponeret *ubi,* omnibus consideratis (2), *gravis iniungenda* foret; cfr. n. sq., I, 2°; sed

3° *Venialiter* solum peccaret *si levem* satisfactionem imponendam omitteret.

Quanta satisfactio imponenda? 316.

I. Generatim poenitentia iniungenda debet esse aliquo modo proportionata delictis, non absolute tamen, sed simul spectata poenitentis dispositione: facultate et utilitate; Trid. l. c. Quare Confessarius ad haec duo semper attendere debet.

1° Communiter censent pro peccato mortali per se (2) iniungendam esse, idque sub gravi, satisfactionem quae in praesenti Ecclesiae disciplina gravis habetur. Sed

2° Alii nonnulli, etsi gravem pro gravi peccato poenitentiam esse imponendam non negant, *probabiliter* tamen censent Confessarium tum *solum graviter* peccare, si pro peccatis mortalibus nullam, vel pro gravissimis valde levem imponeret, utpote quod verbis Trid. conformius videatur (3).

---

(1) Lehmkuhl n. 355, 2.

(2) Cfr. nn. sqq.

(3) Is videtur etiam sensus Sporer. Cfr. Gènicot n. 312 in fine; d'Annibale III, n. 347. — *Nota.* Multi, i. q. S. Thom. Quodlib. 4, q. 13, a. 28, S. Lig.

II. Gravia censentur generatim ea quae sub gravi obligant quando ab Ecclesia praecipiuntur, vel iis moraliter aequivalentia: ut Missa audienda, Rosarium — etiam quinque decadum — Litaniae omnium Sanctorum.

Num etiam *Hora parva* officii divini, vel huic aequivalens? *Probabiliter negatur;* is imo videtur sensus satis communis AA. Pro ratione afferri potest cum Lehmkuhl (1): quod Hora parva in obligatione recitandi Breviarii gravis habetur, id non ex obiecto solum in se spectato repetendum est, sed etiam ex eo quod Breviarii recitatio est actio hominis publice deputati eaque nomine Ecclesiae peragenda. — Sed etiam satisfactio sacramentalis prae aliis operibus maiorem dignitatem et vim habet ratione Sacramenti cuius est pars integralis. Qua ratione opinor etiam satis *probabiliter affirmari,* saltem in tantum ut talis materia sufficiens iudicetur pro peccato mortali uno eoque non ex gravioribus.

Nota. Pro maiori numero gravium peccatorum augenda sed non arithmetice multiplicanda est satisfactio.

317. Monita. I. Confessarius semper sollicitus sit magis de procuranda dispositione poenitentis debita ad obtinendum Sacramenti effectum, quam de taxanda poenitentia peccatis debita. Id agat ut probe intelligant suorum gravitatem peccatorum, et necessitatem satisfaciendi in hoc vel in altero saeculo. Deinde ne conniveat sed diligens sit in indicandis oneribus quae ex peccatis oriuntur, ut sunt restitutiones, satisfactiones, reconciliationes cum proximo, fuga occasionum etc.: his enim iam satis gravantur poenitentes et gravitatem suorum peccatorum attendunt. Tum pro viribus excitet poenitentem ad serium dolorem et firmum propositum; quibus habitis

---

n. 505 et Sporer, probabiliter, contra multos alios docent verbis: « *quidquid* « *boni feceris etc. sint tibi in remissionem peccatorum* » vim inesse elevandi omnia bona opera quae poenitens facturus est ad satisfactionem sacramentalem, *modo* Confessarius hoc intendat saltem implicite, puta in voluntate faciendi per ea verba quidquid potest in favorem poenitentis. Quae sententia certe ratio esse potest diminuendi, si expedire videatur, satisfactionem iniungendam. Sed quod paucissimi quidam docent, ideo semper levem poenitentiam imponi posse, hoc non tantum communi Theol. sensui sed etiam menti Conc. Trid. contrarium videtur. Cfr. n. 318, II.

(1) N. 357, nota 1.

II. Confessarius ne sit anxius etiam cum agitur de gravibus peccatoribus et ad subeundas graves poenitentias non dispositis; quibus leviores imponat poenitentias, committendo eos iudicio et misericordiae divinae. Secus enim periculum semper est ne tales aut poenitentias graves non impleant, aut Sacramentum Poenitentiae eis exosum fiat, aut quaerant sibi Confessarios ineptos, qui mederi nequeant, aut ne in pusillanimitatem ac desperationem labantur et denique pereant. Tutius siquidem est cum parva poenitentia quae facile suscipitur et verisimiliter adimplebitur, ducere confessos ad purgatorium, quam cum magna quae non implebitur praecipitare in infernum. Melius etiam est rationem reddere propter misericordiam quam propter crudelitatem: ubi enim paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax (1). Itàque iam incidimus in

Causas excusantes reducere possumus ad impotentiam et ad maius bonum spirituale poenitentis; speciales autem distinguimus in 1° alias ob quas nulla vel levissima, et 2° alias ob quas iusto minor vel comparate saltem levis imponi potest. Praecipuae sunt: **318.**

I. Ad 1^m 1). *Impotentia* physica vel moralis, ut quando poenitens est mentis impos, iam morti proximus etc.

2). Si poenitens *vehementissime contritus*, vel iam multum satisfecisse advertitur.

3). Si poenitens post absolutionem peccatum oblitum confitetur, Confessarius potest tacite commutare et extendere priorem poenitentiam iniunctam ad illud aliud peccatum. Sporer cum aliis ad licentiam exigit ut hoc fiat expressis verbis, ut nim. signum sensibile habeatur; sed alii probabiliter hoc negant. S. Lig. (2) vult ut leve quoddam opus addatur; sed hoc probabilius negatur; cfr. n. 320, 4°.

Nota 1. Speciatim quoad *infirmos et moribundos:* 1° infirmis etiam, nondum desperatis, satisfactio congrua imponenda est; si gravior esse debet, implenda postquam convaluerint. 2° Quodsi

(1) Laymann; Gerson; S. Ioan. Chrysost.
(2) N. 513.

vero desperata salus sit, expedit infirmo saltem hoc imponere ut S. Nomen Iesu aliquoties ore proferat, vel corde concipiat et invocet. 3°. Moneatur etiam ut loco poenitentiae ipsam suam infirmitatem, dolores, molestias ipsamque mortem impendentem Deo offerat, idque in unione passionis, dolorum ac mortis Christi. 4°. Item moneatur ut de bonis suis eleemosynas largiatur, Sacrificia offerenda curet etc.; quodsi antea facto testamento ad pias causas legaverit, id nunc comprobet. — Minime vero recte agunt Confessarii qui circumstantibus dicunt ut gravem aliquam poenitentiam loco moribundi impotentis impleant. Sufficit eos generatim hortari ut pro morituro orent, vel alia bona opera Deo offerant.

2. *Universe* ergo semper aliqua saltem levissima poenitentia iniungenda est, ob reverentiam etiam Sacramenti, huius integritatem melius servando.

II. Ad 2^m^. Causae minuendi poenitentiam — praeter supra indicatas paulo latius acceptas: ut magna contritrio, bona opera sponte facta vel facienda — praecipue sunt:

1). Indulgentiae lucrandae; maxime plenaria, de qua reapse lucranda raro quidem constat, sed sufficit ut probabiliter credatur.

2). Timor ne poenitens maiorem poenitentiam omitteret.

3). Spes minori poenitentia alliciendi ad frequentiorem Confessionem.

4). Voluntas Confessarii partem poenitentiae iniungendae in se suscipiendi (1).

5). Verba: « *quidquid boni feceris* etc. », cfr. n. 316, I, 2°.

Nota. Generatim expedit poenitentem de paucitate poenitentiae impositae monere, et adhortari ut sponte suppleat.

319. Qualis satisfactio iniungenda?

1. Sit medicinalis et vindicativa; praeterea poenitenti pro circumstantiis conveniens. « Habeant autem prae oculis, ut satisfactio quam imponunt, non sit tantum ad novae vitae custodiam et infirmitatis *medicamentum*, sed etiam ad praeteritorum peccatorum *vindictam* et castigationem (2) ». Non tamen ideo opus est ut plura et diversa opera imponantur.

(1) Cfr. n. 331, III.

(2) Trid. l. c. Cfr. n. 315, I.

2. Opera iniungenda reducuntur ad tria: *orationem* seu exercitia spiritualia generatim, *ieiunium* seu mortificationes corporales, et *eleemosynam* seu opera misericordiae. Idque valde congruenter, quia homo peccando *Deum* offendit, *seipsum* maculat, *proximum* saepe laedit.

Imponi possunt ex communi sententia etiam 1° opera *in-* **320.**
terna; 2° offerenda *pro aliis* vivis vel defunctis; 3° *cessatio ab opere bono,* v. gr. a S. Communione, quatenus est obedientiae alteriusve virtutis exercitatio: quamquam hoc raro expedit; 4° opera aliunde *iam debita;* 5° *indulgentiae lucrandae* (1); et, ex communiori, etiam 6° opus implendum *sub conditione relapsus;* addunt plures 7° opus *de consilio* solum implendum.

Nota ad 4m. 1° Excipit S. Lig. cum nonnullis, contra alios, opus iam alias impositum in satisfactionem sacramentalem (2). 2° Quamquam generatim non expedit opera iam debita, praecipue sola, in satisfactionem iniungere — neque hoc praesumitur nisi ex circumstantiis intelligatur (3) — quandoque tamen consultum hoc erit, ut si agatur de poenitente qui praecepta Ecclesiae non observavit.

Ad 6m. Id S. Lig. intelligendum dicit: modo imponatur proportionata poenitentia pro peccatis confessis. Sed alii hanc restrictionem omittunt. In casu ipse maior conatus ad cavendum relapsum pro satisfactione erit.

Ad 7m. Hoc modo etiam ligat Sacerdos, qui vult ut illa opera non prosint ex opere operato, nisi ex sua designatione (4).

Imponi non possunt, vel non expedit: 1° *opus publi-* **321.**
cum pro peccatis occultis imponi *non potest;* neque ea generatim quae poenitens implere nequit quin peccati gravis commissi suspicionem in aliis excitet (5). — At quae poenitens pro sua conditione facile sua sponte assumere potest, neque coram aliis agere cogitur,

---

(1) Hucusque dubitabatur num uno opere poenitentia sacramentalis impleri et indulgentia lucrari posset. Posse decisum est 11-14 Iunii 1901. Nouv. Rev. Théol. 1905, pag. 534 sqq.

(2) Cfr. n. 318, I, 3).

(3) Cfr. Vol. I, n. 97, V.

(4) Cfr. dicta n. 316, I, 2° in nota de vi verborum: *quidquid boni feceris* etc.

(5) Cfr. Rit. Rom. Tit. III, c. 1, n. 21.

quamquam reipsa ea aliis videntibus aget, non habentur pro poenitentia publica. Neque id ad Confessarium spectat, si poenitens ipse talia se pro poenitentia sacramentali facere aliis dicit. Si autem pro publicis peccatis publica quaedam reparatio necessaria est, ea pro poenitentia sacramentali iniungi potest. Num vero hoc expediat Confsssarii prudentiae relinquitur (1).

2° *Statum religiosum* imponi non posse, fere omnes docent; quia status ille ex indole sua omnimodam postulat libertatem; et praeterea nimis arduus, imo facile etiam periculosus foret homini non ultro illum eligenti.

3° *De matrimonio* idem communius docent, ob easdem rationes. Quamquam illud quandoque maxime consulendum, ne dicam urgendum est tamquam necessarium concupiscentiae remedium.

4° *Ad celebrationem Missarum* quod attinet, Syn. Prov. Ultrai. (2) severissime prohibet « Missarum stipendia in poenitentiam imponere, ne pusillis scandali occasio praebeatur, atque ut omnis turpis lucri suspicio removeatur ».

5° *Opera repugnantia* poenitenti ne imponantur neve ea quae ne omittantur timendum est: v. gr. ut pueri veniam petant a parentibus; ut in Ecclesia coram aliis extensis brachiis oretur.

6° *Poenitentias perpetuas* vel ad diuturnum tempus non expedit imponere ob periculum oblivionis vel nimiae anxietatis, vel etiam ne, si saepius imponantur, poenitens nimiis simul vinculis obstringatur; neque poenitentias multis operibus diversis implicatas.

322. **Quando iniungenda satisfactio?**

Convenientissime imponitur satisfactio post audita peccata ante datam absolutionem. Quia tamen huius ordinis servandi nulla apparet necessitas vel obligatio, fatentur omnes etiam post absolutionem datam posse iniungi poenitentiam; idque non tantum casu, si antea iniungere Confessarius oblitus est, sed aliquando etiam studio: ut si gravis aliqua obligatio imponenda, quam ante absolutionem significare non videtur consultum, ne forte poenitens ficte acceptans vel promittens, absolutionem sacrilege recipiat.

---

(1) Lehmkuhl n. 356, 7).
(2) Tit. IV. Cap. VIII.

Commutare satisfactionem legitime impositam potest so- 323.
lus Confessarius, etiam alius tamen ac qui imposuit, *saltem* is qui aequalem habet potestatem.

I. Solus Confessarius; quia agitur de actu iudiciali qui sola virtute clavium poni potest (1).

II. Etiam alius Confessarius; quia Confessarii sibi in eodem munere ac tribunali succedunt; adeoque eadem est eorum potestas, et potest posterior quod posset prior.

III. Si poenitentia est imposita *pro casibus reservatis,* num commutari possit a Confessario simplici disputatur. *Communius negant,* quia accessorium sequitur principale, et inferior nihil potest in praeceptum latum a superiore. Nonnulli tamen *probabiliter affirmant;* quia reservatio per absolutionem iam est sublata, ideoque Confessarius quilibet iam habet potestatem in illa peccata, et consequenter in satisfactionem pro iis impositam. Accedit quod in alia sententia excipitur, si detur gravis causa et non sit facilis accessus ad Superiorem (2): quod quidem pro praxi sufficit.

Nota ad II. Non refert quod poenitentia sit medicinalis; nam si agitur de remedio non necessario, aeque alius ac idem Confessarius aliud remedium praescribere potest. Praeterea si satisfactio imposita facta est poenitenti difficilis vel valde incommoda, eo ipso iam cessavit esse medicinalis, et noxia vel periculosa censeri debet.

Quomodo commutanda satisfactio? 324.

I. Idem Confessarius qui imposuit ut commutare possit, certo non requiritur, *saltem per se,* nova confessio et absolutio sive eorumdem sive aliorum peccatorum; sed potestatem hanc retinet vi absolutionis datae: neque in rigore specialis aliqua causa requiritur. Sed

Dubitatur 1° *num requiratur* ut Confessarius retinuerit vel resumat *memoriam* saltem confusam sive peccatorum, sive status poenitentis, sive confessionis sibi factae. Communius affirmant, aliis tamen plus aliis minus requirentibus. Sed *probabiliter negatur,*

---

(1) Ipsum poenitentem non posse, ne in melius quidem, commutare opus iniunctum, per se patet.

(2) Cfr. S. Lig n. 529, Dub. 2.

quia id quod alii Confessario sufficit, satis esse debet eidem Confessario; cfr. itaque n. sq.

Dubitatur 2° *num* haec eiusdem Confessarii potestas *limitetur ad* brevius longiusve *temporis spatium* post Confessionem auditam. Item communius affirmant, sed hi mire variant in determinando illo temporis spatio (1). Alii *probabiliter negant,* quia sicut satisfactio post longum tempus impleta, ita et eiusdem nondum positae commutatio semper faciet unum moraliter cum praecedenti confessione (2).

325. II. Alius Confessarius ut commutare possit certo requiritur *aliqua* Confessio et Absolutio (N. 323, I), et aliqua causa. Sed

Dubitatur num requiratur eorumdem peccatorum repetita confessio, saltem quantum sufficiat ut habeatur confusa notitia statûs poenitentis. Plerique affirmant, quia causâ non cognitâ iudicium ferri nequit. Quod Sporer verissimum dicit, sed solum quando poenitens conqueritur de iustitia satisfactionis impositae; idque sane optima ratione ut patebit ex ratione contrariae sententiae. Alii itaque, sine restrictione saltem expresse addita, *probabiliter negant,* quia Confessarius secundum praesentem poenitentis statum potest totam simul causam iudicare, etiam rationem commutandi, de qua sola, non de peccatis iam iudicatis, ad finem intentum sufficit iudicium ferre.

326. *Nota* 1. In casu n. pr. non referre quantum una Confessio ab altera tempore distet, omnes conveniunt.

2. Confessarius *quilibet* etiam non rogante poenitente satisfactionem commutare potest, si hoc ipsi expedire videatur.

3. Non convenit inter AA, utrum commutatio satisfactionis ab alio confessario fiat per revocationem sententiae prioris seu quasi per modum appellationis; an vero per modum novi iudicii aequalis praecedenti. In priori hypothesi oportet ut Confessarius non solum commutare sed etiam priorem satisfactionem seu iniunctionem tollere, priorem sententiam revocando, intendat; neque poenitens iam eâdem satisfacere potest. Secus in altera hypothesi.

(1) Cfr. n. 247.

(2) Cfr. De Lugo Disp. XXV, S. VI, n. 112.

ARTICULUS II.

OBLIGATIO POENITENTIS.

Ipsa obligatio est acceptandi et implendi poenitentiam rationabilem sub obligatione impositam a Confessario qui absolvit; eaque est gravis ex genere suo. Sequitur ex dictis n. 315. 327.

I. Acceptare tenetur poenitens poenitentiam aequam.

1. Quid si poenitentia sit manifeste iusto gravior et difficilior poenitenti, et Confessarius rogatus eam moderari nolit? Tunc

Resp. Poenitens potest reverenter recusare eam, et si Confessarius absolvere nolit, alterius Confessarii iudicio submittere peccata sua. Potest quoque, acceptata poenitentia, Absolutionem recipere; neque tamen tenebitur poenitentiam illam implere, neque ad aliud quidquam obligabitur: quamquam consultum certe est, ut ab alio Confessario commutationem petat. Quodsi in casu Sacramentum mutilum maneat, culpae Confessarii hoc vertetur. — Alii volunt ut poenitens sine Absolutione discedat. Sed enim poenitens confessus ius habet ad Absolutionem.

2. Recusando etiam rationabilem poenitentiam practice vix umquam graviter peccabitur; nam vèl prudens Confessarius eam moderabitur, vèl secus poenitens plerumque non absolutus discedet, alium Confessarium tentaturus; quod vèl non est, vèl a poenitente non iudicabitur grave peccatum.

II. Implendi satisfactionem, positis ponendis, obligatio gravis est, nim.: *si pro gravibus* peccatis nondum remissis *gravis* satisfactio eaque *sub gravi* iniuncta est. Quibus positis etiam grave foret partem — non solum per se, sed generatim etiam comparate — notabilem (1) omittere. Dictum est: 328.

1° Si pro gravibus peccatis etc. Nam 1° generatim pro materia libera poenitentia gravis aeque imponi nequit; 2° si tamen

(1) Conf. Vol. I, n. 127, IV.

gravis iniuncta et acceptata foret, vèl poenitens ad eam, saltem totam implendam non obligatur, secundum dicta n. pr. vèl 3° obligatio gravis aliunde oriri debet, ut si agitur de medio necessario vitandi lapsum in peccatum grave. Quamquam alii aliter: sed durum videtur ob culpam levem contrahere per se obligationem gravem.

2. Si gravis satisfactio etc. Si enim pro materia etiam necessaria, poenitentia absolute levis imposita est, haec gravis obligationis capax non est.

3° Si sub gravi iniuncta est. Obligatio enim tum ipsa tum eius gravitas pendet ex voluntate Confessarii; cfr. n. 320, 7°. — *Praesumitur* autem Confessarius *pro rata materia* obligare, nisi aliud ex adiunctis colligatur.

Nota. Poenitentiam impositam non obligare si Absolutio non vel invalide data est, ex se patet.

329. **Tempus implendi.** I. Praefixo certo tempore vel termino, 1° tunc utique impleri satisfactio debet. Quamquam talis termini dilatio plerumque facile excusari potest a mortali, quia plerumque praeceptum Confessarii cadit magis in rem ipsam praestandam quam in tempus praefixum; cfr. quae dicentur sub 3°. Hinc etiam

2° Tunc non impleta satisfactio generatim non ideo obligare cessat; quia vix umquam talis existimari potest fuisse mens Confessarii.

3° Si vèl Confessarius aliquid per certum tempus a confessione praestandum praescripserit, quod remedii causa statim et continuo praestari voluit; vèl si opus ipsum sola dilatione notabiliter diminuatur, ut si imposita est Confessio post hebdomadam iterum facienda: tunc facilius dilatio gravis esse potest. Quamquam in posteriori saltem hypothesi Confessionem v. gr. post hebdomadam faciendam unam alteramve diem, vel post mensem instituendam non ultra hebdomadam differre, communiter grave non habebetur. — Abstrahendo ab hisce circumstantiis, vel

330. II. Tempore non prafixo 1° satis consentiunt satisfactionem sub veniali implendam esse quamprimum commode fieri potest; quia agitur de integritate Sacramenti.

2° Non conveniunt sive num solâ sive quantâ dilatione graviter peccetur: qui prius illud affirmant, ad posterius multum variant; ut fieri solet ubi lex certa deficit. Quare

3° De gravi peccato non constat nisi vèl periculum sit oblivionis vel impotentiae superventurae; vèl — ex n. pr. — dilatione satisfactio aut fine spectato frustretur aut diminuatur. — Ceterum, ut iterato observat Sporer, res tota pendet e mente Confessarii: si nactus rigidum, cave tibi et time; si benignum, etiam cave, sed ne facile timueris noxam mortalem.

Nota. Nequaquam per se obligatio est satisfactionem implendi ante S. Communionem vel etiam ante proximam Confessionem.

Modus implendi. I. Si confessarius modum aliquem seu circumstantiam praescripsit, videndum 1°: num haec sive omnino sive comparate ad poenitentem gravis habenda sit; si quidem ita, 2° num existimandum sit Confessarii mentem fuisse graviter obligandi ad illam circumstantiam; cfr. n. 328. **331.**

II. Satisfacit qui poenitentiam implet in statu peccati mortalis, quia finis praecepti non cadit sub praecepto. — Num venialiter peccet, non conveniunt; cfr. n. 52.

III. Satisfieri potest *cum alio* seu cum sociis, si agitur de precibus quae ita recitari solent; *non per alium, nisi* de consensu vel praecepto Confessarii (1).

NB, Plura huc spectantia vide Vol. I, n. 97.

Cessat obligatio, si superveniat impotentia implendi vel oblivio. Quae si orta sint ex gravi culpa, haec in proxima Confessione aperiatur. Sed ad nihil praeterea poenitens obligatur, nisi forte in casu oblivionis putet Confessarium adhuc esse poenitentiae impositae memorem, eumque commode adire possit. Consulunt autem ut oblitus in proxima Confessione aliam poenitentiam petat. **332.**

---

(1) Cfr. prop. damn. 15 ab Alex. VII: Denz. n. 986; et supra dictum n. 318, II, 4).

SECTIO II.

DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIAE.

CAPUT PRIMUM.

DE POTESTATE MINISTRI (1).

333. **I. Potestas** in Ministro huius Sacramenti duplex requiritur: *Ordinis* sacerdotalis et *iurisdictionis;* quia Absolutio est actus *sacramentalis* simul et *iudicialis* (2). — Nobis dicendum solum est de potestate iurisdictionis.

II. Iurisdictio generatim est potestas publica regendi alios *ut subditos.* — Iurisdictio ecclesiastica distinguitur: 1° *ratione obiecti* alia fori externi, alia fori interni; 2° *ratione fontis* alia ordinaria, alia delegata.

Iurisdictio fori interni iterum duplex distinguitur: sacramentalis et extra-sacramentalis. Praecipue hic agitur de iurisdictione sacramentali.

ARTICULUS I.

DE IURISDICTIONE ORDINARIA (3).

334. **Iurisdictio ordinaria** ea dicitur quae alicui competit *ratione muneris* — cui, ut hic ponitur, annexa est cura animarum. Huius distinguuntur tres gradus, sicut et tres iudices ordinarii, ad quos alii reduci possunt. Primum gradum tenet Summus Pontifex, cui competit iurisdictio omnino universalis: quo reducuntur illi qui eiusdem excellentiori modo participant, ut Ma-

(1) Sporer n. 649 sqq.

(2) Cfr. Conc. Trid. Sess. XIV, Cap. 6 sq. et Can. 9 sq. Denz. n. 781 sq. 797 sq.

(3) Sporer n. 686 sqq.

gnus Poenitentiarius; secundum gradum tenet Episcopus, in *sua* quisque Dioecesi: quo pertinent etiam Vicarii Generales Episcoporum, et reducuntur Praelati Generales et Provinciales Ordinum religiosorum, atque Abbates exempti; tertium tenet Parochus in *sua* quisque Parochia: quo reducuntur Praelati immediati Ordinum religiosorum, ut Guardiani, Priores etc., tum illi omnes qui officii instar immediatam curam aliquarum animarum gerunt.

I. Iurisdictio ordinaria sequitur munus cui annexa est. **335.** Quare 1° cum eo *incipit, durat et cessat;* 2° in proprios subditos, puta dioecesanos vel parochianos, *ubique locorum* exerceri potest.

II. Subditi sunt qui in Parochia, et per hanc in Dioecesi domicilium vel quasi-domicilium habent.

III. Praelatorum regularium, magis quam aliorum, iurisdictio primario personalis est, secundario locum certis limitibus circumscriptum respicit.

Nota. Parochi fere ubique ex lege vel consuetudine *in universa Dioecesi* iurisdictionem (extra Parochiam) *delegatam habent* (1).

ARTICULUS II.

DE IURISDICTIONE DELEGATA ET APPROBATIONE GENERATIM (2).

« **Decernit S. Synodus** (3) nullum, etiam Regularem, posse **336.** Confessiones saecularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus iudicetur, et approbationem, quae gratis detur, obtineat; privilegiis et consuetudine quacumque, etiam immemorabili, non obstantibus ».

---

(1) Cfr. Stat. Dioec. Rur.; quae idem statuunt de Rectoribus Parocho non subiectis.

(2) Sporer n. 654 sqq. et n. 697 sqq.

(3) Trid. Sess. XXIII, Cap. XV. de Ref.

I. « Nullum ». Ergo neque Theologiae Doctorem vel Professorem, ut de Regularibus declaravit S. Pius V (1); neque qui Parochus sive fuit sive habitu solum sed actu non est, v. gr. Canonicus, ut declaravit S. C. C. (2). Quamquam non decet, ait S. Lig. (3), examinari Doctores vel Licentiatos vel qui Moralem docuerint.

II. « Aut parochiale beneficium, aut... approbationem ». Ex hac oppositione multi deducunt, ex mente Trid. Parochos non egere approbatione ut extra Parochiam vel etiam Dioecesim iurisdictionem habeant vel saltem accipiant. Ita etiam Sporer. Sed S. C. C. declaravit hoc tantum valere respectu suorum subditorum (4). Ex hac quaestione pendet, num Parochi vicinarum Dioecesium sese mutuo ad Confessiones audiendas advocare possint. In praxi res ab ipsis Episcopis componi solet.

337. I. **Approbatio** est authenticum Episcopi iudicium de idoneitate alicuius Sacerdotis ad excipiendas Confessiones. — Sub idoneitate tum scientia et prudentia necessaria, tum vitae probitas comprehenduntur.

II. Requiritur approbatio obtenta ab Episcopo loci in quo Confessiones audiuntur, ut constat ex Constitt. SS. PP. (5); non vero ab Ordinario sive Sacerdotis sive poenitentis ut plures antiquiorum putavere, contra quos

Concludendum 1°: Episcopum pro sua Dioecesi approbare *posse* Sacerdotem *extraneum*, et — 2°: ob solum etiam defectum huius approbationis Confessarium cum potestate *delegata tantum* (n. 335, I, 2°), ut Parochorum adiutores aliosque, *non posse* in *alia* Dioecesi audire Confessiones subditorum Episcopi approbantis et delegantis. At vel in *ipsa* Dioecesi approbatio vel saltem iurisdictio delegata Sacellanorum ad certum locum seu intra determinatos limites restringi solet.

III. Approbatio proprie non est ipsius iurisdictionis delegatio (6). In praxi tamen Episcopi utramque simul conferre

(1) Const. *Romani Pontificis*, 8 Augusti 1571.

(2) 24 Maii 1585; 16 Sept. 1613; 1 April. 1876.

(3) N. 542.

(4) 19 Ian. 1641; 3 Dec. 1707: apud S. Lig. n. 544, Dub. 1.

(5) Innoc. XII *Cum sicut* 19 Apr. 1700; Bened. XIV *Apostolica indulta* 5 Aug. 1744.

(6) Est commune; cfr. n. 345.

solent. Et hinc iurisdictio usu communi etiam approbatio audit. Quamquam in quibusdam casibus utriusque distinctio est attendenda.

IV. Plurimi AA. docuerunt, praesertim ante Decretum Innoc. XI (1), atque multi etiamnum docent Sacerdotes non approbatos, adeoque omnes, valide absolvere a peccatis venialibus et a mortalibus legitime iam confessis et remissis; et Decretum Trid. de approbatione non spectare ad haec peccata. Quam sententiam Sporer dicit communem, S. Lig. (2) communissimam. Post et propter cit. Decr. plerique hodie hoc illicitum dicunt, multi etiam invalidum. Quamquam ex illo Decreto certa prohibitio erui non potest nisi haec: « *Episcopi et Parochi seu Confessarii ... non permittant*, ut venialium confessio fiat simplici Sacerdoti non approbato ». Neque plus probant verba quae sequuntur: « Si Parochi et Confessarii, etiam Regulares, aut *quicumque alii Sacerdotes* secus egerint, sciant se Deo Optimo Maximo rationem reddituros esse ». Cum enim « alii Sacerdotes » eodem loco habeantur ac ipsi Parochi et Confessarii, ideo illud: « si secus egerint » commode accipi potest de sola permissione Sacerdoti simplici facta. Adhuc ergo dubia res est. Denz. n. 1086 in fine.

Nota. Facultatem illam seu iurisdictionem omnium Sacerdotum AA. in ipsa Ordinatione collatam dicunt, alii ab Ecclesia, alii ab ipso Christo. In posteriori hypothesi facile intelligitur cur Ecclesia hoc neque irritet neque directe prohibeat.

I. Delegare possunt quicumque habent ordinariam iurisdictionem. *Parochi* tamen practice vix delegare eam hodie possunt nisi forte alteri Parocho (3), quia alii Sacerdotes qui praevia approbatione certo indigent, cum ea plerumque etiam delegatam ab Episcopo iurisdictionem habent. 338.

Attamen « Decretum Episcopi in quo habetur quod nullus Confessarius etiam ab Ordinario approbatus, possit tempore Paschali confessiones audire sine licentia proprii Curati, nullo modo est observandum (4).

III. Iurisdictionem mere delegatam generatim subdelegari non posse; item quinam casus excipiantur ab hac regula, docent Canonistae.

I. Incipit iurisdictio delegata a momento quo eius concessio authentice innotescit delegato et ab eodem acceptatur. 339.

Nec sufficit ut concessionis iam expeditae notitia *privato intermedio* ad delegatum perveniat. Idem enim hic valet quod de

---

(1) 12 Febr. 1679.

(2) N. 543.

(3) Cfr. n. 335, nota; n. 336, II.

(4) S. C. Ep. et Reg. 8 Apr. 1584: apud S. Lig. n. 564. Cfr. infra n. 346.

dispensationibus matrimonialibus respondit S. Inq. (1): *invalidam* fore dispensationem quam Ordinarius exequeretur antequam accepisset documentum authenticum gratiae concessae, licet concessionis nuntium per telegraphum accepisset, « nisi notitia telegraphica transmissa fuerit ex officio, auctoritate S. Sedis (2) ».

II. Cessat 1° revocatione facta a delegante eiusve successore, et delegato notificata. Eàque practice simul revocari solet et approbatio. De hac autem communiter docent AA. eam etiam illimitate concessam semper valide revocari, et, si iusta adsit causa, etiam licite. Et quamvis plures non sine ratione probabile habeant approbationem, maxime illimitatam, sine causa ne valide quidem revocari, practice tamen semper standum erit iudicio et dispositione Episcopi; cum, ut recte advertit S. Lig. (3): « innumerae possint esse causae iustae apud Episcopum revocandi approbationem, quae ignorentur a Confessario ».

2° Cessat delegatio ad casum particularem facta morte delegantis vel eius officio quacumque ratione cessante, *si* tamen res adhuc est integra, seu confessio nondum coepta.

III. Secus non cessat 1° morte delegantis delegatio sive *illimitate*, sive *ad determinatum tempus*, sive *ad revocationem* facta. Ita hodie communiter ut certum docent AA., et probatur universali consuetudine, — *Dubitatur* de delegatione facta *ad beneplacitum nostrum*. Sed 1° dictiones: « ad revocationem » et « ad beneplacitum » hodie ab ipsis Episcopis saepius ut synonimae habentur; 2° durationi favet Resp. S. C. Ep. et Reg. (4).

2° Neque *per se* cessat sola domicilii mutatione, si delegatus eodem, ubi iurisdictionem acquisierat, revertitur. Sed *consulenda sunt Statuta* cuiusque Dioecesis.

In nostra *neerlandica* Provincia ecclesiastica si quis (*Ruraem.*: sine Episcopi licentia) in alia Dioecesi domicilium vel quasi-domicilium obtineat, iurisdictiones, approbationes et facultates sub clausula: « usque ad revocationem » concessae *ipso facto cessant sine expressa revocatione*,

(1) 14 Aug. 1892: Coll. P. F. n. 2192. Ob quod Resp. etiam Lehmk. suam mutavit sententiam.

(2) Génicot n. 327. V.

(3) N. 551.

(4) 19 Iun. 1966: Palm.-Ball, n. 577, ed. 3ª n. 355.

nisi disertis verbis aliud indultum fuerit. Quod si in casu domicilium in eamdem Dioecesim rursus transferatur, facultates denuo impetrandae sunt; et — extra Ruraem. — cum supplica simul exhibendae sunt litterae testimoniales sive commendatitiae Episcopi vel Ordinarii loci, sub cuius iurisdictione interea domicilium vel quasi-domicilium quis habuit. Stat. Dioec. Cap. XXXVI.

Modus delegandi et acquirendi iurisdictionem. Iurisdictio 340.
delegari et acquiri potest 1° a iure scripto vel non scripto seu consuetudine (1) vel ab homine; — 2° directe vel indirecte.

Indirecte delegatur et acquiritur quando certis personis permittitur, ut Sacerdotem, quem voluerint, Confessarium sibi eligant. Quod *privilegium* 1) *ex iure* competit « Episcopis et aliis Superioribus necnon minoribus Praelatis exemptis... etiam praeter Superioris sui licentiam (2); 2) *ex consuetudine* regibus et principibus sed pro se tantum, et modo supremo gaudeant dominio; item Domesticis Pontificis et Cardinalibus, qui praeterea Romae degentes possunt etiam suae familiae approbatum Confessarium eligere.

Nota. Electus a praedictis 1° generatim oportet ut sit approbatus, nisi, a) Episcopus suum subditum eligat, vel b) eligens sit Regularis; 2° eligentem ubique absolvere potest.

Consuetudine inductum est, ut peregrini in loco quo 341.
confitentur habeantur — quoad peccata et censuras iuris communis vel etiam a iure particulari si modo non sint reservatae — ut incolae loci.

Quam consuetudinem cum Eugenius IV approbaverit, S. Lig. (3) concludit, peregrinos hodie iam non ex voluntate suorum Episcoporum absolvi sed ex volutate Ecclesiae. Et hinc iterum Vindices contra alios (4) resolvunt, *Episcopos hodie suo dissensu prohibere non posse, ne subditi sui in aliena Dioecesi* valide absolvantur a Confessariis etiam saecularibus (5). Id tamen ipse S. Doctor ex-

(1) *Improprie:* hoc nim. sensu quod consuetudo *est signum* taciti consensus superioris.

(2) Greg. IX: Decretal. l. V. t. XXXVIII. c. XVI.

(3) N. 588.

(4) Nominatim contra Gury et Ballerini.

(5) De Regularibus non est dubium; ex Const. *Superna* Clem. X; cfr. n. 278.

presse non docet. — *Solutio pendet ex hoc* num Ecclesia seu aliquis S. Pontifex solum *approbaverit* consuetudinem qualis erat, posito sc. tacito consensu Episcoporum; an vero abstrahendo ab eo consensu, adeoque sua auctoritate *confirmaverit*. Neutrum hucusque quisquam, quod sciam, probavit. — Opinio S. Lig. et Vindicum inter recentes satis communis evasit; alia vero magis cohaeret principiis iuris. Quare *utraque probabilis* videtur. — *Discrimen practicum* occurrere potest ratione casus reservati; cfr. n. 362; alias enim Episcopi praesumi non possunt dissentire.

342. Vagorum alia est conditio ac peregrinorum. Illi enim cum nusquam domicilium habeant, adeoque eorum alius non sit Ordinarius praeter S. Pontificem, ad hunc recurrere opus est. Ex huius itaque expressa vel tacita delegatione vagi ubique a Confessariis ab Episcopo loci approbatis absolvuntur.

343. Navigantes quod attinet, attendenda sunt Decreta recentiora: nim.: ex concessione 24 Aug. 1905

1° « Sacerdotes quoscumque transmarinum iter arripientes dummodo vèl a proprio Ordinario ex cuius Dioecesi discedunt, vèl ab Ordinario portus in quo in navem conscendunt, vèl etiam ab Ordinario portus cuiuslibet intermedii per quem in itinere transeunt, sacramentales confessiones excipiendi... facultatem habeant vel obtineant, posse toto itinere maritimo durante, sed in navi tantum (1), quorumcumque fidelium secum navigantium (1) Confessiones excipere, quamvis inter ipsum iter navis transeat, vel etiam aliquandiu consistat diversis in locis diversorum Ordinariorum iurisdictioni subiectis ». Et ex concessione 13 Dec. 1906

2° Dictos sacerdotes « quoties, durante itinere, navis consistat, confessiones excipere posse tum fidelium qui quavis ex causa ad navem accedant, tum eorum qui, ipsis forte in terram obiter descendentibus, confiteri petant, eosque valide ac licite absolvere posse etiam a casibus Ordinario loci forte reservatis, dummodo tamen — quod ad secundum casum spectat — nullus in loco vel unicus tantum sit sacerdos approbatus, et facile loci Ordinarius adiri nequeat ».

---

(1) Quoad hasce restrictiones vide dicenda sub 2°.

Militum Capellani, secluso privilegio pontificio, indigent ap- 344.
probatione Episcopi loci; si tamen milites in itinere et in castris versantur, eos ubique absolvere possunt ex tacito consensu Episcoporum, ut habet universalis consuetudo, necessitate ipsa ita exigente. Nunc autem non semel Capellano militari Maiori vel Episcopo militari amplissima facultas etiam libere delegandae iurisdictionis collata est: quare ipsa facultas a S. Sede data in casibus occurrentibus inspici debet.

ARTICULUS III.

DE IURISDICTIONE ET APPROBATIONE REGULARIUM SPECIATIM (1).

I. Regulares, saltem mendicantes, et qui cum ipsis privile- 345.
giorum communicationem habent, ad audiendas Confessiones *saecularium* iurisdictionem accipiunt a S. Pontifice per suos Superiores, praerequisita tamen post Conc. Trid. approbatione Episcopi loci ubi Confessiones excipiuntur. Certum nim. est ex pluribus Constitutionibus SS. PP., et omnes fere consentiunt in iure antetridentino Regulares a Superioribus idoneos indicatos accepisse iurisdictionem a Rom. Pont.; idque ita ut iis sufficeret petiisse Episcopi licentiam etsi non obtinerent (2). Hoc ultimum tamen, ut Decreto Trid. contrarium, revocatum est.

Pauci negant (3) hodie Regulares iurisdictionem habere a Rom. Pont. — Horum *praecipua* ratio haec est: Conc. Trid. verbum illud « approbationem » intellexisse de collatione iurisdictionis. Sed hoc adversatur interpretationi fere omnium Theologorum; nam vix quemquam reperias qui non distinguat inter approbationem et iurisdictionem. — *Alia ratio* est quod SS. PP. in suis Constitutionibus, de quibus supra, iurisdictionem tum solum concedebant quum Episcopus eam negabat. Sed aliter rem intellexit

(1) Sporer n. 668 sqq.

(2) Clement. Cap. *Dudum* 2 de Sepulturis; Const. Clem. X *Superna;* Pauli III *Cum inter cunctas.*

(3) I. q. Aernys n. 224 sq.

S. Congr. C. quae ut refert Fagnanus (1): « declaravit Regulares intra Dioecesim Episcopi *approbantis* posse etiam absolvere poenitentem alterius Dioecesis; *cum habeant iurisdictionem a Papa* ». — Tertiam rationem mox videbimus et iudicabimus.

II. Solent tamen Episcopi Regularibus perinde ac aliis Sacerdotibus iurisdictionem una cum approbatione conferre. Unde, quia « *beneficium non praeiudicat beneficio* » Regulares Confessarii iurisdictionem ut plurimum habent a Papa simul et ab Episcopo.

Ad quod adverte illam a Papa iis revocari posse a Superioribus, non vero eam quam habent ab Episcopo; hanc quod attinet, Superiores possunt tantum subditos suos *prohibere* ne eâ utantur, imo et eos a Confessionibus audiendis suspendere; ita tamen ut Religiosus prohibitus vel suspensus *illicite tantum* non vero invalide Confessiones audiret. Itâque intelligitur qua ratione et quo sensu « Religiosus non approbatus iuxta leges proprii Ordinis a suo Superiore, vel ipso invito, *cum sola* (2) *facultate Ordinarii,* valide excipiat Confessiones saecularium »; uti habetur in Declaratione S. C. Ep. et Reg. 2 Mart. 1866, quam immerito adversarii pro sua sententia allegant (3).

346. Ex Bulla « *Superna* » (4) quaedam ad hanc Regularium approbationem eorumque facultates spectantia notasse iuvabit:

I. « Illos Religiosos, qui ad Confessiones audiendas *idonei generaliter* reperti fuerint, ab Episcopis generaliter quoque et indistincte absque ulla limitatione temporum certorumque locorum aut generis personarum in Dioecesi propria admittendos: quoad ceteros vero qui non adeo idonei reperiuntur, si petierint se admitti, arbitrio Ordinariorum relinqui, ipsos cum limitatata facultate prout eisdem Ordinariis magis expedire videbitur, probare et admittere ».

---

(1) Vid. Ball.-Palm. n. 548, ed. 3ª n. 329.

(2) Sensu *positivo* vera est propositio: *Sola facultas Ordinarii sufficit ad valorem* i. e. *haec sufficit,* etiamsi non accedat facultas Papae mediante Superiore; ast sensu *exclusivo* i. e. *nonnisi haec* facultas Ordinarii *sufficit,* quasi vèl alia non sufficiat vèl aliam Regulares non habeant, est falsa propositio.

(3) Cfr. Ball.-Palm. n. 549, ed. 3ª l. c.

(4) Clem. X; Iul. 1670.

Adverte: 1) quaedam anteriora S. C. C. Responsa ex quibus Ordinarius non poterat nisi vèl absolute admittere vèl repellere, hac Constitutione sunt revocata: post autem nihil huic Constitutioni contrarii hucusque esse statutum, vide apud Bouix (1). — 2) Praxis tamen Episcoporum iam a multo tempore contraria est.

II. « Semel autem *simpliciter approbatos posse* in Dioecesi Episcopi approbantis, quovis anni tempore, etiam Paschali, et quorumcumque, etiam infirmorum, *Confessiones audire absque ulla Parochorum vel ipsius Episcopi licentia* (2). De qua tamen Confessione teneri dictos Religiosos eorumdem infirmorum Parochum illicò certiorem reddere; et hoc posse illis ab Episcopo sub poena suspensionis a facultate audiendi Confessiones praecipi; sufficere tamen ut certioratio huiusmodi fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam ».

Praxis hodie, hic saltem, est ut significatio haec non fiat nisi specialia adiuncta eam suadere videantur.

III. « Regulares ... *praevio examine simpliciter et absque ulla temporis praefinitione ab ipsomet Episcopo* — secus autem si ab eius Vicario aut ab antecessoribus Episcopis — *approbatos non posse ab eodem* qui *sic* approbavit, *iterum examinari,* aut ab eisdem Confessionibus audiendis suspendi seu licentias illis concessas revocari, *nisi* nova superveniente causa quae ipsas Confessiones concernat. De qua autem haud necessarium esse, ut in actis constet, nec eam teneri Episcopum ipsis Regularibus significare sed Sedi Apostolicae dumtaxat, ubi eam sibi aperiri postulaverit.

IV. « Attamen Confessiones audiendi facultatem *omnibus simul* unius Conventus Regularibus Confessoribus adimi ab Episcopo, inconsulta Sede Apostolica, nullatenus posse ».

V. « Ex facultatibus.... Regularibus.... concessis factam iis *non* esse potestatem absolvendi *in casibus ab Episcopo reservatis* ».

VI. « *Et habentes* facultatem absolvendi ab omnibus casibus *Sedi Apostolicae* reservatis, *non ideo* a casibus *Episcopo* reservatis (3) posse absolvere ».

---

(1) *De Iure Reg.* T. II, P. V, S. III, Cap. III.

(2) Quod intellige: extra Ecclesiam Parocho vel Episcopo subiectam.

(3) Hoc satis communiter et probabilius secundum S. Lig. L. VII, n. 99 intelligunt de casibus *ab Episcopo sibi* reservatis; non de casibus papalibus Episcopo reservatis; cfr. n. 360, I.

ARTICULUS IV.

DE IURISDICTIONE IN ARTICULO MORTIS (1).

347. **Tridentinum**: « Pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt (2) ».

Rituale: « Si periculum mortis immineat, *approbatusque desit* Confessarius, quilibet Sacerdos potest a quibuscumque censuris et peccatis absolvere (3).

I. Disputatum multum est num Sacerdos non approbatus valide absolvat, *si adsit* vel commode haberi queat *approbatus, cui* periclitans *aeque bene* confiteri possit.

Multi affirmant ob verba absoluta et universalia Conc. Trid.

Sed *communius negant* 1° ob antiquam consuetudinem quam memorat Trid., 2° ob eiusdem verba « ne quis pereat »: 3° ob verba Ritualis « approbatusque desit ». Verum

II. Multum probabilitatis sententiae affirmanti accessit, ne dicam satis certa evasit ex Decreto S. Off, (4): « Non sunt inquietandi, qui tenent validam esse absolutionem in articulo mortis a Sacerdote non approbato, etiam quando facile advocari seu adesse potuisset Sacerdos approbatus ». Non enim est morale discrimen inter eum qui adest, et eum qui facile adesse posset. Ceterum quod *practicam* certitudinem attinet, cfr. n. sq. I, 2°.

Nota 1. Requirenda est conditio deficientis Sacerdotis approbati ut absolvere licite, vel ut ad absolvendum rogari possit Sacerdos *publice haereticus vel schismaticus aut excommunicatus vitandus,* utpote quibuscum communicatio, maxime in sacris, iure vèl naturali vèl ecclesiastico prohibita sit; ex quo per se sequitur nullitas absolutionis dandae.

---

(1) Sporer n. 723 sqq.
(2) Sess. XIV, Cap. VII: Denz. n. 782.
(3) Tit. III, Cap. I, n. 1.
(4) 29 Iul. 1891: Col. P. F. n. 2169.

2. *Aequiparantur articulus mortis eiusque periculum* quavis e causa ortum vel imminens, ut e partu difficili, chirurgica operatione, praelio instante. Conferantur verba citata Trid. et Rit.

ARTICULUS V.

DE IURISDICTIONE SUPPLETA ET DE USU IURISDICTIONIS INCERTAE (1).

348. I. **Supplet** Ecclesia iurisdictionem, absolute vel hypothetice pro circumstantiis:

1° Certo in casu erroris communis concurrentis cum titulo colorato iurisdictionis -- qui sc. vere adest sed laborat occulto vitio. Hoc nim. casu ob bonum commune Ecclesiam supplere seu acceptare sanctionem iuris Romani (2), AA. conveniunt.

2° Satis certo ex communi sententia, contra nonnullos dubitantes (3) in casu iurisdictionis probabilis, seu dubii positivi *et iuris*. Probatur ex consuetudine fere universali sic absolvendi de qua communiter AA. etiam dubitantes, testantur; hanc autem conferre iurisdictionem apud omnes constat. Probatur praeterea ex 1° (4).

II. Non certo, probabiliter tamen supplet Ecclesia:

1° Saltem in casu erroris communis sine titulo colorato. Urgere enim videtur eadem ratio boni communis; sed deficit tum certum argumentum — non enim invocari hic potest universalis consuetudo — tum consensus satis communis AA.

2° Num etiam in dubio positivo *facti* de iurisdictione? Pauci diserte affirmant (5); nec ita multi quidem diserte negant; attamen passim AA. sat clare in hac quaestione iurisdictionem probabilem intelligunt quae talis sit dubio iuris. Deest ergo utrumque supra allatum argumentum et valde dubia res manet.

---

(1) Sporer n. 713 sqq.
(2) L. Barbatius ff. de Offic. praet.
(3) l. q. Sporer.
(4) Lehmkuhl n. 388 cum La Crois et aliis.
(5) Bucceroni n. 771 dicit plures affirmare, sed citat solum d'Annibale.

III. Satis certo non supplet Ecclesia in casibus 1° *erroris paucorum*, et 2° *dubii negativi*. Est commune.

Nota. Error communis paucorumne dicendus sit ex eo pendet utrum multi an pauci — non talem Confessarium *adierint* — sed iurisdictionis defectum *noverint*, necne.

Itaque *pro praxi*

349. Conclude 1. *quoad licentiam absolvendi.*

I. In certo et noto defectu iurisdictionis certo non licet Ecclesiam cogere ut suppleat (1).

II. Cum iurisdictione probabili, dubio iuris (2), certo licet absolvere; quia valor Absolutionis in tuto est. Neque ad hoc opus est requirere, cum dubitantibus, causam specialem; cum dubium non sit fundatum.

III. Cum iurisdictione dubia *dubio negativo* absolvere

1° certo non licet *per se*, quia valor dubius manet;

2° at licet *ex gravi causa et* sub conditione absolvere: quando sc. Confessarius certus haberi commode non potest et in datis circumstantiis melius est dare Absolutionem dubiam quam nullam (3).

Quod idem videtur dicendum, et ob eamdem rationem, de casu dubii positivi et facti. — Casus et causa obvenire possunt si Sacerdos bona fide incepit Confessiones audire, interim autem dubium incidit, an tempus suae approbationis expiraverit; plerumque enim coeptam Confessionem abrumpere non poterit sine magno incommodo sibi vel poenitenti. Ceterum vide quae dicentur de Absolutione sub conditione.

2. *De obligatione repetendi confessionem.*

I. Haec practice non est a) in casu n. pr. II, 1° — *erroris communis* — quia positivum dubium de valore Absolutionis perseverabit, adeoque probabile manebit satisfactum esse; neque b) in casu n. pr. II, 2° — *dubii facti et positivi — quamdiu* perseverat dubium; ob eamdem rationem

---

(1) Cfr. n. pr. I, 1°; II, 1°; III, 1°.

(2) Huius hypothesis exempla iam plura occurrerunt hoc capite, alia occurrent in cap. de reservatione casuum.

(3) Cfr. n. 24 sqq.

II. Per se errore vel defectu detectis 1° adesse videtur in casu proxime memorato; ob supra dicta n. pr.; 2° certo adest in casibus n. pr. III — erroris paucorum et dubii negativi — quum nulla ratione solida obligationi satisfactum esse existimari possit.

Practice vero in casibus iurisdictionis dubiae *plerumque aliter* resolvi poterit ob concurrentem rationem erroris communis, *saltem* si ponatur poenitentem non esse a Confessario *ante Absolutionem* de dubio monitum.

ARTICULUS VI.

DE IURISDICTIONE IN REGULARES ETC.

I. *Ordinariam* iurisdictionem in Regulares exemptos habent 350.
ipsi cuiusque Ordinis, Provinciae et Monasterii Superiores. Quibus tamen « *non licet* Confessionem subditorum audire, *nisi* quando peccatum aliquod reservatum admiserint, aut ipsimet subditi sponte aut proprio motu id ab eis petierint (1) ».

II. Delegati eorumdem Regularium Confessarii approbationem et iurisdictionem accipiunt ab iisdem ipsorum Superioribus (2). Qui « Superiores in singulis domibus deputent duos, tres aut plures Confessarios pro subditorum numero maiori vel minori (1) ». — Delegari autem quoque *possunt* Sacerdotes alterius Ordinis vel saeculares, etiam non approbati ab Episcopo. Sed reapse Sacerdoti, qui non est sui Ordinis, Regulares confiteri prohibentur.

III. Solis Confessariis legitime deputatis Regulares sive *intra* sive *extra domum* (3) confiteri possunt. Sed

IV. In itinere constituti (4) si socium *idoneum* sui Ordinis habent, huic confiteri possunt. Neque opus est unum in alterum expressam iurisdictionem accepisse; nam dummodo socius idoneus sit, eam tacite accipit a Constitutione qua socius socio confiteri iubetur. Nim. per se *huic soli* confiteri possunt, nisi in-

(1) Decr. Ciem. VIII, 25 Maii 1594.
(2) « Generali vel Provinciali » ex *nostris* Constt. Gen. n. 312.
(3) Cfr. nota quae sequitur.
(4) « Extra Conventum morantes »: nostrae Constt. n. 314.

dulta Pontificia vel Ordinis Constitutiones ampliorem facultatem concesserint. Porro licentia Sacerdoti extero confitendi a Pio IX (1) Ordini Capuccinorum extensa est ad casum quo non haberent nisi unum socium approbatum sui Ordinis. Quo privilegio aliorum quoque Ordinum, saltem mendicantium, Religiosos uti posse ratione communicationis privilegiorum, dubium non videtur (2). Sed

V. « Controvertitur num Regularis socio idoneo destitutus confiteri possit Sacerdoti qui ab Ordinario non fuerit approbatus. »

Id multi hodie negant ob Responsa Romana quae contraria videntur. Nempe iam 18 Nov. 1769 S. C. C. responderat Episcopo Hildesheim. invalidas fuisse Confessiones a quibusdam Regularibus institutas apud simplices Sacerdotes: quamquam ex actis S. C. constat Regulares, de quibus in casu, habuisse copiam Confessarii ex Ordine suo, ideoque inefficax argumentum est (3). Sed clarius huic sententiae adhaesit S. C. Ep. et Reg. (4) dum respondit Regularem ex Ordine Eremitarum S. Augustini potuisse licite et valide, cum licentia sui Prioris, confiteri Sacerdoti extraneo *dummodo is sit ex approbatis ab Ordinario.*

Nihilominus censemus probabilem tutamque manere sententiam affirmantem, quam S. Alph. (5) communissimam et veriorem appellat, dummodo non obstent peculiares Ordinis Constitutiones (6) vel Superioris mandatum. Nam cum haec Responsa reapse *extensiva* sint legis Tridentinae, non videntur universaliter obligare sine formali promulgatione (7) ».

Quod tandem in Responso S. Poen. 14 Maii 1902 ad I^m dicitur: « ab extraneo confessario idoneo h. e. approbato »: observamus quaesitum non fuisse, num confessarius debeat esse approbatus, sed solum utrum « in hac domestici confessarii inopia », qualis nim. exposita erat, regularis absolvi posset a confessario extraneo;

(1) Breve 27 Sept. 1852.
(2) Cfr. nostras Const. Gen. n. 314.
(3) Ball.-Palm. n. 551, ed. 3ª n. 331.
(4) 3 Iun 1864: Coll. Bizz. p. 775 sqq.
(5) N. 575.
(6) Cfr. nostras n. 814.
(7) Génicot n. 387, II, 1°.

adeoque verba ista: « idoneo h. e. approbato » incidenter addita sunt; praeterea verba haec ne ita quidem restrictiva sunt ac verba: « dummodo etc. » Responsi S. C. Ep. et Reg. 3 Iun. 1864 supra allegati.

I. Extenditur iurisdictio in Regulares 1° ad novitios, 351.
2° ad familiares, et 3° *probabiliter* ad alumnos convictores. Inter quos tamen hoc intercedit discrimen quod *novitii*, ex communi sententia contra paucos, *solis* Confessariis Regularium, seclusâ licentia expressa vel tacita Superioris, *alii* vero *etiam* Confessariis saecularium confiteri possunt.

II. Familiares censentur qui Regularibus « actu serviunt, et intra eorum septa ac domos rêsident, subque eorum obedientia vivunt (1) »; seu « qui inibi sunt vere de familia et continui commensales (2) »; non vero ii qui habitationem extra monasterium habentes, in eo laborare tantum solent.

III. Ad 5m. Collegium ponitur esse domus vere regularis, nim. « ubi iuxta regularia vivitur instituta (2) »; non v. gr. Seminarium episcopale Regularibus commissum. Quo posito, alii nihilominus *negant* quia alumni non inserviunt Regularibus. *Affirmant* alii quia alumni convictores non minus arcte cum Regularibus coniunguntur quam famuli; et si verba Tridentini minus commode iis applicantur, plene implent conditiones quae solae, tamquam aequivalentes, a Clemente X ponuntur (3).

ARTICULUS VII.

DE CONFESSARIIS MONIALIUM UBI ETIAM DE CONFESSARIIS VIRORUM RELIGIOSORUM PROFESSIONE ET REGIMINE LAICORUM.

Moniales in stricto sensu iuris canonici eae solae sunt, quae vota solemnia nuncupant et clausuram strictam seu papalem servant. De hisce solis, ea quae sequuntur, *ius commune*

(1) Conc. Trid. Sess. XXIV. Cap. XI de Ref.
(2) Clem. X *Superna*.
(3) Cfr. Génicot n. 338.

praecipiendo statuit; de aliis adhortando tantum, saltem generatim (1).

352. **I. De Monialibus claustralibus.**

1. Omnis Confessarius Monialium, etiam exemptarum, eget speciali approbatione ab Episcopo loci. *Approbatio* requiritur ex Const. *Inscrutabili,* qua Decretum Trid. ad Confessarios Monialium extensum est; *specialem* approbationem requiri constat ex Const. *Superna,* qua declaratur: « Generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum saecularium Confessiones audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas Confessiones Monialium sibi subiectarum, sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione. Atque approbatum pro audiendis Confessionibus Monialium unius Monasterii minime posse audire Confessiones Monialium alterius Monasterii »; nisi sit universe pro omnibus Monialibus approbatus. Potest tamen unus deputari Confessarius ordinarius pro pluribus Monasteriis; S. C. EE. et RR. 1 Sept. 1905.

2. Confessarius ordinarius *unus tantum* sit pro unoquoque Monasterio; sitque aetatis saltem 40 *annorum.* Qui *ad triennium* tantum approbari potest; quo elapso ut confirmari possit, requiritur Indultum S. C. Ep. et Reg., quod pro altero triennio conceditur si consensum duarum ex tribus partibus Monialium, pro tertio vero triennio si omnium earum consensus accedat. Hoc tamen non ubique observatur.

3. Ex Decreto Trid. (1): « Praeter ordinarium Confesssorem alius extraordinarius ab Episcopo et aliis Superioribus *bis aut ter* in anno offeratur, qui omnium Confessiones audire debeat; i. e. *huic omnes* Moniales *se sistere debent,* ei confiteri tamen non tenentur. Nihil autem obstat quominus saepius offeratur.

---

(1) Vid. Constt. Greg. XV, 5 Febr. 1622. *Inscrutabili;* Clem. X *Superna;* Innoc. XIII. *In Supremo;* Bened. XIII *Pastoralis Officii;* Bened. XIV *Pastoralis Curae;* Decret. Trid. *de Reg. et Mon.,* et Leonis XIII *Quemadmodum* Atque Respp. S. C. Ep. et Reg. 4 Mart. 1591, 2 Maii 1617, 7 Iunii 1620, 2 Oct. 1626, 27 Mart. 1647, 18 Mart. 1649, 25 Iul. 1655, Ian. 1749, 27 Aug. 1852, 17 Aug. 1891, 1 Febr. 1892; S. C. C. 26 Nov. 1689, 4 Sept. 1787, 14 Mart. 1856; aliaque recentiora quae in textu citabuntur.

(2) Sess. XXV, Cap. X de Reg. et Mon.

4. Utriusque Confessarii delegatio pertinet ad Episcopum loci, si Moniales vèl exemptae non sunt vèl immediate subiectae S. Sedi. — Si Ordini Regulari subiectae sunt, ad huius Praelatos pertinet; et praescribitur ut Confessarius extraordinarius semel saltem sit vèl saecularis, vèl alterius Ordinis; quod si Praelatus Regularis negligat, Episcopus talem delegare potest; qui pariter defectum supplere potest et debet, si Praelatus Regularis extraordinarium Confessarium delegare omittat; quod si etiam Episcopus negligat, Moniales ad Maiorem Poenitentiarium recurrere possunt.

Quo autem tempore Confessarius extraordinarius suo munere fungitur, ordinarius nullius, neque Abbatissae, vel alterius feminae in Monasterio degentis Confessionem audiat, neque in Monasterio versetur. Pariter extraordinarius expleto suo munere nequit amplius ad Monasterium accedere, sine necessaria venia si sit Regularis, secus si sit saecularis.

5. Praeterea concedendus est Confessarius peculiaris(1) singulis quoque Monialibus, quando, extra tempus, talem rationabiliter petunt; de quo plura n. sq. sub 3.

6. Moniales, quae cum debita licentia iter agunt, vel ad tempus extra Monasterium versantur, cuilibet Sacerdoti approbato ab Episcopo loci confiteri possunt; cfr. n. sq. sub 4.

II. De Monialibus non claustralibus (votorum simplicium). 353.

1. Si Episcopo subiectae sunt, num vel in quantum dicta de claustralibus iis applicentur, totum ex Episcopi voluntate pendet. Saepius autem S. Sedes Episcopos adhortata est, ut eadem — ea praecipue quae *de uno* Confessario *ordinario* designando *et de extraordinario* offerendo vel *de peculiari* concedendo statuta sunt — ad omnes Moniales, imo ad quaslibet feminarum Communitates extendant; atque in approbandis Regulis Congregationum piarum feminarum eadem ut serventur praescribere solet. — Quoad eas autem Moniales quae, etsi vota solemnia iam non habeant, ad rigorosam tamen clausuram adhuc obligantur, hac

(1) Quem hoc nomine distinguimus ab eo qui vulgo extraordinarius audit.

ipsa ratione eadem ac antea videtur Episcoporum obligatio delegandi illis Confessarium extraordinarium (1).

2. In unaquaque itaque Dioecesi Confessarii attendant 1° num vel quid *Statuta de speciali approbatione* cum respectu ad Moniales non claustrales contineant (2); 2° quis sit *tenor litterarum approbationis,* num a facultatibus concessis exceptae necne sint hae Moniales.

3. De peculiari Confessario concedendo Decretum « *Quemadmodum* (3) » haec habet sub IV: « Sanctitas sua Praesules Superioresque admonet ne extraordinarium subditis denegent Confessarium quoties, ut propriae conscientiae consulant, ad id subditi adigantur, quin iidem Superiores ullo modo petitionis rationem inquirant aut aegre id ferre demonstrent. Ac ne evanida tam provida dispositio fiat, Ordinarios exhortatur ut in locis propriae Dioeceseos in quibus mulierum Communitates existunt, idoneos Sacerdotes facultatibus instructos designent, ad quos pro Sacramento Poenitentiae recurrere eae facile queant ». De quibus, quoad pleraque cum Génicot (4)

Nota 1°. *Superior,* de quo hic, non est ille cuius est concedere Confessarium ordinarium, sed *qui domui praeest,* sive vir sive femina (5).

2°. Hic Superior *tenetur ad indulgendum* subdito petenti *Confessarium extraordinarium,* quamvis plane videat necessitatem

(1) Gury n. 568, ed. Palm. n. 380.

(2) Statuta Dioec. nostrae Provinciae ecclesiasticae haec habent Cap. XXVI: Confessiones « coeterarum, etiam Sororum cuiusvis Ordinis vel Congregationis de licentia tantum Ordinarii erectae (*Harlem., Bred.:* inchoatae) illicitae saltem erunt », si fiant Confessario non specialiter pro Monialibus approbato (a). Et *de Confessario peculiari* si quem in casu particulari Monialis quaedam petit, *extra Bred.:* « Pro Sororibus *sufficit* et requiritur ut pro ea Dioecesis parte Presbyter ille sit *simpliciter approbatus* ad Confessiones excipiendas » (a): — *in D. Bred.* requiritur ut « qui petitur Confessarius *pro Monialibus in genere* sit approbatus.

(a) Idem, saltem quoad sensum, habetur in Statutis Dioec. Leodiensis n. 90, 1° et 4°; cfr. n. 151.

(3) De quo n. 139; quodque generatim ad quosvis religiosos professione et regimine laicos utriusque sexus, vota sive simplicia sive solemnia habentes, spectat.

(4) N. 341.

(5) S. C. Ep. et Reg. 17 Aug 4891, ad 1^m.

esse fictam, et vèl scrupulis vèl alio mentis defectu ut veram ab ipso petente apprehensam (1). Neque ex motivis, uti aiunt, extrinsecis Superior licite denegare Confessarium petitum potest: sed si adsint rationes vere graves eas subiiciat Ordinario, cuius iudicio standum erit (2).

3° *Obligatio ista* Superioris ex genere suo *gravis est;* etenim ex natura rei satis patet notabile detrimentum subdito e denegatione, importuna inquisitione vel exhibita molestia oriri posse. Eademque ratione dicendum practice hic vix umquam leve peccatum ex parvitate materiae admitti posse.

4° E Sacerdotibus ab Ordinario ad hoc designatis unum *eligere* non pertinet ad Superiorem sed ad subditum petentem (3).

5°. *Nequeunt Moniales* hoc favore uti *constanter,* ita ut iam ordinarium Confesssarium non adeant. Si quando abusus huiusmodi praesertim in maiorem Communitatis partem irreperet, Ordinarius deberet monere Moniales illas, facultatem Decreto 17 Dec. 1890 concessam constituere tantum exceptionem legi communi pro casibus dumtaxat verae et absolutae necessitatis, firmo remanente quod a S. Conc. Trid. et Const. *Pastoralis* Bened. XIV praescriptum est. Confessarii vero, si quando cognoscunt non esse probabilem causam ad ipsos recurrendi, tenentur in conscientia ad declinandam Confessionem Sororum a quibus ita postulantur (4).

4. Illae Congregationum Sorores quae in Ecclesiis parochialibus confiteri solent, ibi cuilibet ex approbatis ab Ordinario confiteri possunt: ita fert consuetudo et consonant Responsa Romana (5). Neque huiusmodi Confessarii inquirere tenentur, num Sorores, Monialesve, (cfr. n. pr. sub 6) ad ipsos accedentes licite et rationabiliter agant, necne; saltem « nisi prudens suspicio suboriatur quod poenitens illicite apud ipsum confitetur ». S. Poen. 7 Febr. 1901.

Observa 1): dicta de restrictione exceptionis ad solos casus necessitatis non nimis stricte accipienda sunt, sed ita ut sufficiat rationabilis, iusta, seu probabilis causa, ut alibi et in hoc ipso Responso paulo infe-

(1) Ib. ad 2m.
(2) S. C. Ep. et Reg. 5 Aug. 1904.
(3) S. C. Ep. et Reg. 17 Aug. 1891, ad 3m.
(4) S. C. Ep. et Reg. 4 Febr. 1892.
(5) S. C. Ep. et Reg. 22 Apr. 1872; S. C. P. F. 20 Febr. 1877: Coll. n. 437.

rius habetur. — 2) Bened. XIV in Const. cit. tres huiusmodi casus determinavit, quorum 1 et 3 spectant ad moniales aegrotantes, 2 vero est casus insuperabilis reluctantiae adversus Confessarium. — At *quid* si hic 2 casus non esset transiens vel pro una aliave vice, sed *constans?* Cuiusmodi casum hinc prorsus existimo practice occurrere posse; illinc vero mens Ecclesiae certo non est, ut monialis quae in hoc casu versetur, cogatur singulis vicibus vel frequenter diversos Confessarios petere. Ideo *respondeo* 1°; Indulto Apostolico, per Episcopum obtinendo, concedi posset tali moniali Confessarius perticularis: quale Indultum ex pluribus S. C. Decretis ad hoc vere requiritnr. Sed 2°: propositis dubiis ab Episcopo Mazariensi I: « An antiqua consuetudo varios Confessarios extraordinarios particulares [qui quarumdum monialium confessionem habitualiter audiunt] et generales deputandi toleranda sit in casu? » et III: « Num tolerari possit, quod Confessarius ordinarius, post elapsum triennium, deputetur uti Confessarius habitualis seu extraordinarius particularis quarumdam monialium, quae aliorum Confessariorum ministerium recusant? » S. C. Ep. et Reg. 7 Dec. 1906 respondit ad I: » Negative, quoad particulares, exceptis casibus determinatis in Const. *Pastoralis curae* Bened. XIV. ». Et ad III « Negative, exceptis casibus de quibus in primo dubio ». Sed dubia proposita erant de Confessario particulari simul et *habituali* ergo etiam exceptiones a S. C. admissae de tali Confessario accipienda videntur. Quare, saltem supposita simili consuetudine vigente, hanc tolerari dicendum videtur; in quantum nim. resolutio casus particularis ad similes casus extendi potest.

CAPUT SECUNDUM.

DE CASUUM RESERVATIONE.

ARTICULUS I.

DE IPSA RESERVATIONE EIUSQUE CONDITIONIBUS (1).

354. I. **Reservatio** est negatio iurisdictionis in aliquod peccatum — vel censuram — salvâ facultate absolvendi alia. Ita fere passim definitur. Attamen secundum mentem AA. rectius, puto, definiretur: casùs — peccati vel censurae — a communi iurisdictione exceptio, eiusque avocatio ad ipsius Superioris vel aliorum ab eo designatorum iudicium. Non enim certi cuiuspiam Sacerdotis facultatis restrictio dicitur reservatio; sed haec per modum regulae, lege vel statuto, fieri ponitur. Ita neque quod nullus Sacerdos suum

(1) Sporer n. 727.

complicem absolvere potest, hic dicitur casus reservatus, quia a communi aliorum iurisdictione illud peccatum non excipitur.

II. Finis reservationis duplex esse potest: 1° ut fideles *coërceantur a committendis* gravioribus peccatis — reservatio *poenalis:* 2° ut *adhibeantur remedia* aptiora, quibus efficacius tum sequelis peccatorum *commissorum* bono praesertim communi nocivis occurratur, tum relapsus praecaveatur — reservatio *medicinalis.*

Ex ipsa reservationis natura plura sequuntur, praecipue: 355.

I. Reservare possunt per se omnes et soli Superiores qui nim. habent iurisdictionem ordinariam quam aliis delegent (1).

II. Reservari possunt solum peccata 1° subditorum reservantis, quae 2° non altiori Superiori reservata sunt. — Quare nullus Praelatus inferior reservare potest casus a Rom. Pont. iam reservatos. Quin S. C. Ep. et Reg. (2) prohibuit Ordinarios ne superflue sibi reservent casus Sedi Apost. reservatos. Si itaque Episcopi tales casus reservant, ut fit, reservatio haec intelligi debet facta sub conditione: si reservatio papalis locum non habet.

Nota 1. Ad I. Praelati Ordinum Regularium ex Decreto Clem. VIII (3) sine consensu Capituli vèl Generalis pro toto Ordine, vèl Provincialis pro Provincia, non possunt sibi reservare ullum casum praeter undecim ibidem designatos vel eorum aliquot prout subditorum utilitati expedire iudicaverint; neque aliis peccatis adnectere excommunicationem reservatam, ut declaravit S. C. Ep. et Reg. (4).

2. Ad II. Reservationi *episcopali* non subiacent Regulares exempti eorumque novitii. Nec eorumdem familiares, si tamen confiteantur Sacerdoti delegato a Praelato Ordinis. — Quodsi novitius in casum ab Episcopo reservatum inciderat ante suum ingressum, ab eo absolvi potest a Confessario Ordinis ob privilegium Ordini concessum.

---

(1) Cfr. n. 334; 338, I; 345, II, nota.
(2) 26 Nov. 1602.
(3) 26 Maii 1593. Vid. nostras Const. Gen. n. 316.
(4) 7 Iul. 1717.

Idem dicendum de vagis.

Idem Ballerini (1) cum nonnullis docet de eo qui peccatum reservatum in sua Dioecesi committit extra territorium, *vel* qui in aliena commitit Dioecesi peccatum ibi reservatum. Idque absolute probabile dicit Génicot (2). Equidem probabile solum habeo quando vel in quantum reservatio ponitur poenalis (3); in qua hypothesi etiam Regularium familiares eam plerumque non contrahent.

III. Reservatio immediate afficit Confessarium, non poenitentem. Quod tamen non impedit quominus reservatio statuatur in odium peccati seu in poenam, vel pendeat e circumstantiis quae ad poenitentem spectant.

356. I. **Conditiones** reservationis, quoad peccata reservanda, *ex iure communi* non scripto seu ex consuetudine Ecclesiae requisitae, sunt ut peccatum sit 1° mortale, 2° externum, 3° completum, secundum verba legis, 4° certum; praeterea secundum nonnullos, sed contra communem, certo tamen in pluribus Dioecesibus *ex iure particulari* 5° *a pubere commissum*. Cfr. n. 369, I.

II. Ad 1^m^ et 2^m^. Sensus est requiri ut peccatum sit obiective et subiective seu formaliter, interne et externe mortale.

III. Ad 3^m^. 1° Actus imperfecti non censentur reservati nisi diserte exprimantur. 2° Si cooperantes et generatim complices lege reservante comprehenduntur, videndum utrum lex eorum actiones aeque principaliter spectet, an *accessorie solum* ad actionem principalem; si posterius, non si prius, ad reservationem requiritur tum ut *actio principalis sit secuta*, tum ut cooperans vel complex satis *certo in illam influxerint* (4).

IV. Ad 4^m^. Non censetur adesse reservatio in dubio sive de *actu* peccati commisso, sive de *gravi culpa* subiectiva, sive de *lege reservante*.

357. 1° Quaeritur num ignorantia reservationis ex parte poenitentis a reservatione excuset?

---

(1) N. 737, 739, ed. 3ª n. 486, 488.
(2) N. 345, VII.
(3) Cfr. n. 357.
(4) Vid. Canonistas in Tr. de Censuris.

Resp. I. Pendet e voluntate Superioris reservantis, de qua, *si aliunde non constet,* iudicandum *ex fine* statutae reservationis cognito vel praesumpto. Quare distingui imprimis possunt casus reservati ratione sui seu peccati et ratione censurae.

II. Quoad posteriores, quales sunt casus Rom. Pont. reservati fere omnes, sublata *censura* ob ignorantiam, cessat etiam reservatio *peccati.* Idemque resolvendum de casibus cum censura iure communi Episcopo reservatis. — Sed ignorantia *solius reservationis* censurae a reservatione *non excusat,* cum accessorium sequatur principale: ita contra paucissimos communiter AA. docent vel ponunt.

De casibus cum censura *ab Episcopo* reservatis communiter, saltem recentiores, aliter docent. *Probabiliter* tamen plures et graves AA. de istis casibus episcopalibus *idem* docent quod de papalibus, cum haec distinctio nullum habeat fundamentum in iure.

III. De peccatis ratione sui reservatis iterum *distinguendum* videtur. Si certo vel probabiliter reservatio *in poenam* (cfr. n. 354, II), principaliter saltem, statuta est, reservatio certo, saltem practice (1), non existit. Id autem constat de unico casu *papali* sine censura reservato, sc. *de falsa accusatione sollicitationis,* de qua dicitur: « ut tam detestabile facinus metu magnitudinis poenae coerceatur » etc. (2).

Quoad *casus episcopales* plures afferuntur AA. qui negant, saltem ut probabile, contrahi reservationem ab ignorantibus. Verum hi ponere videntur reservationem poenalem; idque nonnulli diserte exprimunt. Sed in plerisque Dioecesibus potius praesumendum videtur reservationem esse *medicinalem:* 1° quia Theologi ita multo communius docent; 2° quia Episcopi leges suas de reservatione soli Clero, non populo, promulgare solent; ideoque *per se* ignorantiâ non tolli.

(1) Cfr. n. 348, I, 2°.

(2) Bened. XIV Const. *Sacramentum Poenitentiae;* Cfr. Schol. de Sollic. — *Nota.* Non pauci alterum afferunt casum Rom. Pont. ratione sui reservatum: *recipientis munera a Regularibus* utriusvis sexus *illicite data.* Sed valde improprie hic casus dicitur reservatus, quia tum solum poenitens absolvi non potest quando restituere potest et nondum restituit.

Practice tamen, nisi de contraria Ordinarii mente certo constet, tuto resolvi opinor cum Sporer et aliis, *prima vice* poenitentem absolvi posse, *dummodo* de reservatione moneatur. Id enim cum fini intento non multum obesse queat, satis conforme videri potest benignae menti Ordinarii.

2° De metu gravi: nonnulli docent eum pariter excusare a reservatione; quod *non improbabile* videtur. Ratio est, quia peccatum in lege reservationis expositum intelligitur commissum ut communiter committi solet, non vero ex metu gravi; quo casu neque ita urget necessitas ut ad remedium reservationis recurratur (1).

ARTICULUS II.

DE ABSOLUTIONE CASUUM RESERVATORUM (2).

358. **In articulo mortis** Sacerdos *quilibet* ab *omnibus* casibus quantumvis reservatis sine ulla exceptione *directe* absolvere potest. Vide n. 347.

Solum quando agitur de casibus Rom. Pont. speciatim reservatis et absolvens alias non habebat hanc facultatem, statutum est ut « firma sit quoad absolutos obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint (3) ». Quam obligationem S. Off. declaravit: « importare onus sive per se sive per Confessarium recurrendi ad S. Pontificem eiusque mandatis obediendi, *vel* novam absolutionem petendi ab habente facultatem absolvendi a censuris S. Pont. speciali modo reservatis ». — Haec vero obligatio *non* est pro casibus *simpliciter* reservatis (4).

Extra hunc casum articuli mortis distinguendum inter casus Rom. Pont. et aliis reservatos.

359. Potestas absolvendi a casibus Rom. Pont. reservatis.

---

(1) Cfr. Berardi n. 205, VI.
(2) Sporer n. 738 sqq.
(3) Const. Pii IX *Apost. Sedis*.
(4) S. Inq. 17 Iunii 1891: Coll. P. F. n. 2171.

I. Episcopi *ex concessione Tridentini* (1), in quantum haec est a Pio IX confirmata, absolvere possunt in foro conscientiae sibi subditos in Dioecesi sua, per seipsos aut Vicarium ad id specialiter deputandum, a quibuscumque casibus occultis etiam Sedi Apostolicae, *non tamen speciali modo reservatis.*

Praeterea *a S. Sede* solent Episcopi habere facultates temporaneas absolvendi per se vel per alios a casibus Rom. Pont. etiam speciali modo reservatis, sive occultis sive notoriis.

Quare *practice fere semper* casu occurrente ab Episcopo necessaria facultas obtineri potest.

Nota. Quod Episcopi in dioecesanos, idem *olim* Praelati Regularium poterant in sibi subditos: sed hoc privilegium *revocatum est* (2) *excepto casu percussionis* clericorum etc. — Item prorsus *sublatum privilegium Regularium* absolvendi a casibus *Rom. Pont. reservatis* (3).

II. In casibus vere urgentioribus — in quibus vèl Absolutio differri nequit absque periculo gravis scandali vel infamiae, vèl poenitenti durum valde est in gravi peccato permanere per tempus necessarium ad obtinendam facultatem — quilibet Confessarii absolvere possunt, idque directe, a censuris *etiam speciali modo Rom. Pont. reservatis,* sub poena tamen reincidentiae in easdem censuras, *sive speciatim sive simpliciter reservatas* (4), nisi poenitens saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii — si quidem ad hunc iterum redire possit; secus vel si alia intercedat rationabilis causa per alium Confessarium vel per seipsum — recurrat ad S. Sedem (5).

Nota 1. Ex Respp. Romanis citt.: tuto iam doceri non posse « ad Episcopum aut ad quemlibet Sacerdotem approbatum devolvi absolutionem casuum et censurarum etiam speciali modo Papae reservatorum, quando poenitens versatur in impossibilitate persona-

(1) Cap. *Liceat* VI, Sess. XXIV de Ref.

(2) Const. Pii IX *Apostolicae Sedis,* accedente Resp. S. Poen. 5 Dec. 1873.

(3) Cfr. n. sq. 1.

(4) Nota differentiam inter absolutionem in articulo mortis et extra illum datam.

(5) S. Inq. 23-30 Iun. 1866; 17 Iun. 1891; 19 Aug. 1891; 30 Mart. 1892; 16 Iun. 1897; S. Poen. 28 Maii 1888; 7 Nov. 1888.

liter adeundi S. Sedem », Et « Decretum 23 Iun. 1886 omnino obligare praximque contrariam tolerandam non esse ».

2. Nota cum Génicot (1): « non esse ab ista facultate excipiendos casus Bullae *Sacramentum Poenitentiae* (2); hi solent quidem propter severissimam reservationem a Theologis dici *specialissime reservati,* sed talis denominatio in ipso Iure non reperitur. — Attamen si quis, in casu urgentiori, absolutionem daret Sacerdoti qui complicem absolvisset, eidem imponere deberet ut iam statim a Confessione complicis accipienda abstineret, vel si id absque scandalo facere non posset, aliis saltem remediis severioribus periculum novi lapsus praecaveret (3).

3. « Obligatio recurrendi Romam, saltem per epistolam, viget *etiam pro casu* — falsae accusationis — qui *absque censura* specialiter Rom Pont. reservatus est, ut declaravit S. Poen. 7 Nov. 1888.

4. Neque excusat generale periculum ne epistolae a Statûs civilis administris aperiantur, cum in precibus nomina et cognomina sint supprimenda (4). Aliter tamen dicendum foret si, in casu quodam speciali, recursus iste fieri non posset « citra omne prorsus non improbabile evulgationis periculum (5) ».

Quod confirmatur Decreto S. Off.: « Quando neque Confessarius (6) neque poenitens epistolam ad S. Poenitentiariam mittere possunt, et durum sit poenitenti adire alium Confessarium, in hoc casu liceat Confessario poenitentem absolvere etiam a casibus S. Sedi reservatis absque onere mittendi epistolam; facto verbo cum SS^mo (7). — Attamen *ad Quaesitum:* utrum *casus Sacerdotis* poenitentis, etiamsi agatur de absolutione complicis, inter eos an-

(1) N. 574, nota.

(2) Sc. casus absolutionis complici illicite datae et falsae accusationis. Aliud est de ipsa absolutione complici Sacerdotis danda, qui non est casus reservatus.

(3) Pennacchi *Commentaria* in Const. *Ap. Sedis* Tom. II, pag. 615.

(4) S. Poen. ib.

(5) D'Annibale I, n. 349, nota 40.

(6) Ex Resp. 5-7 Sept. 1900 sufficit « quod poenitens scribendi impar eidem Confessario, a quo vi Decreti 1886 et 1887 absolutus fuerit, se praesentare nequeat, et ipsi durum sit alium Confessarium adire; licet Confessarius absolvens pro poenitente epistolam ad S. Sedem mittere posset ».

(7) 9-12 Nov. 1898.

numerari debeat praevisos in Decreto 9 Nov. 1898, et Confessarius niti possit praelaudato Decreto ad absolutionem impertiendam sine recursu ad S. Poenitentiariam, necne? *S. Off. respondit:* « *Non comprehendi* (1) ». Ratio responsi videtur quod ipse sacerdos poenitens credi debet posse per se scribere. Sacerdos itaque poenitens scribat vèl per se et causâ allatà petat Rescriptum *in forma gratiosa,* quod non requirit executorem, vèl per Confessarium qui, si poenitens ad ipsum redire non possit, petat Rescriptum aut in forma gratiosa, aut quod saltem *extra Confessionem* executioni dari queat (2).

5. Observa demum, quoad casus papales non iam, uti in veteri iure distingui inter perpetuo et ad tempus solummodo impeditos.

De casibus **Episcopo vel ab Episcopo reservatis.** 360.

I. A casibus iure communi *Ordinario reservatis* Praelati Regularium sibi subditos *in utroque foro,* et Confessarii Regulares quoslibet poenitentes, ab ipsorum iurisdictione non exceptos *in foro conscientiae* absolvere possunt; cum hoc privilegium neque Const. cit. Pii IX neque postea revocatum sit. Neque ista facultas Confessariorum Regularium tollitur, quando Episcopus casum iure communi ipsi reservatum lege particulari sibi reservat: tum quia dubitant Theologi utrum licita sit reservatio eiusmodi (3), tum quia facultas a Rom. Pont. concessa nequit restringi ab Episcopo. Attendi tamen debebit reservatio ab Episcopo facta, quando censura papalis non est contracta. Praeterea

II. Confessarius Regularis potest « in Dioecesi in qua est approbatus *confluentes ex* alia *Dioecesi* a peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa ubi idem Confessarius est approbatus, absolvere, *nisi* eosdem poenitentes noverit in fraudem reservationis ad aliam Dioecesim pro absolutione migrasse (4).

---

(1) 7-8 Iun. 1899.

(2) Cfr. Nouv. Rev. Théol. anni 1899 pag. 667 sq.

(3) Ita Sporer addens: prudentia tamen suadet ne Confessarius Regularis potestate illa utatur sine causa gravi, praesertim ubi facultas absolvendi facile ab Ordinario obtineri potest. Cfr. n. 355. — Consentit Génicot, nota ante n. 607; dissentit Noldin n. 190, 2. b, β.

(4) Const. *Superna.*

III. In casu impedimenti adeundi Episcopum vèl *perpetui* (ad quinque saltem annos) vèl *diuturni* (ad sex menses)

Observa 1°: cum dicta n. pr. II directe solum spectent ad casus Rom. Pont. reservatos, *ius pristinum quoad casus,* proprie vel improprie, *episcopales immutatum mansit;* atque adeo sicut ante ita etiamnum probabile est ab hisce casibus in hypothesi quemlibet Confessarium directe absolvere posse, iniuncto tamen onere se sistendi Episcopo eiusve delegato saltem *si* peccato annexa erat censura, *èt* impedimentum diuturnum solum, non perpetuum est (1).

Observa 2°: qui impeditur ne adeat Episcopum, *non tenetur*

1) adire Confessarium qui specialem habet facultatem absolvendi a reservatis; cum ius solum exigat ut se sistat Superiori. Neque

2) per epistolam sive per se sive per Confessarium recurrere ad Episcopum; quia in pristino iure communi hoc medium non exprimitur tamquam necessarium (2).

Neque difficultas movenda est ex hoc, quod in iure solum agitur de reservatis cum censura; nam statutum de his communiter AA. applicant etiam casibus reservatis sine censura (3).

Nota. Quamdiu loci Ordinarius ius particulare suae Dioeceseos non mutavit secundum recens ius commune de casibus Rom. Pont. reservatis, tamdiu ea quae praecedunt, cum saltem probabiliter doceantur, *in praxi* certo et tuto inservire casu occurrente *quandoque* poterunt, cum sat multi sint qui saltem diuturno impedimento adeundi Episcopum detineantur. Verum quia *saepius* non

---

(1) Sporer, ed. Salisb. 1722, n. 750 (qui num. in Ed. Bierbaum est omissus, aliudque pro ibi tradito substitutum); Gury n. 575, ed. Palm. 387 et Ball. ad h. l.; Bucceroni n. 800 circa finem; D'Annibale I, n. 349; Palmieri ad Ball. n. 665, nota 8°, ed. 3ª n. 438, nota 7°.

(2) Sporer n. cit. 750 ex communi.

(3) Cfr. Suarez Disp. XXX, S. III, n. 11, ubi « sine dubio — ait — perinde iudicandum est... nec videtur rationi consentaneum ut propter excommunicationem adiunctam facilior sit absolutio, quam sine illa ». Et De Lugo Disp. XX, n. 223, qui « addo — inquit — in eius peccati absolutione, quod non habet excommunicationem, non fore iniungendum poenitenti onus comparendi et adeundi Pontificem, quia illud onus in iure non imponitur, nisi quando absolvitur a censura, et quia imponitur sub poena reincidendi in eamdem censuram, quod in absolutione a peccato fieri non potest ».

tam verum impedimentum diuturnum quam potius timor incommodi vel verecundia ab adeundo Episcopo absterrere solent, ideo in praxi plerumque expediet ut vèl poenitens adeat habentem facultatem in reservata, vèl per litteras haec facultas ab Episcopo petatur. Ceterum applicetur id quod sequitur.

De poenitente copiam *non* habente Confessarii privilegiati. 361.

I. Quando adest impedimentum *breve* (cfr. dicta n. pr.) adeundi Episcopum, Confessarius *non privilegiatus* non potest ullo modo (saltem licite) absolvere habentem reservata, nisi accedat necessitas confitendi et Absolutionem sacramentalem recipiendi; *haec* autem necessitas supponit poenitentem non habere copiam Confessarii privilegiati.

II. Urgente hac necessitate quilibet Confessarius potest poenitentem absolvere directe a non reservatis, sed *ex communi sententia* solum indirecte a reservatis Episcopo, secundum tradita de causis excusantibus ab integritate materiali Confessionis.

Verum nonnulli tum antiquiorum tum recentiorum docuerunt et docent etiam in hoc casu Absolutionem directe dari a reservatis Episcopo, iniuncto vel non iniuncto onere de quo n. pr. III pro circumstantiis; secundum regulam traditam a Roncaglia (1): « quae dicta sunt de reservatis S. Pontifici, ex paritate rationis extendi possunt ad reservata Episcopalia ». Sed in iure distinctio impedimenti temporanei (seu non perpetui) in aliud diuturnum aliud breve non occurrit. Distinctio haec est Theologorum solummodo; neque tamen fit sine ratione; est enim practica differentia inter casus impedimenti diuturni et brevis, nim. in posteriori hypothesi, secus ac in priori, requiri specialem poenitentis necessitatem, ut sub I diximus (2).

III. Quaestio. Num habens peccatum Episcopo reservatum in necessitate communicandi vel celebrandi tenetur confiteri Confessario simplici, alio deficiente?

---

(1) Tr. 4, Q. 1, cap. 6, qu. 5.

(2) Inter recentiores cfr. Palmieri ad Ballerini n. 665; ed. 3ª n. 438; Bucceroni n. 800; Génicot n. 347. « Nec mihi displicet » dico cum Sporer.

Resp. 1° *In communi sententia,* de qua sub II, 1). Si sola reservata habeat, *per se* non tenetur, quia haec in hypothesi non sunt materia Absolutionis, neque idcirco Confessionis. *Per accidens* tenetur confiteri veniale vel mortale iam remissum, saltem generice, *si* non satis confidere possit se habere contritionem perfectam.

2). Si etiam mortalia non reservata habeat, tenetur ex communi sententia contra paucos; quia hinc Confessario non deest iurisdictio in ipsum poenitentem, illinc vero praeceptum Confessionem in casu praemittendi Communioni praevalet praecepto integre confitendi. — *Sed non* tenetur in hac Confessione aperire *reservata,* tum quia secus bis eadem confiteri deberet, tum maxime quia de his Confessarius non est iudex competens (1).

Resp. 2°. *In alia opinione* in utraque hypothesi confiteri, idque integre, tenetur; quia deficit ratio non vel non integre confitendi; sed, uti observat Génicot, nihil cogit ut hanc sententiam sequamur.

362. De peregrinis (2). I. Ex eo quod ponunt peregrinos hodie absolvi *potestate a S. Pont.* delegata, adeoque prorsus ut loci incolas, *recentiores* communius deducunt: 1° a peccato reservato in loco Confessionis Confessarium *simplicem* eos absolvere non posse; — 2° contra absolvere posse a peccato reservato in Dioecesi poenitentis tantum, *modo ne in fraudem* reservationis poenitens aliam Dioecesim petierit.

II. E contraria vero doctrina, nim. peregrinos *auctoritate suorum Ordinariorum* absolvi, *antiquiores* et cum illis *plures recentiores* resolvunt in 1° casu Confessarium simplicem absolvere posse; — in 2° casu antiquiores *negant,* recentiores *nonnulli affirmant* ratione consuetudinis hodie communis quam tacite Ordinarii approbant, *excepto* pariter casu fraudis.

---

(1) Excipit S. Lig. poenitentem qui sit recidivus in reservata, vel in occasione proxima recidendi; is teneretur etiam reservata aperire ut Confessarius de eius dispositione recte posset iudicare. Attamen haec parum convincunt. Nam status recidivi vel occasionarii per se non obstat dispositioni; monita autem aut interrogationes ad hanc consuetudinem vel occasionem peccatorum reservatorum pertinentia spectant ad eum qui de his peccatis iudicare potest. Génicot n. c. in fine; Ball-Palm. n. 671, ed. 3ª n. 444.

(2) Cfr. n. 341.

III. Pro praxi collatis quae dicta sunt de usu iurisdictionis probabilis (1) conclude: posse peregrinum absolvi *nisi vèl* in utraque Dioecesi reservatum sit peccatum, *vèl* adsit fraus.

IV. In fraudem reservationis agere *tum solum* probabilius poenitens dici debet, quando alienam petit Dioecesim ob principalem finem obtinendi Absolutionem vitandique iudicium sui ipsius Pastoris; *non vero* si eo pergat v. gr. ut confiteatur cum minori incommodo, aut citius Confessionem expediat, vel ut Confessarium incognitum aut prudentiorem inveniat, etc. (2).

De Confessione *habenti facultatem* facta, quae tamen dubium 363.
de sublata reservatione relinquere potest.

I. Si rite confitens inculpabiliter oblitus est peccati reservati, ex communi sententia reservatio sublata censeri potest secundum intentionem absolventis expressam vel praesumptam: « in quantum possum et tu indiges ». Sufficit itaque postea peccatum illud confiteri Confessario simplici. — Sunt tamen qui exigant ut vèl intentionem illam Confessarius expresse seu actualiter habuerit; vèl privilegium concessum sit in favorem ipsius poenitentis, uti tempore Iubilaei.

II. In confessione invalida, *etiam sacrilega,* si reservatum aperuit poenitens, ex communi sententia pariter sublata reservatio est, quia finis reservationis iam est obtentus (3).

III. In confessione *inculpabiliter* invalida *etsi reservatum omissum* est, adhuc reservatio sublata censeri potest, ob rationem sub I datam. — Quinimo De Lugo idem absolute resolvit de *omni* confessione sine animadversione seu conscientia sacrilegii facta: « dum tamen — ait — *non* fuerit *defectus integritatis* culpabilis »; non vero obstat « si defectus valoris proveniat ex defectu *doloris vel propositi* (4) ». Quamquam utrumque

(1) N. 348, I; 349, II.

(2) S. Lig. n. 589. — Casum fraudis pro quovis Confessario excipiendum esse, dicitur declaratum a S. C. 19 Nov. 1616. Vide Ball. n. 711 in fine, ed. 3ª n. 469, et cfr. supra n. 360, II.

(3) Ab hac communi sententia recedunt Statuta Dioec. Ruraem. Cap. XIII, pag. 46 sq. ubi: « tollitur reservatio excepto casu quo indisponsitio provenit ex voluntaria reticentia *alicuius* peccati mortalis. »

(4) Disp. XX, S. VII, n. 106; quem sequi videtur Sporer; quamquam minus clare sensum A. I. refert.

hunc casum recentiores plerique a sublata reservatione expresse vel tacite excludunt.

IV. Solum itaque satis certo non cessavit reservatio 1° si ipsum peccatum reservatum sacrilege tacitum est(1); — 2° si in confessione scienter et sacrilege facta peccatum reservatum omissum est etiam sine culpa: — 3° tempore Iubilaei, si poenitens, sive reservatum confessus est sive non, vèl cum conscientia sacrilegii confessus est, vèl aliter sine animo iniuncta ob Iubilaei consecutionem opera adimplendi (2), *idque* Confessario alias non habenti facultatem.

Nota. Si non habenti facultatem quis peccatum reservatum confitetur, valide, positis ponendis, absolvitur modo aliam simul materiam clavibus subiiciat, sed *ex iure communi* neque peccatum directe remissum neque reservatio sublata est, ita ut remaneat obligatio illud confitendi habenti facultatem. — *Iure particulari* vero in pluribus Dioecesibus aliter quoad utrumque vel alterutrum statuitur.

364. Facultas data absolvendi a reservatis I num extendi potest ad peccata post petitam licentiam commissa?

Resp. Distinguendum est: 1° si facultas petita et *concessa* est *pro peccatis expositis* vel toties commissis, *negandum;* 2° si vero potestas, quovis modo petita, concessa est *indefinite* absolvendi *hac vice* vel *una vice,* communissime *affirmant, dummodo,* ut limitant, ne interponatur magnum temporis spatium inter concessionem licentiae et commissionem novarum culparum, *maxime* si facultas data est occasione alicuius festivitatis vel necessitatis occurrentis. — Quando vero nova peccata reservata non committuntur, De Lugo (3) censet facultatem durare vel per plures annos. — Pariter si facultas sonat « *absolvendi a reservatis* » hac vice, valet etiamsi reservata alterius speciei post petitam licentiam commissa fuerint.

II. Quid si facultas iniuste negatur?

---

(1) Pro Dioec. Ruraem. cfr. supra notatum.
(2) Const. Bened. XIV *Inter praeteritos* 28 Nov. 1749, § 62 et 86.
(3) Disp. XX S. VIII, n. 127.

Resp. Generatim et per se Confessarius absolvere non potest. Excipe Confessarium Regularium pro conventu destinatum, qui facultatem concedendam esse iudicaverit: hic *illa vice,* qua nim. petiit facultatem, eâ etiam non obtentâ, nihilominus *absolvere potest* (1). Quod neque sic est intelligendum ut eidem Confessario hoc una tantum vice liceat; neque ita ut facultate una vice petita saepius uti liceat, sed *toties quoties petiit iudicans concedendam eam esse;* nam ipsi Confessario, non Superiori, hoc iudicandum imprimis relinquitur.

Nota 1. Idem est de Confessario Monialium, ut quae comprehensae censeantur sub generali concessione facta Regularibus; idque sive earum Superior est Regularis sive loci Episcopus.

2. Sunt qui hoc extendant ad casum quo petens facultatem non est Confessarius deputatus, modo sit vir prudens et pius. Sed extensio haec tuta non videtur, cum concessio clare solis Confessariis deputatis sit facta.

III. Facultas delegata absolvendi a casibus reservatis *non intelligitur* de casibus speciatim reservatis, nisi diserte exprimatur. Ita saltem quoad casus Rom. Pont. reservatos, ex Const. Pii IX; atque ut plurimum etiam quoad casus episcopales.

ARTICULUS III.

DE CASUUM RESERVATIONE IN PROVINCIA ECCLES. ULTRAIECTINA.

§ I. — *Casus reservati.*

In Archid. Ultrai. et Dioec. Buscod. sunt decem: 365.

I. Haeresis (a).

II. Apostasia a Fide Catholica, a Religione vet ab Ordine (a).

III. Homicidium directe voluntarium (a).

Quae crimina reservantur, cum excommunicatio seu reservatio papalis contracta non fuerit.

---

(1) Const. *Sanctissimus* Urbani VIII 21 Sept. 1624, qua confirmavit Decretum Clem. VIII, 26 Maii 1593, cum additis a Congr. Cardinalium.

(a) In D. Leodiensi, in qua pariter sunt decem casus reservati, eodem modo peccata haec [signata (a)] reservantur.

IV. Sodomia perfecta (1) *a masculis* (1) commissa (b).

V. Bestialitas *a maribus* similiter patrata (b).

VI. Incestus *a masculis* patratus cum persona *consanguinea* in omni gradu lineae rectae et in primo et secundo lineae transversae (b).

VII. Iniuriosa *legitimorum parentum,* patris nempe vel matris, percussio (b).

VIII. Solemne periurium vel falsum testimonium in iudicio datum coram iudice sive ecclesiastico sive laico vel eius delegato (a).

IX. Adulterium concubinarium, sive adulterantes in eadem sive in diversa domo habitent. (a)

X. Procuratio abortus directe intenta foetus sive animati sive inanimati, et quaecumque *positiva* ad abortum *cooperatio, effectu secuto* (c); etiamsi excommunicatio non sit contracta.

Speciatim reservata sunt *haeresis* et *abortus* (d).

366. **In Dioec. Ruraemundensi** sunt quatuor:

I. Apostasia a Fide, a Religione vel ab Ordine.

II. Homicidium directe voluntarium.

III. Haeresis formalis coniuncta cum transitu publico ad sectam haereticam vel schismaticam; quando non est reservata S. Pontifici.

IV. Procuratio abortus directe voluntaria, aut *positiva* ad abortum *cooperatio, effectu secuto;* sive foetus animatus est, sive non, sive poenitens est *ipsa mater* sive alia persona.

---

(1) Ergo etiam: *inter masculos* solum.

(b) In D. Leod : Sodomia consummata *cum eodem sexu,* et bestialitas etiam consummata. — Incestus cum persona consanguinea *aut affine* in primo et secundo gradu; uti et *copula sacrilega* cum muliere religiosa, quae in monasterio votum *perpetuae* castitatis emisit. — Iniectio manuum *in parentes* iniuriosa, violenta, deliberata cum gravi percussione patris, matris, *avi aut aviae.* — *Machinatio in mortem coniugis,* cum maritus vel uxor cum dolo et astutia externe aliquid facit vel ab alio fieri curat, quod natum sit mortem comparti adferre, etiamsi de facto mors non sequatur. [Signum (a) refert ad notam pag. praec.].

(c) In D. Leod. additur: si animatus est foetus incurritur casus homicidii; cfr. nota sq.

(d) In D. Leod.: *apostasia* et *homicidium* sunt speciatim reservata.

Aliquo modo speciatim reservatur *haeresis* (1).

In Dioec. Harlemensi sunt tres: 367.

I. Apostasia a Fide Catholica, a Religione vel ab Ordine.

II. Incestus *a masculis* patratus cum persona *consanguinea* in omni gradu lineae rectae et in primo lineae transversae.

III. Iniuriosa *legitimorum parentum,* patris nempe vel matris percussio.

Inter ipsos casus *episcopales* non est speciatim reservatus. Sed a facultate Episcopo delegata et ab eo subdelegata absolvendi a casibus *papalibus* excipitur *duellum* nisi *speciatim* exprimatur.

In Dioec. Bredana reservantur quinque: 368.

I. Haeresis.

II. Apostasia a Fide Catholica, Religione vel Ordine.

III. Procuratio abortus directe intenta foetus sive animati sive inanimati, et quaecumque *positiva* ad abortum *cooperatio, effectu secuto.*

Haec solum reservantur, cum censura contracta non fuerit.

IV. Incestus *a masculo* (2) patratus cum persona *consanguinea* in omni gradu lineae rectae, necnon in primo gradu aequali aut primo cum secundo mixto (3) lineae collateralis.

V. Iniuriosa percussio legitimi *Patris* vel *Matris.* Intelligitur autem percussio *absolute* gravis, ita ut mortaliter mala esset etiam respectu alterius cuiuscumque hominis.

Inter casus episcopales, ut tales, non est speciatim reservatus.

---

(1) Hoc nim. sensu quod *diserte excipitur* a facultate quae *ipso iure* tribuitur Canonicis, Decanis et Professoribus Maioris Seminarii; atque etiam, quando opportunum videbitur, litteris iurisdictionis aliis Confessariis concessum iri dicitur; non autem quod excepta censeri debet a generali facultate in reservata, si cui forte detur, nisi speciatim exprimatur: hoc saltem non dicitur.

(2) Adeoque Confessarius non indiget speciali facultate ut *feminam* ab incestu absolvat, ut expresse declaratum est. Decr. Conv. Prosyn. 1869; pag. 264, III.

(3) Nec refert *uter* complex, masculus an femina, sit in secundo gradu; ita ut reservationi subiaceant tum avunculus aut patruus *(oom)* cum nepte *(nicht),* tum nepos *(neef)* cum matertera aut amita *(tante)* incestum patrantes. Conv. Prosyn. 1894, pag. 635 sq. IV. Cfr. nota praecedens.

§ II. *Reservationis limitationes.*

369. Reservatio episcopalis intelligitur sub his limitationibus:

I. Peccatum debet esse 1° interne simul et externe mortale, — 2° in sua specie consummatum, — 3° undequaque certum, — 4° certoque nondum confessum (a) *(Bred.* expresse additur; *et per Absolutionem directe remissum)* et — 5° a pubere commissum (1).

II. Confessariis facultas est absolvendi a casibus Episcopo (2), etiam speciatim. reservatis (*Busc.:* tum a casibus papalibus etiam speciatim reservatis) (*Harlem.:* etiam a duello), quoties Confessionem excipiunt vèl in ordine ad Matrimonium (a) (*Ruraem:* licet Confessio illud aliquibus diebus antecedat), vèl — *extra Bred.* — ad susceptionem S. Viatici, Extremae Unctionis et Communionis infirmorum (a) *(Ruraem.* (a) expresse additur: etiam devotionis causa); insuper quoties aegrotus (3) confitetur, quamvis S. Communione reficiendus non sit. — *Bred.:* item dum excipiunt Confessionem personae quavis de causa domi retentae sive susceptio SS. Eucharistiae vel extremae Unctionis sequatur, sive non — *Ruraem.:* item dum Confessiones excipiunt eorum qui *in carcere* detinentur.

III. *Extra D. Ruraem.* — Eadem est facultas Confessariis quoties, Confessionem audiunt in locis, in quibus celebratur sacrum Missionis exercitium (4) *(Harlem.* et *Bred.:* aut *Tri-*

(1) Quamquam in horum nonnullis variarum DD. Statuta verbis differunt, sensus tamen idem videtur. — Cfr. n. 356, I.

(2) Ergo etiam a casibus *papalibus* Episcopo reservatis.

(3) Sensus videtur: quoties quis domi, infirmitate vel simili causa detentus, confitetur. *Hurl.* hoc declaratum est ut sequitur: quoties quis, infirmitatis causa, domi vel extra consuetum Confessionis locum confitetur, sive susceptio S. Eucharistiae vel Extremae Unctionis sequatur sive non. Conv. prosyn. 1878, pag. 3, I. — *Busc.* nomine aegrotorum intelliguntur etiam mente aegri, vulgo *krankzinnigen;* Communic. pro anno 1891.

(a) Idem est in D. Leod.; cfr. nota 1. Sed dicta sub. II sqq. statuta *videntur* de casibus *proprie episcopalibus* tantum, non de papalibus.

(4) *Busc.* Ordinarius in Communicandis pro anno 1879 declaravit vocem Missionis latiori sensu intelligi posse pro quocumque sacro secessu aut spirituali exercitio etiam illo quod in gratiam certae classis personarum identidem instituitur.

dui) vel oratio XL Horarum (1) vel Iubilaeum; atque etiam cum in ecclesia ubi celebratur festum Patroni loci aut ecclesiae, ipso solemnitatis die vel pridie, vel infra octavam eius Festi, Poenitentiae Sacramentum ministrant; — *Harl.* adde: occasione Diei Adorationis et in ordine ad susceptionem Sacramenti Confirmationis, vel occasione huius solemnitatis (2).

IV. *Ultraj., Busc., Ruraem.* Ubi deest copia habentis facultatem pro reservatis, quilibet Confessarius valide absolvit a casibus reservatis (3) *(Ultraj. Busc.:* etiam a suspensione (a) S. Pontifici non reservata; — *Ruraem.:* atque a censura Episcopo reservata) (3) Sacerdotem qui debet celebrare ne populus careat Missa die obligationis, vel si Missae celebrationem omittere non possit sine notabili damno famae, sinistris suspicionibus aut gravi obloquio; item *Ruraem:* quoties occurrit aliquod Sacramentum ministrandum — *Ultraj., Busc.,* si teneatur administrare aliquod Sacramentum *necessitatis* (a). — Attamen pro suspensione, quae reviviscit, statim ac fieri poterit, ad habentem facultalem recurrendum est (a).

Bred. Cuilibet Confessario facultas est absolvendi ab omnibus casibus Episcopo reservatis, etiam a suspensione S. Pontifici non reservata, quotiescumque *poenitens* est in necessitate communicandi, vel celebrationem Missae aut Sacramenti administrationem omittere non possit sine notabili damno famae, sinistris suspicionibus, gravi obloquio, aut si teneatur celebrare ne populus die obligationis Missa careat.

V. *Ultraj., Busc., Ruraem.* Valet (b) absolutio a reservatis, si ea poenitens bona fide confessus est non habenti facultatem, *Ruraem:* et ab illo ex ignorantia vel inadvertentia sacramentalem perceperit Absolutionem.

---

(1) *Busc.:* etiam pridie. Communic. anni 1885.

(2) Conv. Prosyn. 1878 et 1879.

(3) Sensus idem videtur. Sc.: de omnibus casibus etiam papalibus Episcopo reservatis, *(Busc.* tum S. Pontifici etiam speciatim reservatis) praeterea a suspensione etc.

(a) Vide pag. praec.

(b) Leod. expresse dicitur: *valeat et liceat.*

VI. *Ruraem.* Si poenitens bona fide omiserit confiteri reservata, valet Absolutio; ac sufficiet postea confiteri peccatum omissum Confessario communi sive habenti facultatem absolvendi á reservatis confessus fuerit sive non habenti (1).

VII. *Bred.* Si poenitens confessus peccatum reservatum Confessario habenti facultatem a reservatis absolvendi, bona fide erravit circa numerum, et postea sciat se saepius idem illud peccatum perpetrasse, *quantum ad illum excessum* non amplius censeatur reservatum.

VIII. *Ruraem.* Si poenitens ex hac Dioesesi in aliam tendit, etiam *eo fine* ut ibi absolvatur a casu hic reservato, valet Absolutio.

IX. *Ruraem.* Ubi conceditur specialis facultas absolvendi *ab abortu,* eo ipso simul conceditur facultas absolvendi a censura iure pontificio huic crimini adnexa.

Bred. Quicumque Confessarius, qui obtinet facultatem absolvendi a reservatis (2), nulla addita restrictione, potest absolvere ab omnibus casibus propria Episcopi auctoritate reservatis, etiam ab haeresi publica et abortu; *nisi* incursa sit censura, quo casu speciali facultate opus est (3).

CAPUT TERTIUM.

DE MINISTRI DOTIBUS ET OFFICIIS.

370. I. « In primis meminerit Confessarius, se iudicis pariter et medici personam sustinere; ac divinae iustitiae simul et misericordiae ministrum a Deo constitutum esse, ut tamquam arbiter

(1) *Ultraj.* et *Busc.:* sed detecta deinde exponi debent Confessario habenti facultatem ab iis absolvendi. In communi sententia de qua n. 363 hoc restringendum est ad hypothesin Confessionis factae Confessario non habenti facultatem in reservata. — *Leod.* Conformiter sententiae communi: sed in hoc *posteriori* casu tenebitur etc.

(2) Intellige: extra casus in Statutis expressos.

(3) *Nota* pro D. *Busc.:* 1° *Parochi,* aliique quibus Parochorum instar generalis facultas delegatur, absolvere possunt a casibus tum episcopalibus *in Statutis,* tum papalibus *in Const.* « *Ap. Sedis* » roservatis, utrisque *etiam speciatim; non* vero a casibus *alias* sive S. Pontifici sive Episcopo *specialiter* reservatis, *neque* a casibus Const. *Sacramentum Poenitentiae.* — 2° *Pro reliquis* vero Sacerdotibus *praeterea excipiuntur* casus in Const. « *Ap. Sedis* » *speciali modo* reservati et casus *proprie episcopales.* Commic. pro anno 1879.

inter Deum et homines, honori divino et animarum saluti consulat (1) ». — Passim Theologi in Confessarii ministerio distinguunt praeterea officia doctoris et patris.

II. Meminerit itaque Confessarius, quantopere ministerii sui tum excellentia tum scopus exigant vitae sanctitatem, conscientiae puritatem, solidam virtutem tum generatim, tum vero speciatim castitatem, fortitudinem, humilitatem, charitatem Dei et proximi; ita ut neque vano sui amore sua, non quae Christi sunt, quaerat; neque sive difficultatibus sive periculis ministerio suo, quantumvis sancto, annexis ab officio suo umquam vel minimum discedat.

III. Praecipue autem AA. monent

1° *Periculorum,* quibus Confessarii castitas exponitur, et nisi firma solidaque sit, maximaque prudentia protegatur, facile nimis succumbet.

2° Monent illius maxime difficultatis quae in eo sita est, ut Confessarius omnibus poenitentibus *sine acceptione personarum* eas, quibus teneantur, obligationes, gravissimas quandoque simul et difficillimas, pro veritate declaret, firmiter exigendo ut debito suo satisfaciant, ab illicitis abstineant.

3° Monent *humilitatis* necessariae. Sacerdos superbus, suamque gloriam quaerens, de audiendis confessionibus fortasse ne cogitabit quidem. Si autem huic ministerio se applicet, desiderabit ut nobiles et divites ad se divertant, et fortasse cum rudibus et pauperibus immorari dedignabitur. Id solum studebit ut multi ad se concurrant, ut omnibus placeat, omnia concessurus ut nemo se derelinquat. Insuper existimabit se studio et consilio non indigere; decisiones praecipitabit; errores multos committet, et in erroribus suis firmus manebit. Contingere potest etiam ut miseros peccatores non in spiritu lenitatis, considerans se ipsum, sed nimis acriter redarguat et obiurget (2).

4° Erga poenitentes opus est *paterna charitate,* quae patiens, benigna est, omnia suffert, omnia sustinet. Meminerit Confessarius se ministrum Christi esse, Qui suos vicarios et post Se mundi

(1) Rit. Rom. Tit. III. Cap. I. n. 2.
(2) Berardi Edit. 1ª n. 1171, I.

salvatores vocans ait: « faciam vos fieri piscatores hominum (1) »; mittens vero. « sicut misit Me Pater, et Ego mitto vos (2) »; Qui, etsi « Pater omne iudicium dedit Filio (3) », nihilominus testatur: « non misit Deus Filium suum, ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per Ipsum (4) ». « Non veni vocare iustos sed peccatores (5) ». — Sit ergo et Confessarius minister infinitae Dei misericordiae magis quam divinae iustitiae: atque adeo indutus viscera misericordiae Christi Iesu, mitis et humilis corde.

Haec de virtutibus. Praeterea munera Confessarii omnia postulant scientiam; de qua speciatim nobis agendum est.

ARTICULUS I.

DE SCIENTIA CONFESSARII (6).

371. I. Necessitas scientiae. Ut licite, extra casum necessitatis, Confessarii munus Sacerdoti committi, vel ab eo suscipi possit, requiri ut is scientiam Theologiae, praesertim Moralis, habeat, hoc per se patet.

II. Quanta scientia necessaria. Generatim requiritur et sufficit scientia mediocris, haec autem relative maior vel minor pro diversitate locorum et poenitentum. Nim. requiritur et sufficit, ut Confessarius casus communiter occurrentes in loco, ubi est constitutus, solvere possit; de difficilioribus sciat dubitare prudenter, i. e. dubio, non merae ignorantiae, sed ex aliqua saltem notitia orto. Huiusmodi casus et dubium si occurrat, Confessarius absolvere tamen poterit poenitentem, modo hic velit vel redire postquam Confessarius libros vel doctiores consuluerit, vel ipse a doctiore consilium petere. — Insuper praesertim neo-confessariis utilissimum erit, quotiescumque confessionem paulo difficiliorem audiverint, postea sedulo perpendere utrum recte egerint an forte

(1) Matth. IV, 19.
(2) Ioes. XX, 21.
(3) Ioes. V, 22.
(4) Ioes. III, 17.
(5) Matth. IX, 13.
(6) Sporer n. 782 sqq.

erraverint, vel quid addere debuerint interrogando, consulendo etc. Quoties vero dubia quaedam obrepunt, libros vel peritiores consulant (1).

372. Ex ignorantia culpabili errans Confessarius in re gravi, ut praecipue absolvens quem absolvere non potest, dupliciter peccat mortaliter, ait Sporer, nim.: actuali sacrilegio et ignorantiâ. Sed potius et rectius cum De Lugo (2) dicas, ab hoc Confessario in Confessione aperiendum esse se ex ignorantia indebite absolvisse. Itàque, ut explicat Ballerini (3): « se reum fatetur confuse etiam aliorum peccatorum, in quae ob illam ignorantiam prolabi potuit. Ceterum quo se porrigat huiusmodi reatus, difficile est explicare; dependet enim ab secutorum incommodorum praevisione; quam iste habuit, vèl dum instrui debebat, vel dum conscius ignosantiae suae ad Sacramentum administrandum accedebat (4) ».

373. I. Confessarius ignarus tum ipse tum Superior eum instituens excusatur ob gravem necessitatem occurrentem vel perdurantem. Non enim ob defectum scientiae Sacramentum erit invalidum (5). Necessitas autem adest non tantum in articulo mortis, sed quoties poenitentes aliter diu deberent carere Confessione, ut evenit in captivis (6). Hinc excusari possunt Praelati qui minus idoneos Confessarios exponunt, ubi satis aptos habere nequeunt, puta in locis exiguis et remotis quorum curam nullus homo doctus velit suscipere (7); in Dioecesibus quae cleri penuria laborant; in Missionibus ubi adhibenda est opera presbyterorum indigenarum minus peritorum, etc. (8).

II. Excusare etiam potest, si poenitens doctus rationabiliter volens confiteri nec alium sufficienter scientem commode habere potens, suppleret ignorantiam Confessarii.

---

(1) Génicot n. 356, II in fine.

(2) Disp. XVI, n. 185.

(3) N. 869, ed. 3ª n. 572.

(4) Cfr. Vol. I. de volunt. in causa et de ignorantia; atque supra n. 270, 6. de consuetudine.

(5) Cfr. n. 371, et 388.

(6) S. Lig. n. 628.

(7) De Lugo Disp. XXI, n. 74.

(8) Génicot n. 355.

374. Dubius de sufficientia suae scientiae generatim potest et debet acquiescere iudicio Episcopi vel Praelati sui, qui eum satis nosse putatur.

Haec de scientia Confessarii habituali. Quae quomodo in singulis casibus sit applicanda, dicetur artt. seqq. praecipue ubi de officio iudicis.

ARTICULUS II.

DE SECUNDARIO IUDICIS OFFICIO: INTERROGANDI (1).

375. Praenotamus de officiis Confessarii generatim.

1° Quamvis solum essentiale sit munus iudicis, atque adeo ex eo solo obligationes Confessario ut tali et per se existant; attamen ut minister Sacramenti Confessarius debet illius non tantum valoris et integritatis, sed eorum etiam generatim quae ad rectam, licitam et fructuosam Sacramenti administrationem et susceptionem pertinent, curam gerere; defectusque poenitentis vèl ipse supplere vèl certe curare ut a poenitente suppleantur. Haec *ex virtute religionis* pro virili saltem parte. — 2° Praeterea *communis lex charitatis* saepius Confessario misericordiae opus spirituale erga poenitentem exercendum dictat. Id quod magis ad officia accessoria spectat. — 3° Accedere potest *specialis iustitiae obligatio* Parochi.

Hinc satis frequenter verae eaeque graves obligationes, esto per accidens solum, existunt. Quare ne Confessarii obligationes ultra modum numero vel gravitate exaggerentur, ea quae sequuntur secundum praedicta intelligantur.

376. **Ipsum officium interrogandi.** I. Regula pro Confessario tamquam iudice. « Si poenitens numerum et species et circumstantias peccatorum explicatu necessarias non expresserit, eum Sacerdos prudenter interroget (2) ». Secus ab interrogando abstineat.

II. Interrogare per se tenetur Confessarius quoties advertit vel probabiliter iudicat èt poenitentem deesse integritati confessionis, èt defectum commode corrigi vel suppleri posse — saepius enim for-

---

(1) Sporer n. 789 sqq. Non dicimus de interrogandi officio Confessarii tamquam medici et ducis spiritualis poenitentum, praesertim piorum; utpote quod officium non tam necessitate quam utilitate et profectu uniuscuiusque poenitentis regatur; atque adeo speciales regulae de eo statui non possint. — Ceterum in his artt. de officiis Confessarii ordinem servamus *practicum* potius quam logicum: quare postremo loco de cognitione causae et sententia ferenda (art. V), deque Absolutione huiusque forma (art. VI) dicturi sumus.

(2) Rit. Rom. Tit. III, Cap. I, n. 15.

malis integritas, non solum ratione bonae fidei sed absolute aeque sufficit ac ipsa materialis integritas (1) — sive poenitens deest ex defectu memoriae sive examinis, sive culpabili sive inculpabili defectu. *Ratio,* quia ad rationem iudicii per se spectat ut *causa integre cognoscatur* antequam sententia feratur.

Est commune, contra paucos negantes in hypothesi integritatis formalis seu defectus inculpabilis, nisi grave poenitentis damnum sit vitandum.

III. Defectus autem plenae accusationis provenit praesertim ex ingenii ruditate saltem quoad morales et religiosas obligationes; ex defectu examinis confessioni praevii; tandem e malo rubore quo poenitens peccata graviora vel quae, pro conditione sua, ut magis probrosa habet, confiteri non audeat. Quare regulariter aliquibus interrogationibus complendae erunt confessiones eorum qui semel tantum vel bis in anno accedunt, puerorum et aliorum qui, propter specialem rationem, uni e praedictis defectibus obnoxii censeantur (2).

IV. *Distinguendum in praxi* est inter ea quae poenitens confitetur sed *non integre,* — et ea quae *non confitetur.*

1) *Quoad posteriora,* nisi advertatur defectus examinis vel memoriae, non est vera obligatio interrogandi. Secus enim obligatio de re nimis indeterminata scrupulisque quam maxime obnoxia Confessariis imponeretur (3).

2) *Quoad priora* interrogationes necessariae esse possunt (4):

1° Si Confessarius sensum verborum poenitentis non intelligat. — Variae in variis locis ad hoc vel illud peccatum indicandum expressiones adhibentur; unde oportet ut Sacerdotes iuniores a provectioribus instructionem petant; maxime vero si quis ad alia loca, ubi diversum idioma adhibetur, se contulerit.

2° Si poenitens in ambiguo relinquat an de mortali agatur.

3° Si non cognoscatur an adsit materia sufficiens (5).

---

(1) Cfr. n. 282.
(2) Génicot n. 361, II.
(3) Berardi Edit. 4ª n. 295.
(4) Praeter casum in ipsa Regula clare expressum.
(5) Berardi n. 298, sq. I.

V. Obligatio hacc Confessarii gravis est ex genere suo, minor tamen quam poenitentis obligatio integre confitendi. Ratio: agitur de re gravi, sed quae primario spectat ad poenitentem, idque ratione culpae admissae; ad Confessarium autem solum secundario spectat, in defectu poenitentis.

Probabiliter docetur, ex pluribus quae faciendae sunt unam alteramve interrogationem necessariam de numero, specie etc. omittere per se, seu ratione solius defectus integritatis, esse veniale tantum ex parvitate materiae; cfr. n. 389.

VI. Praeterea Confessarius ut iudex non raro interrogare debet de dispositione, dolore et proposito poenitentis.

377. **Modus interrogandi.** Sacerdos « caveat ne curiosis, aut inutilibus interrogationibus quemquam detineat, praesertim iuniores utriusque sexus, vel alios, de eo quod ignorant, imprudenter interrogans, ne scandalum patiantur, indeque peccare discant (1) ». Examen itaque seu modus interrogandi sit moralis et humanus, prudens valde et cautus.

I. Moralis et humanus, seu valde moderatus. Interroget Confessarius, tamquam iudex, 1° summum de solis necessariis ad integritatem; id autem 2° pro scientia et captu maiori vel minori, non suo, sed poenitentis (2); 3° non de omnibus sed tantum de gravioribus, iisque solis quae habita ratione qualitatis, conditionis, status vel occupationum aliarumque circumstantiarum frequentius a tali homine committi solent, adeoque ab hoc poenitente commissa esse suspicari licet. Ratio: non solum attendi debet ad exactam confessionis integritatem, sed etiam ne Sacramentum ex hoc capite reddatur nimis grave vel odiosum poenitenti. Praeterea

378. *Adverte* 1°: errare eos Confessarios rudium, qui volunt certum iudicium facere de peccati gravitate, exquirendo a rudibus num pro mortali an veniali habeant vel habuerint: hi enim multoties respondent ut casus sibi verba suggerit. Item de numero et specie: post duas vel tres interrogationes non debet angi Confessarius, si iudicium quod facit videatur nimis confusum; nam ex conscientiis implicatis et confusis moraliter non potest maior sperari claritas (3).

---

(1) Rit. Rom. ib. n. 16.

(2) Cfr. et applicetur dictum n. 282, I.

(3) S. Lig. *Prax.* n. 20. — Cfr. infra n. 389, 2 et 3.

2° Si poenitens videatur satis instructus et diligens in confitendo peccata cum suis circumstantiis pro statu et captu suo, Confessarius non tenetur de aliis interrogare.

3° Rudiores qui putantur non satis examinati, ne dimittantur ut melius se examinent: vix enim paratiores umquam redibunt. Imo conscientiae examinandae difficultate territi non amplius accedent. — Qui vero instructi sunt, per se loquendo benigne dimitti possunt, ut accuratius se examinent; imo debent si de prolixa et longiore, puta generali confessione agatur; quia quis repente rogatus difficile omnium recordabitur. Practice autem vix umquam sunt dimittendi, ob periculum ne non redeant. Quare nisi de reditu moraliter certus sis, ne dimittas elabi praedam. — Sed in hac hypothesi longioris et generalis confessionis

Quid in raro casu quo hinc angustiae temporis vel concursus hominum non patiatur tantam moram; illinc vero aliqua poenitenti necessitas est communicandi, vel similis causa urget ut absolvatur? — *Resp.* Auditis peccatis ab ultima confessione commissis, vel quantum commode audiri possunt, cum aliqua notitia confusa totius status poenitentis, eum de omnibus peccatis vere dolentem, tamquam iam formaliter integre confessum absolvas, alio opportuno tempore plenius confessurum et denuo absolvendum: quae est communis Doctorum praxis (1). — Quin et abstrahendo a tempore aliisve circumstantiis urgentibus, si de huiusmodi poenitente agatur, Confessarius semper magis sollicitus sit de vero poenitentis dolore et proposito, quo posito omnia salva sunt, quam de integritate confessionis exacta procuranda. Et quamvis moraliter certum sit plura vel dictum vel omissum iri quam oporteat, prae oculis tamen semper habenda est regula haec (2): Confessarius spectata poenitentis conditione faciat id quod iudicat ei fore magis salutare. Atque experimur plerumque, quando poenitentes sunt in bona fide ac voluntate, eis magis salutare esse sic examinari donarique Absolutionis beneficio, quam dimitti ad se accuratius examinandos. Tunde, Confessari, tunde ferrum dum candet (3).

II. Prudens valde et cantus sit modus interrogandi. **379.**

1° Examen *ne sit intempestivum.* Ut plurimum sinatur poenitens prius seipsum explicare quantum potest, ne importunitate terreatur. Expedit enim plerumque ut poenitentem memoriter confitentem Confessarius non interpellet interrogando numerum etc.; sed potius exspectet finem confessionis, nisi timeat, ne quid necessario interrogandum obliviscatur (4). Interdum tamen expediet nu-

---

(1) Immerito ad hanc resolutionem, quam eamdem tradit Busembaum, S. Lig. n. 607 annotat: « sed haec opinio videtur expresse damnata ab Inn. XI prop. 59 ». Propositio ista damnata generalior est, et complectitur, imo spectare videtur, casum quo quis *noscens peccata sua* dimidiate solum confessus absolvitur *sola ratione* magni concursus poenitentium; cfr. n. 286 et Ball. n. 811 sqq. ed. 3ª n. 531.

(2) Quam tradit Lessius *Auctarium* V° Confessarius, casu 7.

(3) Haec Sporer, ubi de necessaria repetitione confessionum n. 514 sqq.

(4) Tunc tamen poterit etiam memoriam iuvare: praxis multum frequentata est ut peccatis mortalibus in confessione explicari solitis certi digiti designentur,

merum vel circumstantiam, praesertim in materia turpi, statim breviter interrogare, ne poenitens peccata, quae prae verecundia vix semel expressit, debeat denuo repetere.

2° *Ne sit indiscretum.* Ne interrogentur ea quae, vel eo modo qui poenitenti non conveniant; neve ea ex quibus poenitens forte peccare discat; neve de verecundis inverecunde.

3° *Ne sit curiosum.* Ne interrogetur de non necessariis vel a re alienis, unde Sacerdotis existimatio, Sacramenti dignitas, poenitentis salus vel profectus minuatur (1).

4° *Ne sit asperum*, sed potius alliciens ad candide respondendum. V. gr. ne quaeratur: num damnandam habuisti blasphemandi consuetudinem? num turpissima luxuriae peccata commisisti? Sed potius: num ex ira subinde blasphemasti, forte etiam graviter? — Ad eumdem finem expedire interdum poterit, ut Confessarius potius supponendo quam dubitando interroget, non quaerendo v. gr. num, sed: quoties tale quid fecisti, forte quinquies? decies etc. (2)? — In eumdem modum suggerentem aliquando expedire potest ut interrogentur pueri, etiamsi peccatum, maxime actus turpes, iam negaverint (3).

380. **In materia luxuriae** speciatim interrogationes sint paucissimae, castissimae, cautissimae. Ad particulares modos, species et circumstantias Confessarius ne descendat, ne multa interrogando poenitentem doceat quae utiliter ignorabat, sicque occasionem ei praebeat ulterius investigandi, confessionem traducendi etc., vel etiam eidem vel sibimet sit causa turpis tentationis, vel saltem scandalum praebeat poenitenti, facile suspicanti Confessarium harum rerum curiosa investigatione oblectari, vel in tali materia practice bene versatum esse. Quorum si quid timeat

---

et si in confessione occurrat peccatum de quo postea interrogandum sit, digitus illi peccato designatus claudatur vel aliter notetur, ita tamen ut nemo alius id advertat.

(1) Pessime faciunt Confessarii curiose inquirentes de aliorum dictis et factis, quo timoratas conscientias malis suspicionibus, iudiciis temerariis, detractionibus, illicitis secretorum revelationibus irretiunt, in grave praeterea aliorum damnum.

(2) V. Egeren *De Conf.* pag. 110.

(3) S. Lig. *Prax.* n. 90.

Regula ab omnibus admissa et sedulo servanda haec est: in materia luxuriae multo melius est in pluribus deficere quam in uno superabundare ratione integritatis confessionis.

Aliam ob rationem siquando maior est interrogandi necessitas (1), attendat Confessarius, num poenitens videatur necne harum rerum gnarus. Si minus, vel si Confessarius de hoc dubitet, prudentissime nihilominus caveat supra indicata pericula. Si huiusmodi poenitens confiteatur actus non completos, ut plurimum nosse sufficiet et expediet, num graviter necne, secum an cum alio, cum eodem an altero sexu peccaverit, num actus illi mutuo facti sint. Attamen poenitentes iuniores saepius aliam ob causam expedit prudenter inducere ut dicant quid egerint, ne sc. pergant ex conscientia erronea graviter peccare, ubi peccatum, vel mortale, non est. Prudenter, aio; non enim nimis insistendum. Nam aliud rursus periculum hic cavendum est, nim. ne is qui rite se confessum putabat, ob difficultatem vel timorem respondendi, sacrilegae taciturnitatis vel tergiversationis conscientiam concipiat.

Personae honestae si in hac materia negent peccata interna, opus non est progredi ad opera. Rudiores autem cogitationes saepe negare solent, facta vero vel verba inhonesta interrogati fatentur; quibus confessis facilius deteguntur etiam interna peccata.

Saepe praeter rem non erit sub finem confessionis mansuete quaerere 381.
ex poenitente ignoto num sit quidpiam quod adhuc conscientiam angat, num forte quid omiserit in prioribus confessionibus. Per has interrogationes solent liberari plures animae a sacrilegiis (2). Plures saltem silentio suo vel perplexa responsione suspicionem praebent sacrilegae taciturnitatis.

Quodsi, quovis modo, poenitens satis significat se habere peccatum de quo verecundatur, sed quale sit dicere non audet, Confessarius dicere poterit: « ego te interrogabo, solumque tibi reliquum erit ut *affirmative* vel *negative* respondeas. Quando interrogabo de peccato cuius verecundaris, cave ne deneges; sed affirma vel saltem tace: ego enim etiam ex solo silentio tuo satis intelligam (3) ».

---

(1) V. gr. magis necessarium esse potest, ut sciatur num copula consummata fuerit — ob sequelas et consequentes obligationes, vel alia peccata accedentia, puta abortum — quam utrum tactus ad pollutionem usque continuati sint.

(2) S. Lig. *Prax.* n. 478.

(3) Berardi n. 277 in fine. — Si Confessarius intellexerit qua in specie conscientiae remorsum habeat poenitens, hic autem « interrogatus de speciebus omnibus eo in puncto contingentibus, semper negative respondeat et nihilominus dicat se adhuc non esse quietum, tunc magnum indicium seu certitudo moralis habebitur quod agatur de scrupulo et turbatione inani; unde Confessarius dicere poterit non esse necessarium ut quidquam amplius accuset ». — « Interdum personae quae iam sincerissime plurima peccata, etiam probrosissima et enormissima accusaverunt, dicunt se habere aliquid aliud, ad quod accusandum se inducere nequeunt. Ut plurimum agitur de scrupulo, seu de re quae... non sit necessario accusanda. Confessarius itaque interrogare poterit poenitentem, an, dum rem illam fecit, crediderit se graviter peccare, vel an propter illam circumstan-

382. **In dubio de sinceritate** poenitentis

Regula est, communiter recepta: credendum poenitenti tam pro se quam contra se dicenti. Sed

Quid si Confessarius certo sciat, vel scire se putet, peccatum, quod poenitens tacet vel negat?

Praenotandum imprimis est, si quaeratur utrum necne poenitens sit absolvendus, non tam quaeri de *materiali facto* actus peccaminosi positi, sed multo magis de existentia delicti 1° *subiective gravis*, 2° *nondum confessi*, 3° cuius poenitens *actu conscientiam habet*, 4° quod tamen *non confitetur*, idque non ex causa rationabili saltem existimata vel bona fide, sed *sacrilege*

Prior illa scientia de facto materiali in casu supponitur.

Sunt tamen AA. qui, contra testimonium poenitentis negantis, hic solam admittunt scientiam Confessarii ex sua ipsius experientia, non vero scientiam ex aliorum relatione (1). Sed hi, in posteriori hypothesi, casum ponunt extra praesentem quaestionem. Nos supponimus hanc scientiam, eamque talem quae contrario poenitentis testimonio non infirmetur: qua posita, nihil refert undenam habeatur. Quamquam concedimus huiusmodi certitudinem practice plerumque facilius haberi propria experientia quam aliorum relatione.

Quoad posteriorem scientiam putamus, hanc rarissime haberi, cum difficillime de omnibus ad eam requisitis satis certo constare possit. Eâ tamen positâ

Resp. Distinguendum est. I. Si noverit extra confessionem, et poenitens monitus peccatum pertinaciter negare pergat, absolvendus non est, utpote indignus.

II. Si ex confessione sacramentali alterius, praesertim complicis, Confessarius peccatum noverit, imprimis Confessa-

---

tiam habuerit specialem et magnum conscientiae remorsum. Si respondeat negative, dicat ut quietus remaneat, nec esse necessarium ut quidquam accuset. Idem dic de iliis qui in aetate nimis puerili turpia commiserunt, si forte illa explicare verecundentur. Subiungat tamen Confessarius; « liber es: si vis tacere, tace; si vis dicere, dic. ». Id. n. 293 et 296. — Cfr. dicta n. 294.

(1) Excipit S. Lig. n. 631 casum quo Confessarius certam habet notitiam ex relatione testium omni exceptione maiorum, nec de sacrilega reticentia prudenter dubitare potest. Sed alii vèl exceptionem admitti, vèl ipsum illum casum dari posse expresse vel implicite negant. De Lugo quidem Disp. XXII, n. 22 ad quaestionem: « Quid si Confessarius ex aliorum confessione — quae nim. habetur relatio prae aliis certa — *evidenter* sciat, Petrum commisisse tale peccatum, quod ipse in confessione negat », respondet: « *Repugnare*, quod ex aliorum confessione id evidenter sciat, cum tota illa notitia resolvatur in testimonium alterius poenitentis: quare magis debet credere ipsi Petro in sua causa quam aliis ». Suarez autem Disp. XXXII, S. III, n. 9 dicit: « *Quantumcumque* Confessor sciat peccatum poenitentis ex aliorum relatione, tenetur in hoc iudicio magis credere ipsi poenitenti ». — Vid. infra n. 392, II, 2° verba S. Thomae.

rius advertat se non magis neque aliter de eo interrogare posse quam si illud non audisset, nisi forte expressam poenitentis prioris licentiam habeat (1). Poenitens autem negans, *si non evidenter constet* peccatum *sacrilege* negari certo absolvendus est. Hic casus in praxi frequentior erit; puta si saltem dubitari poterit num forte poenitens iam sit alteri confessus, vel peccati oblitus, vel materialiter solum vel venialiter peccaverit, vel putet se excusatum ab eo confitendo; cfr. supra dicta.

Verum etiamsi casûs circumstantiae nullam huiusmodi dubitandi rationem praebeant, tamen communius et probabilius resolvunt *absolute* dandam esse Absolutionem, vèl, secundum nonnullos, quia ex testimonio poenitentis non potest haberi notitia evidens (2); vèl potius quia confessarius uti nequit notitiâ ex confessione alterius habita (3).

Elbel (4) vult ut Absolutio conditionate detur. At, quia dubium hoc tandem resolvitur in dubium de dispositione sufficiente poenitentis, existimamus nihil referre utrum necne Confessarius interne *hanc* conditionem speciatim apponat; cfr. n. 391.

Lacroix cum Illsung, quos sequitur S. Lig. (5) dicunt non esse absolvendum, et aliquam orationem recitandam ad occultandam negatam Absolutionem.

ARTICULUS III.

DE OFFICIO INSTRUENDI SEU MONENDI (6).

383. I. Inter res scitu necessarias distinguendae hic ab aliis sunt 1° quae necessitate medii sciri debent, — 2° quae ad

(1) Monet Génicot n. 365, 3°: « Neque tunc expedit petere licentiam a complice, aut sponte oblata uti ad alterum arguendum ». Quod pro plerisque saltem casibus recte monitum est.

(2) De Lugo l. c. et verbis relatis supra.

(3) Suarez Disp. XXXIII, S. I, n. 18: « Si Confessor audiens confessiones duorum ex uno intelligat alium non confiteri integre, *neque digne*, non potest ullum indicium dare, sed absolvere, ne revelet confessionem; quia secundum praesentem scientiam bene facit, et alia uti non debet ».

(4) P. VIII n. 44; P. IX, n. 453.

(5) N. 631. Alii AA. perperam citantur; vid. Ball. n. 893, ed. 3ª n. 587.

(6) Sporer n. 794 sqq.

ipsum Sacramentum Poenitentiae fructuose suscipiendum requiruntur. Haec enim haecque sola poenitentem ignarum Confessarius antequam absolvat, vi muneris sui, docere debet, vel saltem curare ut ea prius didicerit. Secus enim hoc Sacramentum rite administrari non potest.

II. In praxi, casu huiusmodi ignorantiae occurrente, vix non semper consultissimum, ne dicam necessarium est, ut Confessarius poenitentem haec necessaria statim doceat et absolvat. Instruat autem eo modo quo poenitens hic et nunc est capax, non quidem doctrinaliter, ut ea capere, intelligere, memoriter tenere ac recitare possit, sed sufficit pro tempore ut ei obligationem discendi insinuet eiusque ignorantiam suppleat proponendo ei articulos credendos, ut ad singulos actum fidei exerceat; utque poenitens de negligentia sua, si culpabilis fuerit, doleat (1). Cfr. Denz. n. 1081 sq.

III. In aliis rebus quae necessitate praecepti sciri debent, vel ad materialem tantum integritatem confessionis spectant, si poenitens ignarus reperitur, Confessarius potest absolvere poenitentem, pro circumstantiis satis examinatum et confessum, *modo hic de culpabili*, si talis fuerit, *negligentia doleat*, et *proponat* ea, opportunitate data, pro suo captu addiscere. Amplior Confessarii obligatio solum per accidens et secundum legem charitatis existere potest.

384. Practica quaestio praecipua est, quandonam monitio de peculiari aliqua obligatione fieri vel omitti possit vel debeat.

1. *Regula generalis* sed speculativa est: *per se* loquendo *monitio semper facienda est* (2), quia error, etiam inculpabilis, et

(1) Ex. gr.: *Conf.:* Credis Deum unum esse in essentia, et tres esse Personas? *Poen.:* Credo. — *Conf.:* Credis Deum unum esse Remuneratorem bonorum et vindicem malorum? *Poen.:* Credo. — *Conf.:* Credis Filium, aequalem Patri, pro salute tua incarnatum ex Virgine, passum, mortuum, unicum Mediatorem nostrum, per Quem salvandi sumus? *Poen.:* Credo. — Tandem in genere, *Conf.:* Credis quidquid credit S. Rom. Ecclesia, et vis mori in ista fide? *Poen.:* Ita — Ulterius, *Conf.:* Doles te ita ignarum esse et negligentem fuisse in istis necessariis ad salutem addiscendis? *Poen.:* Doleo. — *Conf.:* Proponis firmiter nactus occasionem opportunam curare ut instruaris, et vis diligenter discere quae sunt necessaria ad salutem tuam? *Poen.:* Ita.

(2) Intellige secundum legem charitatis.

peccatum, etiam materiale, magnum est inconveniens, et multorum facile ansa damnorum.

2. *Regula practica triplex* assignari potest:

I. Monitio facienda est(1), si videatur poenitenti utilis fore, vel certe non nociva; *nisi* tamen gravius damnum tertio imminens potius cavendum videatur (2).

II. Omittenda est monitio, si putetur nociva poenitenti; *nisi* aliud exigat bonum commune, vel lex positiva (3)

III. « Si dubium est, utrum profutura an nocitura sit monitio, comparetur utilitas et damnum, et gradus timoris ac spei: omnibus autem pensatis, illud eligatur quod praeponderare iudicatur. Non erit tamen gravis obligatio alterutram partem sequendi, nisi monitio vel silentium videretur notabiliter plus conducere ad bonum poenitentis vel publicum (4). — Si dubium manet, utra pars praeponderet, potius abstinendum est a monitione; quia mala formalia magis vitanda sunt quam materialia (5) ».

Resolves. Facienda est monitio; 385.

1° Si poenitens ex *conscientia erronea* peccatum, vel mortale putet id, quod peccatum non est vel solum veniale (6).

2° Si ignorantia poenitentis est *vincibilis et graviter culpabilis*, idque *actu;* si nempe poenitens actu dubitet de aliqua re, vel ita temere se habeat erga graves obligationes, ut gravem huius incuriae reatum, saltem in confuso non possit non advertere: v. gr. paterfamilias quoad obligationem christiane educandi filios (7).

---

(1) Secundum legem charitatis.

(2) V. gr. damnum filiorum ex dissolutione matrimonii invalidi oriundum. De Lugo Disp. XXII, n. 27.

(3) Exemplum occurret infra ubi de denuntiando reo criminis sollicitationis.

(4) De Lugo l. c. n. 31.

(5) S. Lig. n. 616. Haec Génicot n. 359 in fine.

(6) « Attende tamen plures manifestare ea quae norunt peccatum nullum esse, v. gr. a Sacro abfuisse diebus quibus aegrotaverint, preces matutinas quandoque omisisse etc.; qui frustra monerentur nullum peccatum in his reperiri ». Génicot n. 357, II.

(7) « Confessarius autem, dum explorat num illa ignorantia culpabilis sit, cavere debet ne poenitenti det occasionem dubitandi, eique inferat malam fidem quae non habebat. Quare solum interroget in communi et quasi aliud agens, an habeat conscientiae remorsum ». A. l. n. 358 ex De Lugo l. c. n. 23.

Casus hic praecipue occurrit, si poenitens Confessarium interrogat. Tunc autem Confessarius prudenter ne plus dicat quam interrogetur. V. gr.: si obstrictus voto simplici castitatis interrogat num ideo matrimonium sit invalidum, et num possit vel debeat reddere debitum petenti, prius illud negabit, posterius affirmabit Confessarius, et tacebit de obligatione non petendi: idque etiamsi noverit adesse impedimentum dirimens poenitenti ignotum; si poenitens, in hypothesi, interrogat num possit petere debitum, Confessarius negabit, id licere *per se*, sc. secundum dicta de Debito; sed in ultima hypothesi tacebit eum absolute neque petere neque reddere posse.

3° Si vèl poenitentis ignorantia nunc invincibilis, praevidetur brevi cessatura vel culpabilis evasura, vèl poenitens non statim, brevi tamen monitioni obsecuturus, plerumque statim monendus est; perpendendae tamen sunt circumstantiae. Si enim brevi illo tempore existit vel oriturum sit poenitenti onus difficillimum, cui ut satisfaciat prudenter timendum est, quodque vel postea cessabit, vel speratur fore ut postea meliori animo a poenitente suscipiatur et impleatur; potius monitio ad tempus opportunius differatur. Qui casus praecipue occurrere potest, si ignorantia est de primis principiis moralibus, proximisve conclusionibus, vel speciatim de obligatione vitandi seu dimittendi occasionem proximam gravium peccatorum.

4° Ut plurimum monendi sunt illi, quorum errores vel ignorantia facile cedunt in damnum publicum; quales sunt qui munera publica sive ecclesiastica sive civilia gerunt. Raro enim in talibus est ignorantia invincibilis; plerumque illa peccata afferunt scandala in subditos, nec raro damnum commune. Si tamen in aliquo casu particulari ignorantia vere videatur invincibilis, neque ex illa sequi scandalum vel damnum commune, contra vero admonitio nihil profutura, sed poenitenti forte potius obfutura, poterit interdum dissimulari (1).

Eadem ratione monendus est poenitens, « si in iis versetur facti circumstantiis, quae, Confessario dissimulante, peccatorem in pravo opere obfirmant, non sine aliorum scandalo, cum quis arbitretur ea sibi licere, quae ab iis, qui Ecclesiae Sacramenta frequentant, impune exerceri animadvertit (2) ». — « Semper caven-

(1) De Lugo l. c. n. 37.

(2) Bened. XIV Const. *Apostolica*, 26 Iun. 1749, n. 19.

dum est ne poenitentes, ut facile contingit, existiment Confessarium tacentem consentire, et probare ea quae ipsi exposuerint: unde ansam sumerent alios, cum publico scandalo, decipiendi (1) ».

ARTICULUS IV.

DE OFFICIIS MEDENDI ET EXHORTANDI.

I. « Audita confessione, perpendens peccatorum, quae ille ad- 386.
misit, magnitudinem ac multitudinem, pro eorum gravitate ac poenitentis conditione, opportunas correptiones ac monitiones, prout opus esse viderit, paterna caritate adhibebit, et ad dolorem et contritionem efficacibus verbis adducere conabitur, atque ad vitam emendandam ac melius instituendam inducet, remediaque peccatorum tradet (2) ».

II. « Sistunt se quidem multi Sacramenti Poenitentiae ministris prorsus imparati, sed persaepe tamen huiusmodi, ut ex imparatis parati fieri possint, si modo Sacerdos viscera indutus misericordiae Christi Iesu, qui non venit vocare iustos sed peccatores, sciat studiose, patienter et mansuete cum ipsis agere. Quod si praestare praetermittat, profecto non magis ipse dicendus est paratus ad audiendum, quam caeteri ad confitendum accedere (3) ».

I. « Confessarius, tamquam animarum medicus, prudenter in- 387.
vestigare debet causas peccatorum, praesertim graviorum, et congrua remedia praescribere. Attamen cavendum ne zelo praepostero abreptus limites suae potestatis praetergrediatur. Nam nullatenus constitutus est legislator, nec donatus est potestate qua quidlibet honestum et poenitentis saluti vel perfectioni profuturum praecipere queat (4) ».

(1) Génicot n. 359, 1°.

(2) Rit. Rom. Tit. III, Cap. I, n. 17.

(3) Const. *Caritate Christi*, Leonis XII, 25 Dec. 1825. — « Notandum est, quod poenitentes, dum Confessarius loquitur, ad eius verba attendere non solent, sed cogitant de aliis rebus et praecipue an adhuc habeant peccata accusanda. Oportet itaque ut Confessarius ad modum dialogi procedat, prout faceret si aliud negotium momentosum cum poenitente componere deberet. Per interrogationes scilicet et responsiones efficiendum est, ut ille motiva emendationis bene intelligat ». Berardi n. 369, I in medio.

(4) Cfr. n. 315.

II. « Boni Confessarii est, exemplo Christi Domini (1) efficere ut poenitentes clare percipiant quid ipsis tamquam stricta obligatio, quid vero tamquam merum consilium proponatur: ne poenitentes ex erronea conscientia peccent, dum omittunt quae falso ut praecepta apprehenderint, vel etiam, metu nimii oneris, a Sacramentis abstineant. Id praesertim cavendum est ubi de occasionibus periculosis, crebroque occurrentibus, puta lectionibus, spectaculis etc. monita dantur. « Curet Confessarius ut poenitens servet tum leges divinas, tum ecclesiasticas certas, et habebit optimum christianum (2) ». Id tamen minime impedit, quominus poenitentes, pro mensura gratiae quam accipiunt, ad perfectiora stimulentur. Sed in his proponendis Confessarius, Christum ipsum imitatus, se habeat ad modum suadentis et allicientis, minime vero imperantis aut obtrudentis (3) ».

ARTICULUS V.

DE PRIMARIO IUDICIS OFFICIO (4).

388. **Confessarii tamquam iudicis** est: 1° cognoscere causam, quae sunt *peccata* poenitentis huiusque *dispositio;* — 2° sententiam ferre remissionis vel retentionis peccatorum. Quae sententia *e solo iudicio de dispositione,* non de peccatis, pendet: quare in expositione duo haec coniungemus. Cfr. n. 390 sqq.

I. **Cognitio peccatorum.** — 1. Ut valide absolvat Confessarius, requiritur et sufficit notitia saltem confusa peccatorum, i. e. sub ratione confusa peccati seu offensae Dei: ut nim. hic et nunc saltem confuse apprehendat poenitentem offendisse Deum, etsi nullum iudicium de gravitate vel qualitate peccatorum formare possit. Ita communis DD.

---

(1) Matth. XIX, 16 sqq.
(2) Ball. n. 805, ed. 3ª n. 527.
(3) Génicot n. 360.
(4) Sporer n. 677 sqq. et n. 799 sqq.

Hoc sufficere *ratio* est: quia hoc iudicium potissimum *institutum est* ad misericordiam, ad liberationem peccatoris poenitentis. Quare ea, quae praeterea ex parte ministri requiruntur, ad rectam et licitam, non ad validam administrationem pertinent. Ex quo etiam sequitur ut Confessio bona fide facta Sacerdoti ignaro, etiam ignoranti peccata poenitentis esse mortalia, imo putanti esse venialia etc., sit valida neque postea repetenda (1).

2. Ut licite absolvat, Confessarius iudicium ferre debet de quantitate et qualitate peccatorum, de iis generatim quae ad integritatem confessionis pertinent. Probatur ex obligatione poenitentis: qui secus frustra haec aperire iuberetur. Explicatur:

Ad 2^m. 1. Hoc iudicium quod Confessarius ferre debet, eo ipso 389.
habet quod peccata, prout facta sunt, audit, dummodo habitualem scientiam habeat, qua peccatorum obiectivam gravitatem speciemque discernat.

2. Opus non est ut Confessarius cuiusque specificae malitiae explicitam et distinctam ideam sibi efformet. Neque, ut semper determinatum iudicium ferat de quantitate vel qualitate peccati in individuo: id quod nec praeclarissime emeritus theologus semper facere posset: casus enim peccatorum in individuo infinitis fere modis alterantur quoad maius et minus.

Ceterum subiectiva malitia 1° plerumque praesumi debet respondere obiectivae; 2° in dubio saepius neque interrogando, qua conscientia poenitens egerit, sciri potest (2).

3. Aliud est de circumstantiis 1° perfectae vel imperfectae advertentiae et consensus, seu volontarii; 2° ipsius obiectivae gravitatis vel levitatis rei, puta furti. Quae si poenitentis accusatio dubia relinquit, inquirenda sunt: neque umquam offendi potest poenitens, cuiusvis conditionis sit, si Confessarius haec interrogaverit. — At necessarium non est semper haec *interrogare;* aliquando enim *ex praesumptione* etiam hac in re Confessario procedere licebit, ut ex nota poenitentis conscien-

(1) Cfr. n. 275, Nota.
(2) Cfr. n. 378, 1°.

tia, aliisve similibus adiunctis, idque tum in favorem poenitentis tum contra ipsum (1).

4. Confessarius absolvens eum cuius peccatum aliquod vel aliqua mortalia per *notabilem* negligentiam vel ignorantiam voluntariam non intellexit, *graviter* peccat. — Culpâ vero vacabit, si ex involuntaria inadvertentia, distractione, propter somnum gravantem, cantum, impeditam linguam confitentis aliquod peccatum elabatur; quia non ad extrema et moraliter quasi impossibilia, sed tantum ad diligentiam ordinariam et humanam ministros suos Christus et Ecclesia obligant (2).

5. Confessarius, quando *actu* absolvit, sufficit ut *statum* poenitentis *in genere* apprehendat (3).

390. **II. Cognitio dispositionis et sententia ferenda.**

1. Iudicium de sufficiente dispositione ad licite, non ad valide, dandam Absolutionem requiritur (4).

2. Regulae, communiter hodie datae, tres sunt, et satis clarae videntur (5).

Prima est: satis certo dispositis Absolutio danda est, idque per se statim moraliter, ita ut differri non possit nisi ex vere rationabili causa, et practice vix umquam nisi consentiente et libenter acceptante poenitente. Ratio: poenitens facta confessione, saltem ex tacito contractu, ius habet; Confessarius, etiam non Pastor, strictam obligationem.

Causa praecipua differendi Absolutionem ad breve tempus, puta ad 3-8 dies, occurrere *aliquando potest* cum recidivis illis quibus specialis quaedam incumbit obligatio restituendi, se reconciliandi cum inimico, voluntariam occasionem relinquendi etc., cui obligationi iam saepius se satisfacturos promiserunt, sed promissis non steterunt.

Secunda regula: certo non dispositis Absolutio neganda est (6). Ratio patet. Sed practice hoc intellige: si vel quamdiu *tales* manent; cfr. et applica dicta n. 386.

---

(1) Lehmkuhl. n. 421.

(2) Cfr. n. 292, III et 376, V.

(3) Cfr. n. 293, I.

(4) Cfr. n. 388, I, 1.

(5) Quare solum « videntur », patebit n. sq.

(6) « Quales sunt qui nulla dant signa doloris; qui odia et inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere, aut proximam peccandi occasionem de-

Tertia vero: dubie dispositis differenda est Absolutio, *vel* haec conditionate tantum, et solum ex iusta causa est impertienda. Etiam hic ratio per se patet. — Sensum huius regulae vide n. sq., III.

Verum hae regulae non ab omnibus, hodie saltem, eodem sensu intelliguntur.

Difficultas est in determinando quanta certitudo de suffi- **391.** ciente dispositione requiratur ad hoc ut poenitens prudenter absolvi possit et per se debeat.

Omnes conveniunt, pro natura rei de qua agitur — quae nim. res non est sensibus subiecta, sed summum signo aliquo plus minusve certo manifestari potest — non tantam hic, quantam in aliis Sacramentis, requiri certitudinem; sed requiri solum et sufficere iudicium prudens seu probabile.

At quid si huic probabili iudicio obstet ratio fundata seu dubium positivum in contrarium? En ipsa difficultas.

Observamus praevie: 1° supponimus Confessarium non ideo solum dubitare, quia est de morosis illis quos notat Leo XII in Const. cit. « quibus vix ulla doloris ac propositi satis videtur significatio, ut absolvere se posse existiment, ac tum demum tutum se cepisse consilium putent, si homines in aliud tempus absolvendos dimiserint ». In talem Confessarium quadrant verba Sporer: « Quodsi Confessarius se non resolvens [uti oporteret] dubius maneat de dispositione poenitentis et licita Absolutione, eo statu utique non poterit absolvere absolute (1), sed ex defectu suo, non poenitentis ».

Seu: supponimus ipsum poenitentem, etsi hinc probabiliter dispositum, illinc tamen dare Confessario rationem fundatam dubitandi.

2°. Supponimus tum confessioni poenitentis accedere huius testimonium de sua dispositione (n. sq.), tum Confessarium pro suo officio (n. 386) conatum esse vincere seu tollere dubium, sed hoc perseverare: quod ultimo dictum practice non ita saepe accidit.

3°. Probe attendatur specialis indoles *huius* dubii: est enim de re quae ad valorem Absolutionis *ex ipsa natura* huius Sacramenti requiritur (n. 232); ita ut Absolutio semper ab hac re, ut a conditione sine qua non, pendeat, et frequentissime plus minusve sub conditione de hac re detur, saltem implicite, quinimo vix aliter agere possit Confessarius dubitans. Qua ratione in casu *huius* dubii satis perinde est pro poenitente,

---

serere, aut alio modo peccata derelinquere, et vitam in melius emendare nolunt; aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfaciant, et scandalum tollant ». Rit. Rom. Tit. III, Cap. I, n. 22. Brevi: tales sunt qui gravem, quamvis, obligationem implere nolunt.

(1) Sporer nim. loquitur de Absolutione absolute vel conditionate danda.

utrum Absolutio cum an sine conditione explicite addita detur; adeoque eius respectu potius quaeri debet utrum necne, quam utrum absolute an conditionate sit absolvendus.

Ad solutionem huius dubii attendenda sunt hinc ius probabile et bonum poenitentis: hic enim, quia probabiliter dispositus, dici non potest prorsus nullum ius habere; illinc vero reverentia Sacramento debita: Poenitentia namque non solum est iudicium sed etiam Sacramentum; et dein in singulis casibus considerandum est utrum horum praedominetur. Quibus observatis

Resp. I. Cum antiquioribus communiter et cum nonnullis recentioribus putamus poenitentem absolvi posse, idque ut plurimum etiam expedire. Nam

1°. Attenta natura rei de qua agitur, sc. interna poenitentis dispositione non videtur maior certitudo absolute requiri. Accedit Sacramentum hoc praecipue institutum esse pro iis qui mortalibus peccatis gravati sunt; hi autem ipsi prae ceteris huiusmodi dubium Confessario ingerere solent. Quare Christi, Sacramenti Auctoris, voluntati consentaneum non videtur, ut iis ipsis poenitentibus Absolutio *per se* sit neganda, qui prae ceteris eâ egent.

2° Quamvis in casu jus poenitentis ob factam Confessionem videri possit non satis certum, ut hac ratione absolvi debeat; nihilominus si poenitens sit in statu mortali (ut fere in casibus huius dubii contingit) puto *hac ratione* accedente sc. *necessitatis* in qua versatur, praedominari bonum poenitentis prae reverentia Sacramento debita, adeoque Absolutionem esse concedendam; nisi forte dilatio videatur, omnibus spectatis, poenitenti certo utilis.

Neque obstat propositio 1ª ab Innocentio XI damnata: « Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi... ». Hic enim 1) non relinquitur opinio tutior de valore Sacramenti, utpote quae ex hypothesi non habetur; et 2° non deëst iusta causa absolvendi, attentis sive iure probabili et bono poenitentis sive bono communi.

II. S. Lig. (1) quem passim recentiores, non tamen omnes, sequuntur, docet, in hypothesi deficere moralem certitudinem requisitam; ita ut poenitens haberi debeat dubie dispositus in sensu practico regulae tertiae.

---

(1) N. 461.

Hanc S. Doctoris sententiam in suo valore relinquo. Solum annoto: si ita est, vix vel ne vix quidem certitudo hic requisita ullo gradu differt ab ea quae ut plurimum in actibus humanis sufficit; unica enim probabilitas de facti existentia vulgo in praxi aequiparatur certitudini morali (1). Qui ergo accidit ut omnes convenerint et conveniant, hic pro rei natura quid minus requiri (2)?

III. Concludo practice tutam et saltem aeque probabilem esse priorem sententiam quam antiquiores communiter tenuerunt, et ad quam recentiores nonnulli redeunt, vel imo prorsus redeundum esse dicunt (3).

Ex quo sequitur ut Regula tertia (n. pr. in fine) intelligenda probabiliter solum sit de dubio negativo seu de hypothesi qua ex adiunctis poenitens ne probabiliter quidem dispositus iudicari possit. Ceterum

In praxi sive dubium est positivum, sive in sensu exposito negativum, etiam hic applicanda sunt dicta n. 386; nam in casu etiam dubii positivi Confessarii est pro viribus conari ut poenitentem ad certiorem dispositionem adducat.

Quando vel unde habetur hoc iudicium prudens seu probabile de sufficiente dispositione poenitentis? 392.

---

(1) Cfr. Vol. I, n. 66, 5°.

(2) « Ceterum ubi S. Dr. sententiam suam explicat, saepe videtur mera probabilitate contentus, ac proinde practicum discrimen inter eius nostramque doctrinam multo minus est quam prima fronte videri possit ». Génicot n. 367 circa finem. — Vide supra n. 382, ubi de quibusdam casibus utrimque dubiis quos generatim S. Lig. resolvit ut alii. Quinimo ex verbis Catechismi Rom. de Poen. n. 60: Si audita confessione (Sacerdos) iudicaverit neque...: in detestandis (peccatis) dolorem poenitenti omnino defuisse, absolvi poterit »; S. Dr. hoc ipso n. 461 concludit: « Ergo *semper ac* Confessario *positive non innotescit,* poenitenti omnino defuisse dolorem, ipsum absolvere potest ». Aertnys quidem n. 279, III in nota illud « omnino » ex Cat. Rom. ita explicat — num recte, transeat — ut significet non defuisse tum contritionem tum attritionem, probatque — nota bene — « *ex absurdis* quae secus orirentur; sequeretur enim Confessarium non debere Absolutionem negare, nisi *certus* sit de *indispositione* poenitentis ». Sed quid sibi volunt verba S. Dr.: « *semper ac positive non innotescit* »? Qui haec sensu differunt a verbis Sporer: « quamdiu non constat »? Hoc A. l. non explicat.

(3) Cfr. Génicot l. c.

Resp. « Duo sunt quae praesentem poenitentis dispositionem possunt aperire, sc.: modus confessionis et testimonium poenitentis. Ita Doctores universim (1) ».

I. Ad 1m. Quamquam modus ipse confitendi saepius specialem et certam Confessario praebet rationem iudicandi poenitentem rite dispositum; non ita tamen DD. hoc intelligunt, ut *specialis* huiusmodi modus confitendi requiratur; sed ut habet S. Lig. (2) loquens de habituatis in peccato: « Poenitens ex una parte non est praesumendus malus, ita ut velit indispositus ad Sacramentum accedere; ex alia bene *praesumitur dispositus* dum peccata sua confitetur, cum *ipsa* spontanea *confessio* sit signum contritionis, *nisi* obstet aliqua positiva praesumptio in contrarium: *omnes* enim *conveniunt* quod dolor per confessionem manifestatur ». Quare

II. Ad 2m. — 1° Testimonium poenitentis usui esse debet ad dubium tollendum, saltem practice, si quod Confessarius ex adiunctis concepit. Nam

2° Confessarius poenitenti se ex animo detestari peccatum « affirmanti credere tenetur. Et hoc idem dicendum est de proposito in futurum, quando ex confessione non oritur specialis aliqua obligatio restituendi vel relinquendi aliquam occasionem proximam peccandi (3), sed solum communis et generalis obligatio non peccandi de caetero (4) ». Et S. Thomas (5): « Quantum ad hanc cognitionem non potest maiorem certitudinem accipere quam ut subdito credat; quia hoc est ad subveniendum conscientiae ipsius (6): unde in foro confessionis creditur homini et pro se et contra se (7) ». Vide supra n. 382.

(1) « Et quidem tolerari vix potest, quod in re tam gravi adeo spernatur doctrina quae omnium Doctorum fuit et quae sola rationabilis videri potest ». Ball. n. 286, ed. 3a n. 171.

(2) N. 459.

(3) Quae sit ratio et vis huius limitationis infra videbimus, ubi de recidivis et occasionariis.

(4) Suarez Disp. XXXII, S. II, n. 1 sq.

(5) In 4, Dist. XVII, Q. III, Art. III, Q. V, ad 2.

(6) Sc. poenitentis, cuius interest ut verum fateatur. « fraus non debet ullatenus supponi, ubi fraudis nulla foret ratio, imo fraus in poenitentis tantummodo perniciem cederet. Ball. - Palm. n. 288, ed. 3a n. 172.

(7) Quae quidem in sensu obvio, quo antiquiores haec semper acceperunt, aliter sonant quam quae recentiores plerique cum S. Lig. tradunt de signis extraordinariis tamquam requisitis ad dubia in hoc foro solvenda.

Ex dictis intelligi datur, quare antiquiores DD. vix loquantur de poenitentibus dubie dispositis quibus per se Absolutio sit necessario differenda.

ARTICULUS VI.

DE ABSOLUTIONE EIUSQUE FORMA (1).

Forma Absolutionis ex Rit. Rom. (2) est: 393.

I. Preces praecedentes. Sacerdos « primo dicit: *Misereatur ... Amen* ». — « Deinde dextera versus poenitentem elevata, dicit; *Indulgentiam ... Amen.*

Nota. Hae preces — idemque est de verbis « *Passio Domini* etc. ». — 1° ex ipso Rit. omitti possunt in confessionibus frequentioribus et brevioribus; 2° secundum communiorem sententiam semper sine peccato omittuntur.

II. Absolutio a censuris. « *Dominus noster... et tu indiges* ». « Si poenitens sit laicus omittitur verbum: *suspensionis* ».

Nota 1. *Praeceptum* est ut absolutio a censuris praemittatur absolutioni a peccatis. Nim.: — 1° *Graviter* peccaret qui absolveret *animo* prius absolvendi a peccatis quam a censura, *si sciret* poenitentem ligatum censura quae susceptionem Sacramenti prohibet. Secus resolvunt de eo qui formulam istam omittens unicâ formâ intenderet ab utrisque simul, ordine tamen prius a censura quam a peccatis absolvere. — 2° *Venialiter* peccaret qui probabiliter suspicaretur censuram contractam. — 3° Probabiliter *non peccaret,* si nulla detur censurae suspicio.

2. Verbum « *suspensionis* » omitti plerumque etiam potest, si poenitens est clericus in minoribus: hac enim aetate laici obeunt ordinaria officia talium ministrorum; aliud vero officium vel iurisdictionem, a quibus suspendantur, habere non solent.

III. Absolutio a peccatis. « Deinde: *ego te absolvo a peccatis tuis in nomine Patris †, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen* ». — Hucusque manus dextera elevata tenebatur.

---

(1) Sporer n. 590 sqq.
(2) Tit. III, Cap. II.

Nota 1. *Probabilius sufficiunt* ad valorem verba « *te absolvo* »; quia ex adiunctis haec satis determinantur ad significandam absolutionem a peccatis; id de quo solo dubitari potest. Idem dicendum de verbis: « *absolvo a peccatis tuis* ».

2. Solum *certo sufficiunt* ad valorem: « *te absolvo a peccatis tuis* », quare haec saltem *sub gravi* dicenda sunt.

3. Invocatio SS. Trinitatis sub veniali tantum obligat. Idem dicunt de verbis: « *ego* » et « *amen* ».

4. Verbum: « *deinde* », elevatio manus et signum crucis videntur rubricae directivae tantum: in ipso Rituali Romano (nova editio Romana a SS. Rit, C. approbata anno 1874) habentur impressa colore rubro. Quia tamen verbum « *deinde* » in editione typica anni 1884 nigro charactere impressum est, melius dicitur quam omittitur.

IV. Oratio « *Passio Domini... Amen* ». De qua supra ad I, et n. 316, nota 1.

V. « Urgente vero aliqua gravi necessitate in periculo mortis, breviter dicere poterit: *Ego te absolvo ab omnibus censuris, et peccatis, in nomine* etc. » Vel etiam: *Ego vos* etc., ut dictum est n. 6 et 286.

394. **Modus absolvendi** Ad valorem requiritur, ut forma 1° voce 2° in praesentem proferatur.

I. Ad 1^m^. Nutu, scriptura vel simili modo invalide agi, hodie omnes docent (1).

II. Ad 2^m^. — 1. Clemens VIII (2) damnavit propositionem: « *Licet per litteras seu internuntium Confessario absenti sacramentaliter confiteri et ab eodem absente Absolutionem obtinere* ». Et prohibuit *ne umquam* illa propositio tamquam *aliquo casu* probabilis defenderetur, aut ad praxim quoquomodo deduceretur. Ex qua *absoluta* prohibitione colligitur *Absolutionem* absenti datam esse etiam prorsus *invalidam*, cum secus exceptio admitti aliquando posset. Accedit quod Paulus V damnavit quorumdam dicti Decreti interpretationem, Absolutionem mitti posse ad

(1) Cfr. n. 11.

(2) Decreto 20 Iunii 1602: Denz. n. 962.

absentem, modo confessio in praesentia praecessisset. Declaravit nim. prohibitionem esse intelligendam etiam disiunctive (1). — Quia tamen ipse Clemens VIII oretenus declaravit posse et debere absolvi moribundum sensibus destitutum, qui non ipsi Confessario praesenti sed adstantibus poenitentiae signa dederit, vel confitendi desiderium manifestaverit (2); non sine fundamento concluditur solam confessionem absenti factam esse solum damnatam tamquam illicitam (3).

2. Sufficit praesentia moralis seu illa intra quam solent communi voce, etiam altiori, homines cum hominibus loqui. Quare — 1° *praesentia certo deest* si Sacerdos et poenitens sint in diversis locis, puta cubiculis, quae nullo modo inter se communicant; — 2° *de sola distantia* quae obstet, *non conveniunt.* — 3° *in praxi* conveniunt ad hoc ut Absolutio sub conditione tentari in necessitate possit, sufficere eam praesentiam ut si impedimentum non esset, *poenitens aliquo modo percipi posset.* — Compara n. 112-114.

Hinc 1) absolvendus est ille qui videtur e tecto ruere, in flumen cadere, si non certo nimis procul a Confessario distet; — 2) Si Confessarius ob periculum infectionis aliamve causam non possit cubiculum infirmi ingredi, illum e ianua absolvere debet; 3) si poenitens, ut fit, recedat e confessionali nondum absolutus, si parum distans aspiceretur, vel certo sciretur adesse inter vicinam turbam absolvatur; si tamen absque ullo incommodo revocari possit, hoc praestat (4).

III. Quid de Absolutione per telephonium? Nonnulli Absolutionem probabiliter validam censent, quia putant hoc medio vocem unius vere ab altero audiri; unde deducunt tum Absolutionem esse vere vocalem, tum moraliter praesentem esse poenitentem Confessario. Sed negandum videtur; tum quia hoc medio *non ipsa vox* Confessarii sed huius *reproductio* percipitur, sicut et per phonographum contingit: utrumque vero instrumentum abstrahit, aut fere, a loco, posterius insuper a tempore; unde

---

(1) 14 Iulii 1605: Denz. n. 963.

(2) Denz. ib. — Cfr. Rit. R. Tit. III, Cap. I. n. 24, ex quo moribundus in casu « absolvendus est ».

(3) Cfr. n. 308.

(4) Lehmk. n. 271, 2; Gury n. 429.

loci praesentia vel distantia a neutro repeti potest; tum quia, dato vocem ipsam audiri, haec tamen communicatio non facit praesentiam moralem in sensu proprio, vere autem atque e sensu communi manet sermo inter absentes.

395. Absolutio sub conditione dari licite potest et debet quotiescumque si omnino non daretur, damnum immineret animae, et si absolute daretur, nullitas et irreverentia Sacramenti timenda foret (1).

Casus praecipui sunt quando Confessarius prudenter dubitat:

1° An poenitens sit recte *dispositus* quoad dolorem, propositum (quod intellige secundum dicta n. 391.); an moribundus sensibus destitutus, sit christianus.

2° An habeat *materiam sufficientem;* uti praesertim an puer vel semifatuus praeditus sit sufficienti usu rationis, an vere peccaverit necne. Item quando poenitens adfert sola dubia peccata in materia mortali, nec ullam certam explicare potest.

3° An poenitens adhuc *vivat* necne.

4° Quando Confessarius dubitat an hunc poenitentem *absolverit* necne; item an habeat *iurisdictionem* in hunc poenitentem eiusve peccata.

5° An poenitens sit satis *praesens* (2).

396. Quid 1° de monendo poenitente, qui sub conditione absolvetur vel absolutus est, ut confessionem eorumdem peccatorum iteret? — 2° de eo admittendo ad S. Communionem?

Resp. I. Ad 1^m. Practice res dubia solum erit in casu iurisdictionis dubiae. Nam ad dispositionem quod attinet, poenitentes facile sibi persuadent se esse satis dispositos, Confessarius econtra non erit certus de contrario (3). — In dubio autem iurisdictionis, praesertim negativo, monendus erit poenitens saltem per se, *nisi* nempe prudentia suadeat silentium.

---

(1) Cfr. n. 12, 15, 24 sqq.

(2) De quibus omnibus vide alibi dicta vel dicenda.

(3) Attamen si agitur de periculose aegrotante, hic, propter imminens aeternae salutis periculum, monendus saltem erit ut melius se disponat, quo certius absolvi possit.

II. Ad 2m. *Speculative res dubia est,* maxime in casu poenitentis *dubie dispositi;* tum enim non solum reverentia S. Eucharistiae sed etiam fructus Sacramenti periclitatur.

Porro plerique censent in subiecto Sacramentorum aeque requiri certitudinem ac in Ministro. — Non ita pauci tamen (1) hoc negant, tum quia res haec difficilior est suscipienti, si de huius dispositione requisita agitur, quam Ministro — qua ratione negatur obligatio religionis — tum quia ipse non habet aliam obligationem charitatis vel iustitiae, quam habet Minister.

Practice poenitentes ut plurimum ėt sunt bona fide, ėt consultius est tacere. Quodsi forte interrogent, quandoque praestare poterit ut suadeatur S. Communionis dilatio et iterata antea confessio; plerumque autem puto Confessarium posse permittere, imo interdum, intuitu maioris boni poenitentis, consulere ut accedat. — Et haec Cnmmunio summum ex opere operato nil proderit, numquam autem omnino inutilis erit, imo poterit per accidens quandoque restituere peccatorem in statu gratiae (2).

SECTIO III.

DE NONNULLIS POENITENTIUM GENERIBUS.

CAPUT PRIMUM.

DE RECIDIVIS ET OCCASIONARIIS.

ARTICULUS I.

DE RECIDIVIS NON-OCCASIONARIIS (3).

397. I. **Recidivus** sensu theologico, seu talis de cuius Absolutione, num liceat vel expediat, quaeritur — in doctrina antiquiorum est

(1) Inter quos Sporer *de Consc.* n. 57. Cfr. S. Lig. n. 432, 475 et Lib. I, n. 51; Génicot n. 131; D'Annibale III, n. 249.

(2) Cfr. Gury n. 436; Edit. Palm. n. 248.

(3) Sporer n. 330 sqq.

is qui — 1° post multas confessiones frequenter semper relabitur — 2° in eadem peccata gravia (num praeterea in alia necne, hic parum refert) — 3° sine emendatione ulla, etiam inchoata.

II. Inchoata censetur emendatio ad quam saltem *serium studium* adhibitum esse noscitur. Quod studium seu conatus stare potest cum modico profectu ob speciales emendationis difficultates; quae provenire possunt ex habitu valde radicato, ex tentationibus assiduis et vehementibus, ex indole valde levi, ex facilitate qua aliqua peccata committuntur, uti peccata cordis et oris (1).

398. **Resolutio** (2). — I. Recidivus ex *sola intrinseca* (v. n. 400) fragilitate — quales ut plurimum sunt recidivi in peccata blasphemiae, odii, invidiae, delectationis morosae et praecipue mollitiei — absolvendus est toties quoties serio proponit sese emendare, seu quoties vel quamdiu Confessarius prudenter credit eum vere proponere ac serio loqui. Ratio est, quia redire cum iisdem peccatis de se non est signum sive defuisse sive deesse verum dolorem et propositum emendationis; certe non magis quam si rediret cum aliis peccatis; sed solum est signum fragilitatis humanae.

II. Porro, posito etiam poenitentem hucusque nihil ad suam emendationem praestitisse, *plerumque* tamen Confessarius ei credere debebit, cum ipse sit sui accusator, defensor et testis (3).

III. *Interdum* tamen, si post plures confessiones nullus omnino emendationis conatus adhibitus videatur, *vehemens* est suspicio contra poenitentis sufficientem dispositionem.

Et tunc «expedit *ordinarie* eos remittere sine absolutione, explicato periculo in quo versantur et Absolutionem illis fore noxiam, cum non videantur habere sincerum proposi-

---

(1) Berardi *De Rec. et Occ.* n. 67.

(2) Distinguatur poenitentis *propositum, studium* seu conatus, *profectus:* cfr. n. 249 sqq.

(3) Cfr. n. 392.

tum.... Dico *expedire ordinarie:* quia absolute non est necessarium, si dicant se valde dolere et promittere emendationem.... Fieri etiam potest ut expediat saepius absolvi, si putetur id eis fore magis salutare. Haec enim est regula qua Confessarius uti debet circa poenitentem, in absolvendo vel remittendo:... ut spectata conditione poenitentis, faciat id quod iudicat ei fore magis salutare. Si dubitat, utatur nunc hoc, nunc illo modo. Saepe haec repulsio est illis saluti, quia sic magis imprimunt animo rei momentum ». Haec Lessius (1). Et Suarez (2): « De proposito credendum est poenitenti *non obstante quacumque praecedenti frequentia et inconstantia* eius; quia sicut potuit mutari in malum ita etiam in bonum, et ipse est sui accusator, defensor et testis... Si *saepius* proposuit emendari et non fecit, adhibenda sunt remedia convenientia.... *Si* haec non sufficerent, *interdum utile* erit differre Absolutionem per aliquot dies, in quibus cogatur vigilare et contrariam consuetudinem (3) aliquo modo inchoare. Et in his non est scrupulose procedendum... Nec huiusmodi humanae infirmitates efficacius curari ab homine possunt ».

En quoad substantiam communis antiquiorum doctrina, a qua differt

I. Doctrina S. Alphonsi: 1° recidivus est qui post con- 399.
fessionem etiam *unicam* in eadem peccata eodem modo, facili nempe, seu absque serio emendationis conatu, relapsus est; 2° recidivus, *nisi* afferat signum *extraordinarium,* iudicandus est dubie dispositus, aeque ac et quia dubitari saltem debet de dispositione quam in praecedenti confessione habuit. — Et haec doctrina inter recentiores satis communis evasit. Contra quam

---

(1) *Auct.* V. Confess. Cas. 7.

(2) *De Relig.* Tom. II, Tr. V, L. III, Cap. VIII, n. 7.

(3) Agit de consuetudine temere iurandi. Et *nota* antiquiores, ubi Absolutionis dilationem suadent, plerumque loqui de consuetudinariis in peccatis *oris,* utpote quibus ad sese emendandos specialis diligentia seu vigilantia opus sit. — Praeterea cum Génicot n. 370; « attende hanc utilitatem dilatae Absolutionis, quam Lessius cum plerisque veteribus DD. experientia constare dicit, hodie, saltem in multis regionibus, valde dubiam esse. Nam plerique recidivi e dilata Absolutione, perinde ac si negaretur, offendi solent, et numerum augent eorum qui a Sacramentis penitus abstinent ». Cfr. D'Annibale III, n. 342, nota 39.

II. Annotanda sunt 1° ea quae n. 391 dicta sunt de absolvendis dubie dispositis; cfr. n. 395 sq. 2° nimis facile S. Dr. relapsum tribuere videtur potius deficienti quam ex fragilitate mutatae seu inconstanti voluntati; 3° nimis facile quoque poenitenti negare fidem videtur — utrumque contra communem antiquorum (1) — quum tamen ipse alibi (n. 631) statuat, regulam illam quod credendum est poenitenti etiam pro se, procedere in re dubia; tandem 4° parum practica videtur hypothesis S. Dr. Nam perrarum est consuetudinarium post primam confessionem, si rite a Confessario propositis aptis remediis admonetur, ut ponit S. Dr., nullum conatum ad suam emendationem adhibere. Sed ut plurimum huiusmodi poenitentes paulatim negligentiores, et tandem pleno sensu recidivi fiunt (2).

---

(1) Cfr. n. 392, II.

(2) Aertnys suam de recidivis doctrinam concludit hoc modo: « contra nimiam facilitatem absolvendi recidivos, quam hodiedum plures propugnant [respicere videtur ad doctrinam priori loco a nobis traditam] opportunum esse autumavi referre duas Instructiones [Aug. 1827 et 29 Apr. 1784] S. C. de P. F., quae prorsus diversam tradunt doctrinam ». — Verum illae Instructiones non magis nostram quam S. Alponsi doctrinam spectant, sed praxim eorum, « *qui nulla facta inter poenitentes distinctione omnes... indiscriminatim absolvunt* ». Eodem iure citari posset alia eiusdem S. C. Instructio anno 1756 data contra praxim iusto severiorem: in qua Instructione haec occurrunt: « Praemissis casibus exceptis [quibus ex Rit. Rom. Absolutio est deneganda] promiscua et passim adhibita cuiusque peccati mortalis retentio, causa concipiendi maiorem adversus crimina horrorem et acquirendi meliorem dispositionem... non est profecto medicina nec castigatio umquam, invitis poenitentibus, adhibita ab Ecclesia, sed a solis rigidis et imprudentibus Confessariis contra omne fas usurpata et a tribus RR. PP. proscripta... Profecto praxis ista severa plurimam animis affert perniciem... aeternae damnationis periculo manent expositi... nam qua hora non putamus, Filius hominis veniet ». — « Dilata his Absolutione, manent illi Dei hostes, incapaces omnis meriti et satisfactionis ». — Contraria « autem praxis prudens et benigna... est antiquissimus Ecclesiae usus, Scripturae et Patrum auctoritate comprobatus... Praxis ista prudens et benigna, absolvendi statim peccatores attritos vel contritos, viget in tota Ecclesia ». — « Modus igitur plenus sapientia et caritate est, animas peccatrices citissime ex peccati statu, iuxta praxim universalis Ecclesiae, in Christi Evangelio fundatam, erigere, ut cito accipiant stolam primam ». Apud Palmieri-Ball. ad n. 345, ed. 3ª n. 204. — Cfr. Denz. n. 1302 sq.

ARTICULUS II.

DE OCCASIONARIIS (1).

Occasio peccati generatim est, quidquid peccanti *extrinsecum* (v. n. 398) ad peccandum impellit. **400.**

I. Distinguitur communiter occasio *remota*, quae *leve periculum* affert; quam vitandi nulla est obligatio: alioquin deberemus ex hoc mundo exire; et *proxima*, quam omnes eam dicunt quam quis per se sub gravi vitare tenetur; sed de hoc ipso AA. non conveniunt.

1. *Sporer, cum aliis* passim, proximam dicit eam, in qua *creditur* vel credi debet *rationabiliter*, perpensis omnibus circumstantiis, poenitens raro vel numquam futurus sine peccato mortali (2).

2. *Alii* eam proximam dicunt, in qua quis frequenter peccat vel peccaret, seu quae probabile periculum peccandi affert. Sed Sporer merito hoc non placet; quia enim probabile ex hypothesi etiam est peccatum non secuturum, temeritatis accusari atque velle peccatum dici non potest, qui *ob rationabilem causam* tali occasioni se committit (3).

3. *Nota* cum Génicot (4): « Saepe veram occasionem proximam reperiri *in consuetudine*, quamvis in singulis actibus qui-

---

(1) Sporer n. 321 sqq.

(2) Sporer sensum declarat his exemplis. Confessarius non iudicabit esse in occasione proxima peccandi v. gr. se inebriandi, fornicandi etc., qui in tali loco decies tentatus, succubuit solum ter vel quater, secus si octies vel septies. Si sit aliqua domus, aliquis convictus scholarium, in qua domo omnes fere ancillae vel famuli, in quo convictu omnes fere studiosi hactenus fecerunt naufragium castitatis, censenda erit ibi esse occasio proxima ruinae. Quae omnia, addit, consideratis circumstantiis personarum, locorum etc. prudentis Confessarii iudicio necessario relinquuntur.

(3) Deficiente omni causa, leve peccatum hoc erit. Huiusmodi occasionem Sporer vocat *propinquam*. Et merito quidem; quia hac distinctione vitatur transitus immediatus ab obligatione nulla ad gravem; quo observato, praestare putamus nihilominus communem servare usum loquendi.

(4) N. 372 in medio.

bus frequentatur, non habeatur nisi probabile periculum. Sic ponamus iuvenem, qui crebro peccavit cum amasia, saepe etiam eam adire quin graviter contra castitatem delinquat: hunc censemus sub gravi teneri ad abrumpendam hanc *consuetudinem*, in qua pergere nequit sine morali certitudine novorum lapsuum; quamvis in tali casu forte *singulae visitationes* grave peccatum non constituant, *nisi* quatenus renovetur pravum propositum in his relationibus periculosis perstandi ».

401. II. Distinguitur proxima occasio:

1° Alia *absolute* seu per se, alia *relative* seu per accidens proxima, prout vèl omnibus hominibus communiter, vel certo homini ob peculiarem eius habitum tale periculum creat (1).

2° Alia dicitur *continua*, alia *non-continua*, prout vèl hominem habitualiter comitatur, ut concubini cohabitantes; vèl per intervalla solum occurrit, ut amasii non cohabitantes (2).

3° Alia est *voluntaria*, quae facile et sine gravi incommodo et damno vitari potest; alia *necessaria*, quae aut physice aut moraliter vitari non potest.

402. I. *Moralis impotentia* illa, ob quam occasio dicatur necessaria, oriri potest 1° ex obligatione sive perpetua, ut e statu matrimoniali, sive temporanea, ut e famulatu aliisve officiis; — 2° e damno temporali, fortunae praecipue et famae; — 3° e simili vel maiori periculo quod incurreretur; quandoque etiam — 4° e damno alieno quod officium vel charitas vitare iubet, suadetve.

II. Ad 1^m. In praxi 1° attendendum est num forte ob ipsam occasionem sufficiens habeatur ratio deserendi famulatum etc.; 2° insistendum ne contractus expresse vel tacite renovetur, sed tempestive renuntietur; id quod sive ex generali salutis incuria sive ex ipso affectu ad occasionem non raro negligitur.

III. Ad 2^m. Iusto severiores sunt qui semper exigunt moralem impotentiam strictam; laxiores vero qui dicunt ut plurimum sufficere causam qualis excusat a praecepto positivo, v. gr. audiendi Missam.

---

(1) Sic etiam occasio absolute proxima potest esse relative remota.

(2) Alii has occasiones respective vocant *in-esse* et *non-in-esse*.

Regula statui potest: eo maius debet esse damnum imminens, quo maius vel quo graviorum peccatorum est periculum; quo magis occasio est scandalosa etc.; quo maius non solum peccati sed ipsius damnationis imminet periculum. Magis determinatam puto statui non posse.

IV. Qui propter extremam fragilitatem occasiones proximas invenit in rebus passim occurrentibus, is debet cautelas adhibere, sed non tenetur omnes illas res passim occurrentes evitare. Id enim est onus intolerabile, adeoque causa excusans absque alio speciali damno vel incommodo.

Resolutiones de occasione voluntaria. 403.

I. Qui nolunt, etsi commode possent, proximam peccandi occasionem vitare, per se et ut plurimum absolvi non possunt. Qua de re

Nota 1. Obligatio poenitentis relinquendi occasionem ut certa et absoluta sit, ponitur satis constare periculum esse proximum, idque ita ut sine separatione peccata vitatum iri moraliter sperari non possit.

Quare *exceptiones*, apparentes tamen potius quam verae, a regula seu resolutione supra posita admitti possunt; nim.: — 1° si occasio *nondum est, sed* certo et brevi *erit proxima, nisi* efficacia media adhibeantur; — 2° si periculum non tam ex re vel persona, quam *ex alia circumstantia* provenit; v. gr. non ex ipsa conversatione cum persona, sed ex loco, tempore, modo, aliove adiuncto conversationis, ita ut ad minuendum vel cavendum periculum sufficiat vitasse talem circumstantiam. Eadem ratione — 3° si periculum proximum solum oritur *ex concursu duarum causarum;* v. gr. ex largiori potu et praesentia personae, ita ut una sola non tantum periculum creet. Idem adhuc — 4° si non ipsa occasio, sed potius poenitentis *imprudentia, defectus cautelae* peccatorum causa fuit; id quod saepius accidit ubi agitur de occasionibus absolute seu communiter remotis tantum. — 5° Etsi occasio sit valde periculosa, si tamen poenitens firmiter paratus est adhibere *media extraordinaria et certo efficacia*, quibus nempe, consideratis omnibus, victoria tentationum sperari cum ratione potest (1).

---

(1) Cfr. De Lugo Disp. XIV, n. 51.

Nota 2. Per exceptionem pariter Confessarius prudenter quandoque omittit, seu potius differt monere poenitentem de obligatione relinquendi occasionem (1).

404. II. Volentes quamprimum deserere occasionem absolvi possunt; sed non semper statim debent.

« Quaestio an Confessarius possit poenitentem absolvere, antequam occasionem dimiserit, a recentioribus DD. inducta est; nam veteres ne suspicati quidem videntur, quempiam id negaturum..... Verum consilium quod subinde DD. monent suggerendum, ut si facile fieri possit, prius removeatur occasio, paulatim, ut in multis aliis contigit, a quibusdam versum est in regulam necessariam (2) ». — Nim. *si* agitur de occasione ad quam dimittendam vel deserendam poenitens magnam sibi vim inferre debet (3), *et* Confessarius, poenitentis animi statu attento, cum ratione timet ut absolutus revera propositum exequatur, *consilium* tum est, ut prius poenitens occasionem removeat vel deserat, posteaque redeat ut absolvatur.

« *Aliquando* vero *oportet remittere* poenitentem et illum non absolvere, donec suam obligationem impleat; praesertim quando iterum atque iterum illam confessus est et implere promisit neque implevit; quia alias relinqueretur in morali occasione peccandi, et eius propositum moraliter non potest iudicari efficax, quando convincitur esse in magna mora, et posse et non facere (4) ». — Neque tamen universalis regula in his casibus statui debet; cum fieri possit, ut licet alias semel et iterum admonitus occasionem non dimiserit, nunc tamen evidentiora signa mutatae voluntatis praeseferat, ut eius promissio acceptari eique Absolutio dari possit (5).

Nota. Dicta de hisce occasionariis applicari possunt iis generatim quibus specialis quaedam obligatio gravis et difficilis eaque statim moraliter implenda incumbit.

---

(1) Cfr. n. 384 sq.

(2) Ball.-Palm. n. 176, ed. 3ª n. 110.

(3) Ideo consilium hoc passim datur de occasione *continua*. Quamquam, ut merito notat Berardi, interdum idem prorsus est de occasione non-continua: quando nim. haec unico vel fere unico actu abrumpi potest, uti contingit inter concubinos in diversis domibus habitantes.

(4) Suarez Disp. XXXII. S. II. n. 3.

(5) Laymann Tr. VI, Cap. IV, n. 11.

Doctrina S. Alphonsi aliorumque recentiorum est, versantes in occasione voluntaria et continua generatim ne prima quidem vice absolvi posse priusquam occasionem dimiserint, quantumvis promittant se eam dimissuros esse. Ratio est probabile periculum infringendi propositum. Quare poenitens, qui hoc *advertens* vellet huic periculo temere se exponere esset indispositus, et Confessarius ex officio *tum iudicis tum medici* tenetur huiusmodi poenitenti Absolutionem differre. Si autem poenitens hoc periculum *non adverteret,* Confessarius absolvendo ageret contra officium *medici.* 405.

Haec itaque doctrina duo ponit: graviter peccare eum qui se probabili peccandi periculo exponit; et dilationem Absolutionis esse medium unicum et necessarium. — *Sed utrumque multum abest ut certum sit.* Cfr. supra n. 400. I, 2.

Resolutio de occasione necessaria. 406.

Constitutus in tali poenitens absolvi potest *dummodo paratus* sit adhibere *media apta* removendo peccandi periculo. Absolvi potest: ratio est, quia ob causam proportionatam peccandi periculo sese exponere peccatum non est; ratio conditionis: quia periculum proximum peccati formalis semper, quoad eius fieri potest, vitari debet.

Remedia hujusmodi occasionario assignanda triplicis sunt generis: oportet. 407.

1°. Diminuere vim occasionis. Non raro pauca verba forti animo dicta, seria comminatio, aut exprobratio, hiatus oris ad clamandum, referre rem alicui qui potest remedium apponere, sufficiunt ut perfidus insidiator animo deiiciatur et ab omni molestia cesset. Deinde debet vitare ne solus cum sola versetur, fugere omnem familiaritatem, et, quantum fieri potest, etiam aspectum complicis, de eo non loqui, non cogitare, et similia.

2°. Diminuere vim passionis, nullum praebendo ei fomentum per otium, libertatem sensuum, pravas cogitationes, pravas lectiones, intemperantiam etc.: item illam subiiciendo per laborem, ieiunium et alias macerationes, si possit.

3°. Augere vires spirituales, oratione, frequentatione Sacramentorum et meditatione aeternarum veritatum (1).

(1) Berardi Op. cit. n. 79 sqq.; Artnys n. 308.

408. S. Alphonsus etiam hic censet, ut plurimum expedire ut Absolutio differatur, donec poenitens emendationem vel saltem diligentiam in mediis adhibendis ostendat.

Alii econtra cum S. Leonardo censent praestare plerumque ut Absolutio concedatur. Sed

409. Aliud est de eo qui media adhibere omnino vel partim neglexit. Ei ut differatur Absolutio *utile* remedium esse *potest*, quo ad maiorem diligentiam moveatur. — Imo si *saepius* inconstans et infidelis revertatur, dilatio *necessaria* esse *potest* secundum n. 398 et 402.

410. S. Alphonsus (1) cum La Croix ponit casum occasionarii, qui adhibitis etiam remediis eodem semper modo relabitur: et cum eodem resolvit talem non esse absolvendum nisi occasionem deseruerit, etiam, si opus, cum vitae iactura. — Verum haec doctrina non solum praeter, ne dicam contra communem aliorum (2), sed etiam difficilis est tum intellectu tum usu. Difficile intelligitur poenitentem qui diligenter media apta adhibeat, paulatim saltem non emendari; neque enim ita cito exhausta habenda sunt media quae suaderi possint. Et periculose profecto exigeretur a poenitente, ut subeat « iacturam omnium bonorum fortunae, famae, vitae ».

Practice ergo potius coniiciendum videtur vèl media satis apta hucusque non esse proposita, et alia suadeantur; vèl poenitentem non sat diligenter media adhibuisse, et tentari potest ad eius socordiam vincendam dilatio Absolutionis (3).

ARTICULUS III.

DE NONNULLIS OCCASIONIBUS IN PARTICULARI.

§ I. — *De Procationibus.*

411. **I. Visitationes** adamantium intuitu Matrimonii ineundi hinc in plerisque iam regionibus ita moribus inoluerunt, ut *necessariae* dici debeant; illinc vero facile nimis *periculosae*

(1) N. 457.
(2) Ut fatetur ipse La Croix.
(3) Cfr. Ball.-Palm. n. 192 sqq., ed. 3ª. n. 119 sqq.

evadunt. Quamquam saepesaepius non tam ipsa conversatio quam eius adiuncta periculum creant. Quare prima et praecipua Parochorum et Confessariorum cura esse debet, ut iuvenes aptis adhibitis cautelis periculum praecaveant vel removeant.

II. Cautelae istae praecipue sunt:

1°. Ut adamantes *sub eodem tecto non habitent.*

2°. Ut *parentum,* vel eorum qui ipsis loco parentum sunt, *consensum quamprimum obtineant;* quo clandestinae praesertim conversationes evitentur. Dicitur « quamprimum »: aliqua namque initia amoris, etiam parentibus non admonitis, tolerari possunt. Haec enim, quia confidentia nondum adest, non solent esse ita periculosa (1); et, quum iuvenes timore repulsae non audeant statim se offerre parentibus puellae, nisi huius ipsius affectionem prius secreto cognoverint, quasi necessaria videntur (2).

3°. *Ne ex industria vel saepius solus cum sola versentur, praesertim ne clanculo, tempore nocturno.* — Aliud enim est si soli remaneant fortuito, puta matre brevibus momentis propter domestica negotia discedente; aliud si circumstantiam istam malitiose quaerant. Item aliud est esse solos sed non in plena libertate, v. gr. dum iuvenis puellam per publicam viam comitatur; aliud esse solos et in plena vel sufficiente libertate, ut dum nemo domi adest vel omnes dormiunt, vel in cubiculo clauso, vel dum puella noctu comitatur iuvenem ad ostium domus, vel in agro longe a domo, in vico solitario horis nocturnis, vel apud mulierem lenocinium exercentem etc. Aliud quoque est esse solos aliquando rarissime; aliud frequenter (3). — Quod quidem potissime ad eos pertinet qui eorum curam gerunt. Cum parentibus itaque et praesertim cum matribus severissime agendum est, gravisque obligatio urgenda

---

(1) Eadem ratione tolerari haec amoris initia possunt etiam inter eos adolescentes, qui, quamvis de matrimonio vix cogitent, hoc tamen neque omnino excludunt; dummodo tamen probi sint, nec nimis iuvenes et diligenter caveant a periculosis conversationis adiunctis. Accedit hanc apud nos esse viam satis communem qua Matrimonii intentio concipitur, et ad ipsum tandem pervenitur; ut notat V. d. Velden.

(2) Berardi. Op. cit.

(3) Ib. ib.

huius vigilis custodiae et cautelae (1). — Speciatim autem corrupti ab omni solitaria conversatione cum puellis arcendi sunt tamquam ab occasione relative proxima.

4°. *Ne,* si quando contingat ut soli versentur, *inter se appropinquent,* quo periculum caveatur impudicorum tactuum etc.

5°. *Ne visitationes sint nimis frequentes, neve nimis protractae.*

Quod adamantes *solus cum sola* versantur, *saepe puellae magis* quam amasio culpae vertendum est. Puella namque saepius hoc praevenire potest rogando parentes vel saltem et maxime matrem, vel huius defectu sororem, ut praesente amasio numquam discedant. — Quod vero visitationes *nimium multiplicantur vel diutius protrahuntur, amasio plerumque* culpae verti debet, quandoque tamen etiam puellae. Quare ut plurimum quoad prius Confessarius severius agere debet cum amasia, quoad alterum cum amasio.

6° *Ut spiritualibus subsidiis speciali modo se muniant,* praecipue frequentia Sacramentorum.

412. I. Si procatio iam occasio proxima facta sit, haec *practice* saltem et ut plurimum *necessaria* haberi *debebit,* sed et rationabiliter *poterit, dummodo et intuitu et spe Matrimonii* fiat.

Debebit; quia in praxi amasii qui vere Matrimonium inter se intendunt, vix umquam consentiunt, vel sat firma voluntate consentiunt abruptioni, sed si forte urgente Confessario consentiunt, plerumque post tempus procationem redintegrant; et erunt novissima peiora prioribus.

Poterit: quia ipsum Matrimonium intentum et speratum praebet causam (2). — In hac itaque hypothesi

II. Attendatur: 1° num forte commissa peccata notoria sint, ita ut scandali reparandi et vitandi causa ad tempus

(1) Ball. ad Gury I, n. 413, II.

(2) Quas ob rationes minus necessarium et practicum habeo illud quod alii suadent, ut nempe abruptioni insistatur, si alia nubendi occasio expectari, praesenti vero sine gravi incommodo renuntiari possit. — Aliud est, si graves rationes ipsum etiam Matrimonium inter hosce procantes dissuadent.

abstinendum sit a visitationibus, donec nempe Matrimonii celebratio instare noscatur. Attendatur

2° Num ipsa conversatio an potius eius adiuncta periculum crearint. Si prius — id quod praesertim accidit si peccata completa admissa fuerint — etiam hanc propter rationem debet Confessarius insistere visitationum interruptioni ad tempus longius breviusve pro circumstantiis, praecipue celebrandi Matrimonii magis minusve distantis, et turpis amoris seu concupiscentiae magis minusve aestuantis. *Interea* autem id quam maxime adamantibus inculcandum est ut piis operibus diligentem operam navent, praesertim Sacramentorum frequentationi. *Postea* vero necesse erit exigere ut solus cum sola conversari, quam maxime poterunt, evitent.

§ II. — *De Concubinatu.*

I. Quandocumque fieri potest, concubinatus occasio physice tollenda est, sive per matrimonium sive per separationem, praesertim si concubinarii in eadem domo habitant. Nec permittendum ut moraliter tantum occasio deseratur, nisi valde gravis causa hoc omnino necessarium esse ostendat. Periculum enim est quam maximum. **413.**

II. Matrimonium, si infelices exitus non timentur, imprimis suadendum est, quia tutissimum et quandoque unicum est remedium. Quod maxime urget, quando separatio vèl moraliter fieri non potest, vèl non videtur efficax ad periculum perpetuo tollendum, puta si concubinarii nimio amore mutuo aestuant. Attamen etiamsi matrimonium inire complices statuant, si non statim celebratur, separandi interim sunt quum moraliter fieri potest.

III. Caveant autem Confessarii et Parochi, ne facile ad matrimonium secretum seu conscientiae confugiant, *extra casum* vèl morbi certe lethalis, vèl quo concubinarii publice reputantur coniuges. Secus enim aderit periculum divortii; et quum *occultus* est concubinatus, periculum vèl scandali si proles gignatur, vèl perpetui onanismi ne scandalum oriatur. Neque satis prae-

cavetur scandalum mittendo proles susceptas ad brephotrophium; nam periculum vulgationis nihilominus adest (1).

414. I. Quum ad matrimonium deveniri nequit, plerumque expedit ut ante Absolutionem exigatur separatio; idque tum maxime quando agitur de concubinatu iam inveterato (2).

II. Si separatio fieri non possit statim — eo quod e. gr. famula, quae ad domum paternam redire nequit, prius quaerere debet aliud servitium a simili periculo immune; vel concubinus suam complicem sine vero scandalo, aliove gravi incommodo, praesertim famae damno, dimittere nequit — tunc *complicibus danda est opera* ut separationem quamprimum facere possint; interim vero omni quo fieri potest modo, vitent periculum; neque nimis facilis esse debet Confessarius ad eos absolvendos, si iuncta diligenter non exequantur. Quae, ut patet, a fortiori urgent, si propter gravissimam causam separatio nequaquam vel non intra breve tempus obtineri poterit.

415. Media adhibenda, praeter indicata n. 407, sunt praecipue:

1° Si concubinus noctu ad complicem accedat, haec ianuam ita claudat ut ipse illam aperire nequeat; vel, si fieri possit, curet ut alia femina secum dormiat.

2° Aperte concubina complici denuntiet, se nolle amplius talem vitam ducere, eique quovis modo resistat. — Idem pariter concubinus complici denuntiet, eam praeterea serio rogans ut, si forte tentatione victus eam rursus sollicitaverit, omni modo resistat, addita etiam promissione praemii alicuius si impedierit.

3° In casu *extremo,* si concubinus habet uxorem, huic concubina rem, totam vel partim, patefaciat (3).

416. Si complices diversis in domibus habitant, res est facilior, maxime ex parte concubini. Concubina praecipue:

1° *Caveat ne* concubino advenienti *ianuam aperiat.*

2° Curet *ne sola* habitet, neve umquam sola inveniatur.

3° Quandoque suaderi poterit ut mutet domicilium (4).

---

(1) Berardi Op. cit. n. 119; Aertnys n. 316.

(2) Cfr. n. 404.

(3) Berardi Op. cit. n. 139; Aertnys l. c. II.

(4) Berardi ib. n. 141; Aetnys l. c.

Nota. In casu concubinatus publici pro Absolutione, et magis pro Communione concedenda ratio habenda est scandali publici reparandi; cfr. n. sq. II et III.

Publicus concubinarius moribundus. 417.

I. Si iam sit sensibus destitutus, absolvi debet sub conditione, atque etiam S. Oleo inungi; non enim dici potest in manifesto peccato mori, *nisi* ante sensuum destitutionem Sacramenta expresse recusaverit.

II. Si sensibus utatur, attamen in extremis versetur, ita ut neque matrimonium contrahendi neque separationem efficiendi tempus suppetat, concubinarius *ad poenitentiam reductus* absolvi debet et reliquis Sacramentis muniri. — *Curandum* tamen, quantum fieri potest, ut complex se non praesentet; atque ut moribundus scandalum reparet, sive per seipsum sive per Sacerdotem coram testibus veniam petendo (1). Ceterum hac etiam veniae petitione seclusa, si fieri commode non possit, populus facillime credit moribundum dolore criminum suorum esse contritum, neque scandalizatur si Sacerdos ei Viaticum deferat.

III. Si infirmitas moram patiatur, *ita ut* aegroto tempus, modusque suppetat tollendi tum scandalum tum occasionem relapsus, non externi solum sed etiam interni, *sive ope matrimonii sive ope separationis,* non est absolvendus — secundum dicta n. 404 et 414, I, minus autem aliis Sacramentis muniendus est — priusquam scandalum reparaverit, occasionemque removerit.

Si neutrum, matrimonium vel separatio, fieri possit, oportet ut hanc impossibilitatem coram testibus, quamprimum divulgandam, declaret, simulque promittat se, si forte convaluerit, separationem effecturum, ac nullum amplius cum complice commercium habiturum. Praeterea adhibeantur media indicata n. 407 (2).

In casu concubinatus *occulti* eodem modo agendum 418.
est; sed, quia scandalum abest, adhibendi testes non sunt.

Concubina, si periculose decumbat *in domo propria,* agendum ut supra n. 416; si *apud concubinarium,* uti plerumque

(1) Rit. Rom. Tit. IV, Cap. IV, n. 1.
(2) Berardi ib. n. 148; Aertnys n. 319.

contingit, ipsa, si possit, vel alius pro ea curet ut in aliquo hospitio vel alia domo recipiatur.

§ III. *De nonnullis periculis domesticis.*

419. Quid 1° si maritus vel herus cum ancilla vel alia femina cohabitante; 2° si filiusfamilias cum ancilla; 3° si famulus cum ancilla vel filiafamilias sint in occasione peccandi?

Resp. I. Imprimis videndum est, num ipsa cohabitatio periculum afferat, an aliqua circumstantia potius, ut inutilis conversatio solius cum sola. — *Si posterius, et* certo sperare licet hanc circumstantiam vitatum iri sine separatione, hoc sufficiet. Plerumque tamen si cohabitantes iam diu peccare consueverunt, res erit valde periculosa. — *Si prius,* videatur num peccata commissa potissimum fuerint interna vel fere ex parte unius tantum; hoc enim casu maior est spes occasionem per media opportuna faciendi remotam. Secus

II. Videndum num vere iusta causa adsit permanendi saltem ad tempus, puta durantis contractus, in occasione orta ex ipsa cohabitatione. — Notum porro est, ab aliquibus, ut in occasione, quam amant, permanere possint, afferri meros praetextus, non veras rationes.

III. Speciatim, praesertim in 2° et 3° casu, inter alia remedia multum iuvare poterit, si puella complici minetur se rem patri, matri, hero vel uxori delaturam; et si minae non sufficiant, rem reapse referat, sive per se sive per aliam idoneam personam (2).

420. Quomodo procedendum est cum adolescente qui in proximo periculo versatur propter fratrem in eodem lecto cubantem, a quo turpiter tangitur?

Resp. I. Si sperare possit lecti mutationem, tenetur hoc medium adhibere; imo si ad hunc finem opus sit, secreto admonere parentes de fratris impudicitia.

II. Si lecti mutationem sperare nequeat, ob extremam parentum sive paupertatem sive negligentiam, contingere potest ut vel

(1) Cfr. Theol. Mechl. n. 94.

ipse Confessarius vêl Parochus huic scandalo providere valeat. Quae spes si adsit, hortandus est poenitens ut Confessarium extra Confessionem vel Parochum commoneat.

Quodsi nulla via suppetat ad obtinendam lecti mutationem, tractandus est ut constitutus in occasione necessaria.

Idem dicendum de famulo in eodem lecto cubante cum alio; quamdiu famulatum deserere nequit (1).

CAPUT SECUNDUM.

DE MORIBUNDIS ABSOLVENDIS (2).

421. I. Valide et licite absolvitur moribundus loquela, sensibus vel ratione destitutus, « si confitendi desiderium sive per se sive per alios ostenderit (3) ». Ratio: quia habetur confessio tacita et in necessitate sufficiens. — Absolvendus est eiusmodi poenitens absolute quum signa doloris certa vel probabilia sunt vel fuerunt; sin vero dubia, sub conditione.

II. Quodsi talis infirmus nullum speciale signum doloris ac voluntatis confitendi dat vel dedit, tamen si catholicus est et pie ac christiane vixit, sub conditione absolvi licite potest: non ea ipsa ratione, quod sola anteacta vita bona est signum sufficiens praesentis dispositionis aut confessionem constituit in ordine ad Absolutionem; sed quod talis prudenter et rectissime creditur exhibuisse vel potius nunc exhibere signa aliqua doloris in ordine ad Sacramentum, quamvis ego illa non intelligam, adeoque saltem signa dubia in ipso adverto. Ita recentiores iam communius docent.

III. S. Lig. (4) idem extendit ad eum qui in ipso actu peccati sensibus destitutus fuit, quia et hic merito credi

(1) Cfr. Aertnys n. 350.
(2) Sporer n. 636 sqq.
(3) Rit. Rom. Tit. III, Cap, I, n. 24.
(4) N. 483.

potest, in proximo damnationis periculo constitutus, velle omni modo aeternae suae saluti consulere. — Ad quod merito Génicot (1): « Quae ratio si admittitur, non apparet quare idem non sit dicendum de eo qui parum christiane vixerit, sed tamen in Ecclesia manserit (2); vel etiam de eo qui, postquam Sacerdotem repulit, sensibus destitutus iacet (3) ».

IV. Haereticum moribundum absolvi posse, etiamsi det signa poenitentiae, negat S. Lig. l. c., quia credi prudenter nequit velle Sacramentum, quippe ab hoc summopere abhorret. « Ergo, concludit D' Annibale (4), si probabile sit non abhorrere, puta si rudis et bonae fidei homo sit, vel animum a Catholica Religione non alienum ostendit, et huic dari potest » Absolutio.

V. « Si autem tractandum est cum acatholico sensibus non destituto, quem propter instantem mortem et propter periculum inducendi gravem tentationem, cui forte succumbat, non possum prudenter aperte monere de vera Ecclesia: ante omnia *contritio perfecta* cum aliis actibus praeviis elicienda est; dein ut dari possit clam Absolutio conditionata, praestat eum adducere, ut se peccatorem coram Deo et me declaret, et concepto dolore de peccatis, etiam declaret sibi placere, ut per meum auxilium, in assequenda melius aeterna vita, quantum possim, ipse iuvetur. Nam quod aliquando dicitur, proponendum illi esse num, si sciret necessarium esse, vellet confiteri et absolvi, hoc in se nihil est: non enim quaeritur quid vellet, sed quid velit et re ipsa faciat. Summum tali velleitate dici potest includi etiam quamdam voluntatem et actualem accusationem non velleitate, sed voluntate praestitam; qua ratione explicatio non prorsus improbabilis conficitur (5) ».

422. Quoties moribundus absolvi potest?

Resp. I. « *Dum* infirmus adhuc *sensibus viget*, Absolutionem *pluries* ei conferri post brevem reconciliationem iuvabit ».

---

(1) N. 298. II.
(2) Lehmk. n. 514.
(3) Gennari *Cons. Mor.* Cas. 58.
(4) N. 317.
(5) Lehmk. n. 515.

II. « *Si* infirmus iam *sensibus caret,* non expedit saepius intra eumdem diem Absolutionem ei impertiri. Verum in hoc Sacerdos ex conscientia, quam noverit, infirmi se dirigere debet; nam si ille habituatus fuit in pravis cogitationibus, si aliquo vulnere moritur, aut aliqua odii vel impuri amoris passione est irretitus; si infirmitas est nimis acerba et ipse non libenti animo suffert, tunc saepius Absolutio dari potest; sin autem, sufficit ut trium aut quatuor horarum spatium intercedat; frequentius tamen, si iamiam moriturus est ».

« Non abs re erit aegrotum, dum mente pollet, monere ut, si loqui non possit, signum aliquod determinatum det, dum Absolutionem quaerit, aut dum Sacerdos ipsi conferre vult: ex. gr. oculos claudat vel reseret, manum elevet, caput inclinet et similia (1) ».

SECTIO IV.

DE CONFESSARII OBLIGATIONIBUS CONFESSIONEM SUBSEQUENTIBUS.

Ex Confessione sacramentali audita sequitur 1° per se et semper obligatio servandi sigilli; 2° per accidens quandoque obligatio corrigendi defectus commissos.

CAPUT PRIMUM.

DE SIGILLO SACRAMENTALI.

Notio. Sigilli vox duplici sensu sumitur: stricte pro obli- 423.
gatione non revelandi peccatorem, revelatio autem ponit occultum esse audientibus id quod refertur; late sumitur pro

(1) S. Lig. *Praxis* n. 276, 11. — Alia plura valde utilia de practica agendi ratione cum variis poenitentum generibus videsis apud AA. ex professo hac de re agentes; i. q. imprimis commendari merentur S. Lig. *Praxis Confessarii,* et Aertnys *Theologia Pastoralis.*

prohibitione generali usus notitiae sacramentalis, etiam talis usûs quo peccator non revelatur (1).

ARTICULUS I.

DE IPSA OBLIGATIONE SIGILLI SACRAMENTALIS (2).

424. **Assertio.** Existit obligatio gravissima tacendi in omni casu cognita ex Confessione Sacramentali, quandocumque huius notitiae usus redderet Confessionem odiosam.

I. Qualis? Obligatio haec saltem duplex est: 1° *principalis*, strictissima et huius sigilli *propria* est virtutis *religionis;* cuius obligationis ratio et finis est reverentia Sacramento debita et bonum commune fidelium; 2° *altera* obligatio est *iustitiae,* vi contractus taciti inter Confessarium et poenitentem; quae est obligatio secreti commissi. *Accedit* plerumque alia obligatio iustitiae illaesum servandi poenitentis ius, praecipue famae.

425. II. Quanta? Obligatio religionis est gravis ex genere suo toto, ita ut saltem *in directa laesione* sigilli non admittatur parvitas materiae. Ratio: quia in quantacumque materia semper habetur tota ratio obligationis.

Venialiter tantum peccari potest *ex imperfectione actus,* vel, quod ferme eodem redit, quando in revelatione indirecta periculum est ita remotum, seu ita parum probabile, ut si aliquo forte sequeretur casu, ea per accidens sequi censenda foret (3).

426. III. Quando? — 1. In omni casu, non obstante quacumque vel gravissima causa, manet haec obligatio. Ratio praecipua et quae multis sola sufficiens et efficax videtur (4) est, quia nullum bonum praeponderat bono spirituali et communi fidelium (5). Quare

---

(1) Sensus strictus attenditur ubi agitur de poenis in iure contra violatores sigilli sancitis; latus vero, ubi de obligatione Confessariorum non utendi notitia sacramentali.

(2) Sporer. n. 807 sqq.

(3) Gury n. 461, Ed. Palm.

(4) Cfr. tamen n. 428, IV.

(5) Maxima difficultes oriri potest, etsi rarissime, ex eo quod neque ullo umquam casu *facere* licet aliquid intrinsece mali. Casum fictum ab aliis aliter

1° Contingere potest ut in ipsa Confessione poenitens, etiam sub denegatione Absolutionis, urgendus sit ad avertendum, si adhuc possit, per se vel per alium periculum imminens: post Confessionem vero, si a poenitente nihil effectum sit, Confessarius solum et summum generatim de periculo cavendo admonere potest, dummodo nempe nullum subsit periculum quidquam contra poenitentem suspicandi; magna enim hic cautione et circumspectione opus est.

2° Confessarius de auditis in Confessione a quocumque, etiam iudice, interrogatus, si responsionem subterfugere nequeat, potest et debet, etiam cum iuramento si opus sit, negare se quidquam audivisse vel scire, cum restrictione mentali intelligendo: quod tibi dicere possim; idque etiamsi interrogans talem restrictionem ex proposito excludat (1).

2. Est obligatio etiam in dubio sive facti, puta num notitia sacramentali an extra-sacramentali aliquid sciatur; sive iuris, seu num quid, ex Confessione notum, sub sigillo cadat, necne, num tale dictum vel factum laedat, necne sigillum. Quod intellige: quamdiu opinio sigillo favens est vere probabilis. Ita communissime AA. docent. Ratio semper eadem (2).

3. Neque ulla auctoritas humana ab hac obligatione dispensare vel quovis modo ei derogare potest. « Est enim notitia quae non naturali sed supernaturali potestate atque pro dominio quod Deus unus in conscientias habet, a Dei gerente vices, ipsius Dei nomine, conscientias scrutante obtinetur: atqui talia subducta sunt prorsus ab humana auctoritate (3) ».

---

resolutum Sporer n. 871 concludit dicendo: « In casu tam raro crede quod placet ». Et D'Annibale n. 359, nota 14 ait: « Nodum hunc solverint alii ». Equidem observari posse opinor, quod sigilli obligatio nullam admittit exceptionem, hoc probabiliter saltem non esse iuris naturalis sed positivi; cfr. n. 428, IV. — Aliter nodum solvit Lehmk. n. 468 in nota.

(1) Cfr. id quod dicetur sub 3.

(2) « Ceterum AA. qui... censent tantum *expedire* ut in hac materia a benignoribus opinionibus sequendis abstineamus, merito notant plerumque, quando speculative probabiliter tantum adest obligatio sigilli, certam legem obstare quominus Confessarius scientia sua utatur propter contractum tacite initum cum poenitente servandi secretum, vel propter scandalum quod passuri sint rudiores existimantes sigillum violari ». Génicot n. 380, III.

(3) Ball.-Palm. n. 899 p. med., ed. 3ª n. 591.

427. Solus poenitens licentiam dare potest qua obligatio sigilli tollatur, tota vel partim.

I. Licentia haec debet esse certa prorsus, libere omnino data, neque revocata. Certa: i. e. expressa vèl verbo vèl facto tali quod expressae concessioni aequivaleat. Quale factum adest, si ipse poenitens extra Confessionem loqui incipit de re in Confessione manifestata: quo tamen casu Confessarius non debet excedere materiam de qua poenitens verba fecerit.

Licentia mere praesumpta vel interpretativa practice communiter non admittitur. Ratio: quia hac in re Confessarii saepe decipi possent, indeque Confessio non parum suspecta et odiosa fieret.

II. Duplici modo poenitens hanc licentiam dare potest: *indefinite,* ita ut notitia fiat extra-sacramentalis; *definite,* ita ut ad determinatum tantum finem et manente sigillo Confessarius ea uti possit. Si posteriori modo licentia data est, eâ utens hoc alteri significare debet, ut hic sciat se sigillo obligari. Et quia plerumque hoc tantum modo licentia datur, in dubio sic data credi debet.

Nota cum Noldin (1) 1°: Confessarii raro, et solum in gravi necessitate, et ab iis tantum quorum consensum certo praesumere possunt, hanc licentiam petere debent. Experientia enim constat plerosque poenitentes aegre tantum extra Confessionem loqui de rebus ad eam pertinentibus, et ipsam petitionem eis iam molestam esse.

2° Obtenta poenitentis licentia potest Confessarius etiam alios, e. g. complicem monere. Melius autem in tali casu Confessarius poenitentem inducit ut rem alteri manifestet qui malo remedium afferre possit.

III. Sine licentia eiusmodi neque cum ipso poenitente de cognitis ex Confessione *extra eam* loqui licet: quamvis enim id non foret laesio sigilli stricte dicti, esset tamen late dicti (2).

428. Oritur obligatio haec sigilli ex omni et sola Confessione sacramentali.

---

(1) N. 221, *d* et *e*.

(2) N. 423. *In Confessione* subsequenti hoc non censetur contra sigillum, quia res agitur in eodem foro; neque *statim post Absolutionem, antequam* poenitens discessit, quia sacramentale iudicium adhuc moraliter perdurat.

I. Ex omni sive valida sive invalida vel etiam sacrilega Confessione.

Ex sola: eâ nim. quae in ordine ad Absolutionem sacramentalem facta est.

Non itaque oritur ex Confessione omnino ficta, sine ulla voluntate suscipiendi Sacramentum, sed solum facta animo vel confabulandi cum Confessario, vel eum convitiandi, vel eum seducendi, vel furandi, vel beneficium aliquod impetrandi, ut fit; etsi hoc casu adhuc prudenter saepe tacendum est.

II. Obligatio tamen restringitur ad ea quae ex sola Confessione, et non aliunde nota sunt. Non enim frangit sigillum, qui peccatum, etsi Confessione auditum, aliunde tamen sibi notum aliis refert, vel ea alia notitia utitur; dummodo id caute fiat, ne oriatur scandalum, et notitia extra Confessionem habita ne excedatur. Res praecipue practica Superioribus respectu subditorum.

III. Quid de confessione facta laico, vel clerico non-sacerdoti, vel etiam Sacerdoti sed iurisdictione carenti?

Resp. Distinguendum est.

1° Si quis tali ut Confessario habito, *bona fide* confessus est, Confessarius existimatus, sive dolo usus est sive non, sigillo sacramentali astringitur, ex communi sententia, quia Confessio ex mente confitentis sacramentalis fuit (1).

2° Si quis vero *sciens volens* non-sacerdoti confessus est, per errorem putans talem in tali casu, v. gr. urgentis necessitatis absolvere posse, verius, contra graves tamen AA., communiter negatur; quia talis Confessio nullo modo est sacramentalis, ne ex mente quidem poenitentis nisi valde erronea errore iuris crassissimo.

IV. Quo iure oritur? Fere communis sententia docet, posita institutione et obligatione huius Sacramenti, obligationem arctissimam oriri *ipso iure divino naturali.*

---

(1) Paucis negantibus consentit inter recentiores D'Annibale n. 357, qui tamen in nota 7 addit: « *ex rigore iuris:* nam sive ipse poenitentem decepit, sive decipi eum passus est, aequissimum est Confessarii obligatione teneri (sive ex delicto, sive quasi ex contractu) qui pro Confessario se gerit ». Dissensus ergo potius theoreticus quam practicus est; quod et notat Génicot n. 381 in fine.

Contra *non sufficere ius naturale* ad obligationem tam strictam, ut exposita est, quae nullo casu exceptionem admittat; sed hanc esse *ex speciali et positivo praecepto Christi,* docent alii aeque multi; idque Sporer probabilius videtur.

ARTICULUS II.

DE MATERIA SIGILLI SACRAMENTALIS (1).

429. **Regula generalis** est: sub sigillum cadunt omnia ex Confessione sacramentali nota, quorum revelatio redderet Sacramentum odiosum (2).

Speciatim. — I. Materia sigilli sunt:

1° omnia peccata mortalia tam in genere quam in specie v. gr. talem graviter peccasse, fornicatum esse.

2° Peccata etiam venialia in specie vel aliter plus minusve determinata, non autem in genere prorsus indefinito. Sc.: sigillum laederetur si Confessarii dicto vel facto intelligi daretur, talem vel multa vel graviora, vel denuo venialia commisisse; non autem si solummodo, talem aliquando in vita venialiter peccasse: hoc enim èt de omnibus constat, èt ex ipsa Confessione arguitur (3).

3° Complices poenitentis eorumque peccata, sive necessario sive libere illi manifestati sunt.

4° Satisfactio imposita, exceptâ levissima.

430. II. Sunt vel esse possunt materia sigilli:

5° Peccatorum circumstantiae et obiecta.

6° Conditio et status poenitentis. — Vide n. 432.

431. Ad 5^m^ et 6^m^. De hisce scribit De Lugo (4); « *Distinguendum* videtur circa eiusmodi circumstantias et recurrendum omnino *ad*

---

(1) Sporer n. 824 sqq.

(2) Vox: revelatio etc. in hac materia plerumque late sumitur; cfr. n. 423 sq.

(3) Ceterum merito observat Gousset n. 513: « Quoi qu'il en soit cette conduite du Confesseur [qui diceret: talis poenitens solum venialia confessus est] serait souverainement blâmable: elle ne pourrait que scandaliser les fidèles, et produire un très mauvais effet ».

(4) Disp. XXIII, S. IV, n. 37.

intentionem poenitentis; qui aliquando eas narrat solum quasi praesuppositive et quasi extra Confessionem, ut aliquam notitiam praesuppositam det Confessario ad melius intelligendum postea suum statum, volens supplere notitiam communem quae deest Confessario de eius persona aut de aliis rebus publicis, quae per accidens Confessarius ignorat: et haec *non videntur* committi sub sigillo *quando* non sunt peccata. Alia vero dicit poenitens coactus (1), ut manifestet suum peccatum; quae non diceret nisi ad eum finem: et haec *videntur* ab eo dici sub eodem sigillo... Et hoc modo videtur dicere *omnia* quae dicit, *nisi* ex ipsa publicitate rei constet solum priori modo dicta esse ».

« Unde cum proportione idem credo de peccato alieno, quod est circumstantia peccati proprii, v. gr. si poenitens dicat: « accuso me quod gravisus sum de illo homicidio vel rixa heri in foro facta » ; quam licet Sacerdos per accidens ignorasset, cum publica esset, nihil refert.

7° Defectus poenitentis sive naturales sive morales. Qui 1) *certo* et ex communi, contra paucos, sub sigillum cadunt, *si* ab ipso poenitente fuerint manifestati ad explicanda peccata. *Secus,* si poenitens eos fortuito vel ut non pertinentes ad Confessionem detexerit; cfr. dicta n. pr. — 2) *Probabilius* secundum plures (2), *etiamsi* defectus illi Confessario innotescant ex actionibus ipsius poenitentis, sive ex modo confitendi, *si* tamen odiosi sunt. *Secus, si* opprobrio non sunt et iam communiter innotescunt, ut surditas, caecitas etc., ita ut constet poenitentem ex illius defectus manifestatione minime gravari. 432.

8° Scrupuli qui exponuntur ut peccata certo cadunt sub sigillum. — *De scrupulositate* resolvendum ut de defectibus.

9° Virtutes et dona Dei extraordinaria *non* cadunt sub sigillum (3), *si* tantum manifestantur ut status animae Confessario

(1) Quod sensu latiori intellige; ut exponit ipse A. l. n. 59: « Infero non solum pertinere ad hoc sigillum illa quae necessaria sunt omnino, sed etiam ea quae utilia sunt, vel certe a poenitente aestimantur utilia ad melius declarandum suum peccatum ».

(2) Contra de Lugo.

(3) Quamquam ex intentione poenitentis cadere possunt sub secretum naturale et commissum. Quod idem in pluribus casibus similibus est observandum.

innotescat; *secus* vero probabiliter si ad melius declarandum peccatum vel propriam ingratitudinem erga Deum exposita fuerunt (1).

ARTICULUS III.

DE SUBIECTO SIGILLI SACRAMENTALIS (2).

433. **Regula generalis**: Praeter Confessarium principaliter obligatum, secundario sigillo obligantur omnes ad quos Confessionis notitia immediate vel mediate, iuste vel iniuste pervenit.

Speciatim. I. Confessarius ipse, etiam fictus, secundum dicta n. 428, III.

II. Audientes confitentem sive casu sive ex malitia vel de industria (3), nisi forte quis palam, idque libere, confessus est.

III. Ii quibus Confessarius *sine* poenitentis licentia vel cum licentia limitata (4) aliquid revelavit.

IV. Superior a quo poenitens sive per se sive per Confessarium petit licentiam absolvendi a reservatis, etc.

V. Interpres, certo si necessario (5) adhibitus est; secus: probabilius. Cui aequiparandus *scribens* qui coram Confessario pro poenitente peccata huius scribit; alias cfr. id quod sequitur.

VI. Legens chartam seu Confessionem scriptam alterius

1° *Per se* sigillo *non* videtur teneri; si nim. charta scripta non est vel fuit nisi libera (6) praeparatio Confessionis faciendae vel factae. Ratio: quia talis charta neque est Confessio neque me-

---

(1) Ita De Lugo l. c, n. 58; S. Lig. n. 641, III; Bened. XIV; alii. Sed alii aliter: cfr. Ball.-Palm. n. 952 sqq. ed. 3ª n. 631 et infra dicenda de laesione indirecta sigilli, quae nim. saepius contingere potest per ea etiam quae ipsa ad sigillum non pertinere dicuntur; quod et in similibus observetur.

(2) Sporer n. 845 sqq.

(3) Posteriores eo ipso iam *violati* sigilli *reos* esse, per se patet.

(4) Cfr. n. 427, II.

(5) Quod intellige non de necessitate praecepti, sed de necessitate putativa, vel de necessitate ad integre confitendum.

(6) Cfr. quod dicetur sub 2°, 4).

dium de se ad eam ordinatum. Et probatur a pari: quia neque tenetur is qui alium alta voce sese praeparantem audivit. Ita hodie satis communiter ut certum docent. Sed

2° *Tenetur* 1) *certo* legens chartam traditam Confessario, *dum* hic eam legit. — Quod aeque certum puto, etsi ipse poenitens ex charta suam legat Confessionem; tum enim legens, si non audiat, aequiparandus tamen videtur audienti confitentem. 2) *Satis certo* item obligatur qui in priori hypothesi *post* Confessionem legit chartam nondum poenitenti redditam. 3) *Probabiliter* saltem obligatio contrahitur, si poenitens chartam a Confessario lectam et sibi redditam amisit, vel quavis causa non libere servavit. 4) *Probabiliter* item obligatur, qui ante vel post Confessionem legit chartam quae est vel fuit medium necessarium (1) Confessionis.

VII. Legens epistolam ad Superiorem datam pro facultate absolvendi a reservatis vel simili causa, sigillo obligatur; quia huiusmodi scriptura vere est ad Sacramentum ordinata, et vèl quasi inchoata Confessio, vèl huius complementum (2).

ARTICULUS IV.

DE SIGILLI VIOLATIONE SEU DE USU LICITO ET ILLICITO NOTITIAE SACRAMENTALIS (3).

I. Violationem Sigilli dicimus non solum revelationem pro- **434.**
prie dictam sed *generatim* omnem *usum illicitum* notitiae sacramentalis; n. 423.

II. De absoluta prohibitione *revelationis proprie dictae,* sive *directae* sive *indirectae,* nullum quidem hodie est dubium. Sed praeterea saltem generatim, et cum plerisque nos dicimus: absolute et semper (4) illicitus est omnis usus notitiae sacramentalis, qui quovis modo cedit in gravamen poenitentis, vel Confessionem reddit odiosam et difficiliorem.

---

(1) Ut sub V de interprete notatum est.
(2) Cfr. Ball.-Palm. n. 931 sq., ed. 3ª n. 639.
(3) Sporer n. 861 sqq.
(4) Pro ratione cfr. supra dicta et n. sq.

III. Haec etiam sigilli violatio, in sensu latiori, distingui potest directa et indirecta prout usu notitiae sacramentalis proxime incommodum poenitenti excitatur, vel huius solum periculi causa ponitur.

IV. Non requiritur ad sigilli violationem, quovis sensu sumptam, ut is quocum loquor (1) advertat me ex Confessione loqui; sufficit ut ego vere id faciam. — *Fieri tamen potest* ut ideo solum violem sigillum, quia significo me ex Confessione loqui, cum aliter non laederem. Quod praesertim accidere potest loquendo de conditione, statu vel defectibus poenitentis. Ceterum coram laicis hoc saltem facile scandalosum est.

V. Neque requiritur ut persona poenitentis reipsa cognoscatur ab eo coram quo loquor; satis est ut circumstantiae eiusmodi sint, ut poenitens ex iis quae narro satis determinatus sit; vel ut ex narratis poenitens cognosci vel fundata suspicio concipi *possit* (2).

435. Ceterum ut notitiae sacramentalis usus licitus ab illicito distinguatur, faciunt ex pluribus selecta duo S. Sedis documenta.

Prius spectat, proxime sed non ideo solos, Superiores Regulares; est Decretum Clementis VIII 26 Maii 1594: « Tam Superiores pro tempore existentes quam Confessarii qui postea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia quam de aliorum peccatis in Confessione habuerunt, ad externam gubernationem utantur ». Hoc ergo est absolute prohibitum (3).

Alterum magis seu prorsus universale, spectans quoslibet Confessarios vel notitiam sacramentalem habentes, est propositio prohibita Decreto S. Inq. 18 Nov. 1682 auctoritate Innoc. XI: « Scientia ex Confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa aut indirecta revelatione et gravamine poenitentis, nisi aliud multo maius ex non usu sequatur, in cuius comparatione prius merito contemnatur. Addita deinde explicatione sive limitatione, quod sit

(1) De ipso poenitente vide n. 437.
(2) Cfr. Lehmk. n. 465.
(3) Cfr. tamen n. 438, 4°.

intelligenda de usu scientiae ex Confessione acquisitae cum gravamine poenitentis, seclusa quacumque revelatione, atque in casu quo multo maius gravamen eiusdem poenitentis ex non usu sequeretur ».

Statutum est: « dictam propositionem, quatenus admittit usum dictae scientiae cum gravamine poenitentis, omnino prohibendam esse, *etiam* cum dicta explicatione sive limitatione (1) ».

Reiicienda itaque est doctrina plurium antiquiorum (2) qui docebant vèl 436.

1. Licere Confessario uti eiusmodi notitia ad sui defensionem, v. gr. evadendam mortem, *quum adverterent alii, qui aliunde iam sciebant* v. gr. complices peccati; idque *etiamsi* ipsi poenitenti ex illo usu periculum mortis immineat. — Sed etiam sine huiusmodi speciali poenitentis gravamine talis usus absolute illicitus dicendus videtur, ut fere communiter semper docuerunt AA. Si enim contrarium doceri scirent fideles, hoc sufficeret ad eos communiter a Confessione deterrendos. — Vèl

2° Licere illum usum Confessario ad suiipsius gubernationem seu iustam incolumitatem exercendo nimirum actus non directe erga poenitentem, *licet contra ipsum aliqualiter recurrant,* sed potius erga seipsum, vel res suas, vel extrinseca aliqua impedimenta peccati poenitentis. — Quid iterum, si fideles putarent hoc licitum haberi?

Resolves generatim: posito abesse omnem revelationem, 437. quae semper est contra sigillum, ad usum licitum vel illicitum notitiae sacramentalis non refert, num ipse poenitens advertat vel animadversurus sit necne illum usum, sed solum num inde oriatur necne gravamen poenitentis vel odium seu maior difficultas Confessionis, vel haec orirentur necne, si nosceretur illum usum esse licitum.

Practice ergo, si res cum ipso poenitente vel erga ipsum agatur, *distinguendum est,* utrum agatur de re vel actione ipsi

---

(1) Denz. n. 1087.

(2) Quos sequitur Sporer.

grata an ingrata. Si ingrata, *nihil quoque refert* utrum poenitens sit rationabiliter invitus an irrationabiliter (1).

438. **Resolves speciatim.** I. Licet uti notititia sacramentali — prudenter tamen si quod forte subsit periculum revelationis, suspicionis vel gravaminis:

1° Ad orandum pro poenitente vel benignius erga eum agendum.

2° Ad consulendos libros vel sapientes.

3° Ad se dirigendum per experientiam ex Confessionibus acquisitam, v. gr. ad rigorem temperandum, prudentius interrogandum vel instruendum.

4°. Ad reformandos suos mores, ad corrigendos suos defectus, ad melius fungendum officio suo: v. gr. ad socordiam exuendam, ad invigilandum melius subditis (2). — Quo sensu neque illicitus est quilibet usus etiam ad gubernandum (3).

439. II. Violat, saltem indirecte, sigillum sacramentale:

1° Qui unum prae aliis, quos audivit, laudans dicit eum sola venialia commisisse.

2° Qui de peccato poenitentis, sola Confessione cognito, loquitur cum aliis qui hoc aliunde norunt.

3° Qui dicit se non absolvisse talem — nisi forte diceret se non absolvisse ex defectu materiae, et hoc dicendo non significaret indirecte contrarium de aliis poenitentibus — eum remisisse ad tale tempus, vel nondum absolvisse, vel nondum expletam esse Confessionem.

4° Qui alta voce vel alio modo a circumstantibus intelligibili arguit poenitentem. A fortiori autem qui nimis vocem extollendo repeteret peccata poenitentis, vel de eorum circumstantiis interrogaret.

5° Qui auditis paucorum Confessionibus dicit se tale peccatum audivisse. Item qui peccata ex Confessione cognita ita narraret ut audientes possint ratione aliqua coniicere vel suspicari quinam ea commiserint.

---

(1) Cfr. Ball.-Palm. n. 1009, ed. 3ª n. 664.

(2) Gury n. 671; Ed. Palm. n. 483.

(3) De Lugo D. XXIII, n. 101.

6° Qui loquitur cum alio Confessario de peccatis alicuius poenitentis, etiamsi is utrique eadem peccata confessus fuerit.

7° Qui narrans alicuius peccata quae etiam extra Confessionem cognovit, addit aliquam circumstantiam ex sola Confessione cognitam, vel qui utitur Confessionis notitia ad rem magis determinandam vel confirmandam.

8° Qui dicit se in tali monasterio audivisse peccatum grave. A fortiori qui diceret in conventu illo talia peccata committi. — Secus autem per se foret, si diceret se audivisse peccatum grave alicuius Religiosi in genere non nominando Ordinem. Sed a scandalo laicorum sedulo cavendum. Addo « per se », quia si ita loqueretur Confessarius qui non multos vel non varios plurium Ordinum Religiosos, vel non in variis locis audivit, casus non differret a praecedenti vel sequenti casu. — Quodsi nominatur Ordo, plerique censent violari sigillum.

9° Qui poenitentem post Confessionem oculo torvo aspicit, non eum alloquitur sicut prius facere solebat, vel ostendit verbis durioribus, gestibus, aliave agendi ratione se recordari peccatorum eius, de iis actu cogitare, et eum minoris quam antea facere (1).

Item qui ex notitia Confessionis poenitentem cubiculo includeret ne exeat âd peccandum, eum e famulatu dimitteret, ei claves auferret ne furetur, vel abstraheret claves vel pecuniam ab arca etc.; idque resolvendum etiamsi intra ipsam confessionem iuberet famulum reddere claves etc., quia gravamen vere inferretur extra Confessionem.

Item etiam qui ideo recusat ire ad audiendam Confessionem alicuius, quia e praecedentibus Confessionibus — nisi tamen hae mere et certo simulatae fuissent — novit eum accedere indispositum. Poterit tamen statim initio Confessionis dimitti reddita ei ratione...

10° Loqui de peccato vel vitio grassante in tali loco vel urbe violatio sigilli non est, si locus satis amplus est (2), et agitur de criminibus quae, utpote publica, novam diffamationem loco non inferant. — Est contra sigillum 1° si ex peccatis narratis et modo

(1) A casu 1° ad 9^{m} fere resolvimus cum Gury n. 665; ed Palm. n. 477.
(2) 3000 circiter catholicorum, ait S. Lig.

narrationis locus diffamationem patitur; 2° communiter si locus satis angustus est.

11° Loqui de peccato notorio determinatae personae contra sigillum est 1° si simul manifestatur Confessio, quam peccator publicus de eo peregit, etiamsi per se hoc cedere videretur in laudem poenitentis; 2° etiamsi ipsa Confessio cuiusdam poenitentis in individuo non manifestaretur — quum nempe peccatum est publicum, non vero eius auctor — imo etiamsi non animadverteretur Sacerdotem loqui ex notitia sacramentali; si tamen haec revelatio augeret seu confirmaret infamiam vêl communitatis cuius auctor peccati est membrum, vel multitudinis peccatorum inter quos ille fuit; ut si Sacerdos ex notitia sacramentali diceret: « auctor talis peccati, publice noti, est Sacerdos talis Dioecesis vel Provinciae, Religiosus talis Ordinis »; vel: « hodie aut hisce diebus mihi est confessus ».

440. Quaer. I° num violet sigillum qui dicit talem sibi esse confessum?

Resp. Negandum saltem *per se;* nam quod aliquis ad confitendum accedit, id cognoscitur extra Confessionem. Praeterea hoc non est per se odiosum, sed contra.

Aliquando tamen suspicio gravis peccati sic ingeri potest, praesertim si quis secreto accesserit. Quo casu plures dicunt violari sigillum (1), alii tamen secretum naturale tantum.

441. Quaer. II° num sigillum laedat qui dicit se absolvisse talem?

Resp. Negandum *per se.* Sed potest hoc in quibusdam adiunctis onerosum evadere aliis, de quibus idem dici non posset (2). Proinde parentes, magistri, heri interrogantes remittendi sunt ad ipsos poenitentes. Similes quaestiones facere solent moniales curae infirmorum in nosocomiis addictae, ut sciant num necessaria ad Viaticum ministrandum parare debeant. Quae pariter ad infirmos sunt remittendae; praecipue si idem Confessarius saepius vel plurium infirmorum in eodem nosocomio Confessiones excipit (3).

---

(1) Idque Sporer absolute docet et communissimum dicit.

(2) Quod periculum ut evitetur, in schedulis Confessionis numquam mentio fiat de *Absolutione.*

(3) Cfr. Gury n. 659; ed. Palm. n. 471.

Quaer. III° num Confessarius, ne sigillum violet, debeat dare schedulam Confessionis poenitenti indisposito eam petenti? 442.

Resp. I. Affirmandum ex sententia fere communi, contra plures (1), *etsi* poenitens schedulam petit *intra Confessionem, sed* iis in circumstantiis in quibus dari solet, vel exigitur, v. gr. a Superioribus vel Parocho. In casu tamen si confessarius sperat fore ut poenitens dilata Absolutione melius dispositus revertatur, nihil obstare videtur, quominus non statim det schedulam sed se daturum promittat cum reversus fuerit.

II. Dari debet a fortiori si petatur *extra Confessionem*.

III. Non est obligatio dandi si petatur *in Confessione extra circumstantias de quibus* sub I. — Quin, si abusus praevideatur, per se ne licet quidem dare, sed solum ob grave incommodum si quod timeatur.

IV. Neque est obligatio quoties poenitens *simulatam* Confessionem facit (2).

CAPUT SECUNDUM.

DE OBLIGATIONE CORRIGENDI DEFECTUS COMMISSOS (3).

Defectus committi potest 1° contra valorem Sacramenti vel contra accidentia; 2° cum vel sine damno poenitentis aliusve tertii; 3° cum vel sine gravi culpa; 4° positive vel negative seu omissione.

I. Defectus contra valorem commissus — qui accidit non vel invalide absolvendo qui absolvi debuit, vel absolvendo qui absolvi non potuit; et ponitur poenitens se absolutum iudicare — *per se et speculative* loquendo *semper corrigendus* est, idque ex iustitia, quia quoad hoc Confessarius, si minus vi muneris pastoralis, saltem vi taciti contractus erga poenitentem obligatur. Si ta- 443.

(1) Quibus adhaeret Sporer.
(2) Gury n. 661; ed. Palm. n. 473.
(3) Sporer n. 803 sqq.

men, ut plerumque est, corrigendo defectui incommodum non leve adnexum est, *practice distingui* debet. — Ex defectu commisso

1° Si grave periculum imminet poenitenti, puta aeternae damnationis vel saltem diuturnae permansionis in statu peccati mortalis — qui tamen casus non ita frequens est (1) — 1° Confessarius *sub gravi debet* periculum illud praecavere, quocumque modo defectus commissus est. 2° Obligatur etiam *cum gravi suo incommodo, si cum gravi culpa* erravit, vel — ex charitate — si forte poenitens est in extrema necessitate; secus si secus (2). 3° Cum plerumque defectus corrigi non possit, quin poenitens extra Confessionem de eo moneatur:

Quaer. *num licentia* poenitentis ante petenda sit?

Resp. Alii aliter resolvunt; et utramque oppositam sententiam Sporer dicit probabilem. Sed *distinguendum* videtur:

1) Si nihil opus est nisi ut poenitens absolvatur (3), negari potest; cum tunc nullum sit gravamen poenitentis; et in hoc recentiores satis communiter consentiunt.

2) Si vero aliquo saltem modo poenitentis peccatorum memoria refricanda sit — quod maxime accidit si ex illius ipsius parte fuerit obex — affirmandum omnino est; ob contrariam rationem.

2° Si tale periculum non sit — v. gr. quia poenitens iam iterum est et rite putatur confessus, vel brevi confessurûs certo creditur, etsi non integre; vel si bona fide et saltem attritus S. Communionem recepit, vel si partim solum invalide absolutus est, sc. a peccatis reservatis quae una cum aliis confessus est — *obligatio Confessarii,* de qua hic quaeritur (4), *vèl cessavit vèl certe non urget cum notabili incommodo.*

444. Quodsi poenitens, de quo n. pr.. *redeat ad confitendum penes eumdem* Confessarium, is eum inducat tantum ut se iterum globatim accuset de peccatis in praecedente Confessione declaratis et de eisdem iterum doleat; atque ita etiam absque ulla monitione

(1) Cfr. quod in altera hypothesi dicetur sub 2°.

(2) Cfr. Tr. de Rest.

(3) Cfr. n. sq.

(4) De integritate Confessionis proxime secuturae procuranda vid. n. sq. et 447, sq.

de invaliditate prioris Confessionis, directe ab omnibus peccatis absolvetur. Non liceret tamen, nulla monitione vel nova Confessione praemissa, iterum absolvere poenitentem, qui post aliquod intervallum iterum occurreret; nam cum potuerit novum peccatum commisisse, Sacramentum temere periculo nullitatis exponeretur (1), Aliud est, si huiusmodi periculum prorsus abest.

II. Si defectus sola accidentia respicit, et 445.

1° Si negative commissus est seu omissione, existit *per se* corrigendi seu supplendi *obligatio,* eaque talis, *si* et qualis aderat in ipsa Confessione; haec autem maior vel minor prout cum vel sine culpa defectus commissus est. At *practice* saepe *excusabit incommodum* vel Confessarii vel poenitentis (2).

2° Si positive commissus est hic defectus, iterum distinguendum est:

III. Si defectus cedit in damnum temporale vel spiri- 446.
rituale poenitentis aliusve tertii — v. gr. si Confessarius poenitentem immerito ad restitutionem obligavit, vel de ea excusavit; vel negavit obligationem vitandi occasionem peccati — Confessarii obligatio corrigendi defectum et damnum tempestive praecavendi *gravis* est, et *ex iustitia;* atque urget etiam *cum gravi incommodo, si* defectus cum gravi culpa est commissus (3).

IV. Si nemini nocet defectus commissus, sed eius causa 447.
solum quaepiam obligatio, puta maxime integrae Confessionis faciendae, a poenitente negligetur; *per se* et speculative aliqua certe *obligatio* defectum corrigendi adest; cum quisque cavere debet ne suâ causâ lex violetur. Estque obligatio haec gravior vel levior tum pro rei natura, tum prout cum vel sine gravi culpa defectus est commissus. Sed *practice* revolvendum secundum n. sq.

In omni hypothesi defectus accidentalis commissi, 448.
qui aliquo modo *tangit materiam sigilli, si extra Confessionem* poenitens de eo moneatur, *necessaria* est huius *licentia,* ut per se patet. Sed

---

(1) De Lugo D. XXII, n. 54; Génicot n. 376, I. 1°.

(2) Cfr. n. 448.

(3) Cfr. Tr. de Rest., ex quo praeterea resolvendum num vel quando oriatur onus restituendi.

1. Si poenitens rediturus creditur ad eumdem Confessarium, *plerumque* sufficiet *tunc* defectum corrigere.

2. Secus, vel si non satis tempestive, ad finem intentum, rediturus est: ut iudicium feratur de necessitate monendi poenitentem extra Confessionem, *praeter culpam* a Confessario admissam, pensanda *insuper* sunt hinc incommodum et detrimentum Confessarii in monendo, atque etiam qualecumque gravamen poenitentis in sermone instaurando de Confessionis materia; inde vero damnum vel periculum ex errore timendum; quod *vèl levius* esse potest, v. gr. si Confessarius per errorem dixerit poenitentem non obligari ad ieiunium vel ad Missam audiendam et huiusmodi; *vèl gravius,* si v. gr. Confessarius ita poenitentem deceperit, ut maneat in occasione proxima vel non tollat scandalum, vel contrahat invalidum Matrimonium, etc. (1).

Appendix de sollicitatione.

449. Leges particulares latas de sollicitatione, ita facta ut relationem quamdam habeat cum Confessione sacramentali, Greg. XV Const. *Universi gregis* 30 Aug. 1622 ad universam Ecclesiam extendit. S. C. O. 11 Febr. 1661 *sexdecim Decreta* (2) edidit Constt.

---

(1) Ball. ad Gury n. 652, II; edit. Palm. n. 455, II.

(2) Quae sunt: — 1. An sit denuntiandus Confessarius qui dat poenitenti chartam in Confessione, postea domi legendam, in qua ad venerem sollicitabat? Domini Qualificatores censuerunt esse denuntiandum, et negativam opinionem non esse probabilem.

2. An Confessarius consentiens sollicitationi, sed statim desistens de illa turpi materia loqui, differendo illius complementum ad aliud tempus et non praebendo Absolutionem poenitenti, incidat in poenas contentas in Bulla Gregorii et sit denuntiandus? Censuerunt incidere et Confessarium esse denuntiandum, reiecta opinione contraria, quam non esse probabilem censuerunt.

3. An Confessarius sollicitando propter parvitatem materiae sit denuntiandus? Cum in rebus venereis non detur parvitas materiae, et, si daretur, in re praesenti non daretur, censuerunt esse denuntiandum, et opinionem contrariam non esse probabilem.

4. An Confessarius qui feminam in confessionario dicentem se velle in crastinum confiteri, sollicitat et a Confessione dissuadet, sit denuntiandus? Si sollicitatio fiat extra locum Confessionis et absque praetextu Confessionis, censuerunt

pontiff. declarantia. Alex. VII 24 Sept. 1665 *duas propositiones* hac de re damnavit (1). Quae omnia Bened. XIV confirmavit Const. *Sacramentum Poenitentiae* 1 Jan. 1741. Accedunt tandem Const. eiusdem *Etsi pastoralis* (2); *Resp.* S. C. O. 25 April 1838 pro Missione Batava, et *Instr.* eiusdem S. C. 20 Febr. 1867; ex quibus

---

negativam opinionem esse probabilem: secus si in confessionario seu in loco confessionis.

5. An Sacerdos carens iurisdictione si sollicitat in Confessione poenitentem, sit denuntiandus? Censuerunt esse denuntiandum, et opinionem negativam non esse probabilem.

6. An interpres si sollicitat in Confessione poenitentem, sit denuntiandus? Censuerunt opinionem negativam non carere probabilitate.

7. An mandans Confessario ut in Confessione sollicitet, sit denuntiandus? Censuerunt opinionem negativam non carere sua probabilitate.

8. An quando Confessarius et poenitens invicem se sollicitant, Confessarius sit denuntiandus? Affirmative responderunt, et opinionem negativam non esse probabilem.

9. An Confessarius sollicitatus, si metu inductus sollicitationi consenserit, sit denuntiandus? Censuerunt esse denuntiandum, et negativam opinionem non esse probabilem.

10. An Confessarius incidat in poenas Constitutionis Apostolicae contra sollicitantes, si sollicitet mulierem in aliis Sacramentis, sc. Baptismi, Matrimonii, et sit denuntiandus, et denuntiatus possit ab Inquisitoribus puniri? Quoad utrumque articulum censuerunt opinionem negativam esse probabilem.

11. An Confessarius qui sollicitat poenitentem ad actus illicitos extra actus venereos, sit denuntiandus? Censuerunt opinionem negativam esse probabilem.

12. An Confessarius si laudet poenitentem de pulchritudine et venustate, dicatur illam sollicitare, et ideo sit denuntiandus? Censuerunt, si laus illa sit seria et nihil pravae intentionis redoleat, negativam opinionem esse probabilem. Si vero secus, non esse probabilem.

13. An sit denuntiandus Confessarius, si propter sollicitationem alterius abiuravit? Censuerunt opinionem negativam non esse probabilem, et ideo denuntiandum: quod etiam fuit resolutum die 26 Iulii 1628.

14. An quis teneatur denuntiare Confessarium sollicitantem, si hoc audivit non a fide dignis, sed solum a levibus personis? Censuerunt opinionem negativam non carere probabilitate.

15. An sit denuntiandus Confessarius, qui sedens in confessionario sollicitat mulierem stantem ante confessionarium, non simulando Confessionem? Censuerunt opinionem negativam non carere sua probabilitate.

16. An denuntiandus Confessarius qui audiens Confessionem dat donum mulieri, ita ut hoc facto dicatur illam sollicitasse? Idem responderunt quod ad 12^m.

(1) 6ª et 7ª; Denz. n. 977 sq.

(2) § IX, n. V.

constat leges contra sollicitantes latas in universa Ecclesia aeque esse observandas.

De hisce solum legibus hic agimus, non de aliis quibus idem denuntiandi onus imponitur, quaeque, in quantum sunt iuris positivi, apud nos generatim non sunt in vigore.

ARTICULUS I.

QUINAM ET QUIBUS CASIBUS EX IURE COMMUNI DENUNTIANDI SUNT TAMQUAM SOLLICITANTES?

450. **Denuntiandi** sunt: «omnes Sacerdotes (I) tam saeculares quam regulares, quomodolibet exempti.... cuiuscumque dignitatis et praeminentiae, aut quovis privilegio et indulto muniti, qui aliquem poenitentem, quaecumque persona illa sit (II), vèl in actu sacramentalis Confessionis (III), vèl ante vel immediate post Confessionem (IV), vèl occasione aut praetextu Confessionis (V), [«etiam Confessione non secuta» *Greg. XV.*]; vèl etiam extra occasionem Confessionis in confessionali, sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato, aut electo (VI), cum simulatione (VII) audiendi ibidem Confessionem, ad inhonesta et turpia (VIII) sollicitare vel provocare (IX) sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam aut tunc aut post legendam, tentaverint; aut cum eis illicitos et inhonestos (VIII) sermones vel tractatus (X) temerario ausu (XI) habuerint.... etiamsi Sacerdos sit qui iurisdictione.... careat; aut sollicitatio inter Confessarium et poenitentem mutua fuerit (XII); sive sollicitationi poenitens consenserit sive consensum minime praestiterit; vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit (XIII); aut sollicitatio a Confessario non pro seipso, sed pro alia persona peracta fuerit (1)».

451. **Explicatur. — I. De sollicitante.**

Ad I. «Sacerdotes» omnes et soli, qui tamquam Confessarii egerunt. Soli: non itaque inferiores clerici vel laici; neque interpres; neque mandans Confessario ut in Confessione sollicitet;

(1) Const. Bened. XIV.

etiamsi hi posteriores sacerdotes sint (1). — Omnes: etiam Sacerdos qui vere non est Confessarius. — *Num etiam Episcopi?* Dissentiunt. *Ratio negandi* est quia iudices sollicitantium in Constt. pontiff. designati, sc. Ordinarii et Inquisitores non sunt Episcoporum iudices competentes (2).

II. De sollicitato. — Ad II. «Quaecumque persona illa sit», sive masculus sive femina (3)

III. De clausulis ad Confessionem spectantibus. 452.

Praenotandum. Non requiritur ut sub clausulis, de quibus in seqnentibus, sollicitatio etc. fuerint consummata; sufficit ut fuerint *incepta;* v. gr. ut sit appositum medium, quo postea sollicitatio etc. fiant; vel ut *pravus animus* sit manifestatus: *utrumque*, licet postea solum — puta quum sollicitatio reipsa fit — intelligatur medium de se indifferens vel ambiguum prava intentione esse appositum: vel dictum aliquod, factum etc. ex pravo animo processisse. Hinc casus adest si, sub una ex clausulis mox exponendis, Sacerdos tradit poenitenti chartam postea legendam, in qua sollicitat, vel turpia tractat (4); vel si interrogat poenitentem ubi habitet; num vel quando solus moretur; vel si se domi exspectare iubet, et postea eum adit et sollicitat.

Ad III. «In actu sacramentalis Confessionis»; i. e. 1) secundum plures, iam incepta Confessione, licet haec post sollicitationem factam vel sermonem seu tractatum habitum non compleatur. Sed 2) multi alii actum Confessionis non ita stricte sumunt, sed pro intervallo quod decurrit, ut aiunt, inter duas cruces (5). Practice nihil refert; nam casus qui in posteriori interpretatione quidem, in priori vero non continentur hac clausula, certo cadunt sub eam quae proxime sequitur.

Ad IV «Ante vel immediate post Confessionem». 453.

1. Vox: *immediate* refertur ad utrumque (6); et communius sentiunt eam stricto sensu esse intelligendam, ita ut nullum interyallum intercedat.

Ante itaque intelligitur quum poenitens seu confiteri cupiens voluit *statim* inchoare Confessionem. Quo posito non refert num post sollicitationem eiusve initium factum interruptio accidat vel

(1) Cfr. Decr. S. Off. 6m et 7m.
(2) Cfr. S. Lig. n. 685; Ball-Palm. n. 1090, ed. 3a n. 712.
(3) Instr. S. Off. 20 Febr. 1867, n. 1.
(4) Cfr. textus cit. Const., et Decr. 1m S. O.
(5) Cfr. Berardi *De Sollicitatione* n. 50.
(6) Cfr. Palm. ad Ball. n. 1094, ed. 3a n. 715.

etiam Confessio omnino omittatur, necne. — *Non* vero denuntiandus esset Confessarius qui, extra confessionale (1) sollicitaret mulierem de Confessione non cogitantem, etsi haec postea statim petierit et fecerit Confessionem.

Post item intelligitur quum post Confessionem nec Confessarius nec poenitens ad alia se divertit; ita ut eveniat sollicitatio eiusve initium, antequam ulla actio intervenerit (2).

2. *Exempla.* Quodsi Confessarius immediate ante vel post Confessionem (3) dixit poenitenti: «expecta me paulisper», vel: «veni hodie ad domum meam», vel quid simile: et accedendo ad poenitentem, vel illo adveniente prius loquitur de alio negotio serio, ex circumstantiis iudicandum est num principaliter intenta credi debeat sollicitatio et negotium solum ut medium, an vero negotium primario intentum et sollicitatio per accidens secuta (2).

Si, extra confessionale (4), — v. gr. Sacerdote ad audiendam Confessionem infirmae vocato — ante vel post Confessionem sollicitatio contingit, dum aliud negotium ad Confessionem non spectans agitur — puta inter sermonem cum infirma eiusque domesticis; vel etiam cum sola infirma, sed quae ipsa sermonem de rebus a Confessione alienis inchoavit — onus denuntiandi non oritur, etsi statim Confessio sequatur, vel hoc immediate post Confessionem contingat. — Si vero ipse Confessarius sermonem de aliis rebus ante vel post Confessionem incepit, distinguendum est ut supra (5).

Neque denuntiandus est Confessarius qui sollicitavit poenitentem dum ab eius conspectu iam discesserat; v. gr. quum Confessarius post ipsum audierat alium poenitentem, vel quum poenitens alibi in Ecclesia, prout de more, iam genuflexerat.

Nota. Ex praxi S. Officii non censetur Confessarius sollicitasse immediate post Confessionem, si sollicitatio post transactam integram diem acciderit, dummodo nullo modo pravum animum suum in Confessione manifestaverit (6). Hoc tamem non obstat quominus Confessarius vi alterius clausulae denuntiandus forte sit.

---

(1) Cfr. n. 458 sqq.

(2) S. Lig. n. 677.

(3) Idemque est de omnibus aliis clausulis; cfr. n. pr.

(4) Cfr. n. 458 sqq.

(5) Berardi op. cit. n. 66 sq.

(6) Giraldi *Expos. Iur. Pont.* P. I. LV Tit. VII, pag. 637.

Ad V. «Occasione vel praetextu Confessionis». 454.

1. Dicitur: *occasione* Confessionis, quum Confessarius vel poenitens ad Confessionem *veram* invitat; *praetextu* quum ad Confessionem *fictam* (1), vel potius sive veram sive fictam sed *animo sollicitandi* (2).

2. Hanc clausulam 1) alii ita intelligunt ut clausulis praecedentibus nihil in substantia superaddat, et solum maioris explicationis gratia positam censent, ut sc. comprehendantur casus in quibus ex confessarii malitia Confessio locum non habet. 2) Alii vero eam insuper intelligunt de occasione sive 1° notitiae, sive 2° promissionis, sive 3° petitionis Confessionis, sive 4° invitationis ad Confessionem.

Ad 1^m^ Conveniunt AA. huius secundae sententiae requiri, ut 455.
ex indiciis manifestis pateat Confessarium vere ex notitia Confessionis ad sollicitandum motum fuisse, sive expresse sive tacite seu agendi modo id significaverit. — Non vero consentiunt utrum requiratur ut sollicitatio contigerit paulo post Confessionem, saltem die proxime sequente; an nihil hoc referat, etsi multum temporis interfuerit.

Ad 2^m^. Casus est: si Sacerdos citra omnem cum Confessione relationem mulierem sollicitat, sed renuenti promittit se postea eius Confessionem excepturum. — S. Lig. cum aliis censet adesse hanc clausulam. *Plures alii satis probabiliter negant;* quia non ipsa sollicitatio sed tantum consensus mulieris, si obtinetur, dependet a Confessione promissa (3). Quamquam haec ratio non videtur apta; potius dici puto proprie aliud esse promissionem aliud occasionem Confessionis.

Ad 3^m^ et 4^m^ (n. 454 in fine). 1. Certo et secundum 456.
omnes obligatio denuntiandi oritur:

1° Si petitur Confessio hic et nunc seu *statim eodem loco* facienda, ita ut *saltem in specie* èt Confessarius ad excipiendam èt petens ad faciendam Confessionem *actu* parati sint; puta si Confessarius iam sedeat et mulier ad eius pedes sit genuflexa vel ge-

(1) S. Lig. n. 678.
(2) D'Annib. n. 367, nota 13.
(3) Vid. Nouv. Rev. Théol. a. 1880.

nuflexura. Dicitur: *saltem in specie;* non enim obstaret si ficte Confessio petita esset, dummodo fictio manifesta non fuerit.

Idem est si Confessarius rogatus ut audiat statim vel proxima die Confessionem infirmae, ad illam se conferret et solus cum ipsa remaneret; quia hoc ipso ad illius Confessionem audiendam paratum se domonstraret. — *Contra:* si Confessarius quum omnia parata videbantur, solum dissuasit poenitentem a Confessione, nec pravum animum tunc indicavit, et postea; v. gr. altera die, vel recedente muliere, in via eam sollicitaret, non videtur denuntiandus.

2° Si Confessarius, sive vere sive ficte ut supra, invitat mulierem ad Confessionem *statim actu,* ut supra, faciendam, et muliere *annuente* sollicitaret. — *Secus* vero, si mulier recusaret.

Ratio: hi casus, quibus affirmavimus, cadunt sub praecedentes clausulas.

2. In secunda sententia (n. 454, 2, 2) ad 3^m^ *in duplici alio casu* clausula haec adesset:

1° Si mulier petat confiteri in posterum, rogando v. gr. Sacerdotem ut sequenti die ad confessionale se conferat.

2° Si petat de praesenti quidem sed nondum in statu et actu Confessionis faciendae, v. gr. si in Sacristia Sacerdotem roget ut ad confessionale se conferat; vel si prope confessionale Sacerdotem expectet; vel praedicta mulier — sub 1° — quae petiit confiteri in crastinum, veniat reapse postero die, et Confessarium expectans tacite petitionem renovet.

Item ad 4^m^ in hac sententia casus adesset, etiamsi mulier invitata confiteri renueret.

Priori sententiae, quae in praefatis tribus casibus negat, favere videntur duo Decreta S. Off.: 4^m^ et 15^m^.

457. 1. De sollicitatione praetextu Confessionis, *congruenter priori illi sententiae,* nn. pr. expositae, dicendum videtur (1) praetextum et sollicitationem ex eo consequentem, si extra actum Confessionis prorsus remaneat, in Bulla non comprehendi; oportere vero ut exerceatur in ipso sive verae sive fictae Confessionis actu, qui cum praetextu quid unum constituat.

---

(1) Cum Berardi op. cit. n. 90 sqq.

2. Quod posterius dictum declaramus exponendo tres casus qui sequuntur:

1ˢ Casus est: si praetextus proveniat a solo Confessario, qui malitiose praetextu Confessionis poenitentem decipiat, eum ad suos pedes genuflexum vel hic et nunc genuflexurum, vel quid simile, sollicitet. Dixi: *malitiose;* si enim Confessarius ficte quidem invitasset poenitentem ad Confessionem, sed ex fine honesto loquendi cum eo de aliquo negotio; tunc, si forte in progressu sermonis sollicitatio accideret, denuntiandi onus non adesset. Posita vero malitiosa sollicitationis praemeditatione quoad substantiam nihil refert utrum Confessarius sponte sua poenitentem ad Confessionem invitaverit, an ab eo ipso eiusve familiaribus Confessionis causa invitatus ad illum accesserit (1). Item nihil refert utrum Confessionem audierit, necne. Sed

Quid si non constaret num Sacerdos sollicitationem praemeditatus fuerit?

Resp. Id pro praxi nullius momenti esset. Si enim poenitentem Confessioni consentientem non sollicitasset praetextu Confessionis, tunc occasione Confessionis sollicitationem perpetrasset: et sic semper denuntiari deberet.

2ˢ Casus est: si praetextus tam a Confessario quam a poenitente ad decipiendos domesticos directus sit V. gr.: Sacerdos peccare volens cum muliere convenit cum ea, ut fingat se aegrotam eumque praetextu Confessionis advocet. Porro accedente Sacerdote res duplici modo se habere potest: si enim ficta infirma non reperiatur sola, sub Confessionis titulo domesticos arcere oportebit. Si vero sola inveniatur, tunc sine ullo Confessionis praetextu peccatum perpetrari poterit. In priori hypothesi, non in altera casus Bullae adesse omnino, contra paucos, videtur; idque non ratione simulationis, ut alii volunt, sed praetextus. Alia simulatio hic non requiri videtur.

3ˢ Casus est: si a poenitente praetextus adhibeatur ad decipiendum Confessarium. Ex gr.: mulier peccare volens cum Sacerdote, nulla cum eo conventione facta, aegrotam se fingit, eumque

(1) Cfr. tamen casus tertius.

praetextu Confessionis advocat. Bona intentione accedit Sacerdos, sed tentatus consentit. Videtur distinguendum. Si Sacerdos non perceperit fictionem, et in actu audiendi Confessionem sollicitationi consenserit (1), denuntiari debebit; id autem verius non ex praetextu, sed — ut n. pr. 1, dictum est — ex occasione Confessionis: ipse enim veram Confessionem se audire existimabat. Si autem Confessarius perceperit de mero praetextu agi — eo quod v. gr. poenitens statim ei patefecit se nolle confiteri — tunc videndum utrum peccatum sub Confessionis nomine ad domesticos illudendos perpetretur, necne. In posteriosi hypothesi certo non erit denuntiandus; in priori erit: tunc enim èt verissime uteretur praetextu Confessionis, èt actus Confessionis, propter eiusdem speciem, satis adesset. Neque Bulla requirit, ut praetextus sit a Confessario excogitatus et propositus.

Nota tandem adesse differentiam inter praetextum qui ad decipiendum solum *poenitentem,* et praetextum qui ad *domesticos* decipiendos adhibitus fuit. *Prior* enim debet esse *malitiosus iam inde ab initio* (2); in posteriori autem id non exigitur. Ratio est, quia in posteriori, donec durat Confessionis simulatio, praetextus quoque perdurat, qui, etsi ab initio ex fine honesto adhibitus sit, succedente postea sollicitatione iam eo ipso malitiosus evadit. In priori vero praetextus statim evanescit, et quum accidit sollicitatio nullus amplius praetextus adest.

3. Extra actum Confessionis remaneret praetextus et sollicitatio, si Confessio nullo modo, ne ficte quidem, vel solum diverso tempore vel loco secutura esset. Casus essent:

1°. Sacerdos Regularis, peccare volens cum quadam persona, ad obtinendam a Superiore licentiam exeundi, adducit praetextum se conferendi ad audiendam sive illius sive alterius Confessionem. Vel postquam cum illa peccavit, eumdem praetextum Superiori adducit. Quum autem peccatum committit, nullum Confessionis praetextum adhibet.

2°. Iuvenis quidam vocat Sacerdotem praetextu Confessionis,

---

(1) Cfr. n. 465.

(2) Cfr. dictum ad 1^{m} casum.

eique advenienti statim significat agi de praetextu, et ab ipso obtinet consensum in peccatum, nec quidquam est de Confessione.

3ˢ. Mulier convenit cum Sacerdote de turpi consortio habendo; ad cuius executionem, sive sponte sua sive de Sacerdotis ipsius consilio, eligit medium fingendi se aegrotam eumque praetextu Confessionis advocandi. Sed res effectum non habuit.

4ˢ. Sacerdos ad turpem congressum mulierem tentat, eique propter executionis difficultatem renuenti suggerit, ut aegrotam se fingens praetextu Confessionis illum advocet. Tunc mulier consentit. Sed propositum ad effectum non adducitur.

5ˢ. Sacerdos, volens turpiter alloqui mulierem, praetextu illam interrogandi num velit confiteri, vel invitandi ad Confessionem faciendam in crastinum, ad eam accedit, et tunc illam sollicitat.

6ˢ. Sacerdos mulierem, ut supra invitatam, sequenti die ad Ecclesiae ianuam expectat, ibique illam sollicitat.

Porro 1ᵐ casum communissime, 2ᵐ et 3ᵐ communiter, ut videntur, AA. censent lege non comprehendi. — Quoad tres alios dissentiunt.

Ad VI. « In confessionali etc. ». 458.

Confessionale quid sit, omnes norunt. — *Loca ... destinata* communissime intelliguntur illa quae, quamvis confessionalis formam non habent, tamen ex stabili destinatione ad audiendas Confessiones sunt deputata: ut sunt quaedam cellulae in quibus adest sessibulum pro Confessario et genuflexorium pro poenitente. — *Locus ... electus* ex communissima sententia potest esse quilibet et ubilibet. Solus, quod sciam, contradicit Berardi (1).

Ad VII. « Cum simulatione audiendi ibidem Confessionem ». 459.

---

(1) Op. cit. n. 105 sqq. Sed hic A. putat secundum alios sufficere etiam ut *solum ad simulandam* Confessionem locus eligatur. Verum 1° AA., si ego quidem eos capiam, hoc non docent; sed ponunt locum eligi ad vere audiendam Confessionem — id quod ex ipsis verbis Constitutionum certo requiritur. 2° Posito pro hac ipsa vice a Confessario et poenitente ipsis locum esse electum ad audiendam Confessionem, practice facile aderit una ex praecedentibus clausulis, et difficile vera fiet hypothesis Constitutionum, sc. sollicitationem fieri « extra occasionem Confessionis ». Quamquam casus accidere potest; cfr. n° sq., 5, 1° et 2°.

1. *Simulatio* ut adsit, exigitur et sufficit ut Confessionis species externa ita subsistat, ut quisquis adesset, credere deberet audiri Confessionem. — Non requiritur ut quis revera adsit.

2. Satis adesse potest simulatio etiamsi signa Confessionis non pateant, eo quod conspici nequeunt sive poenitens sive etiam uterque, dummodo circumstantiae omnino credere faciant Confessionem revera audiri. Quare generatim si sollicitatio contingat sedente Sacerdote in Confessionali minus requiritur ad constituendam simulationem quam si extra confessionale fiat.

3. *Sufficit* etiam simulatio *leviter imperfecta* V. gr.: mulier, antequam ad Confessarium accessit, dixit aliquibus se nolle confiteri sed alio fine adire Confessarium. At omnes alii, qui adsunt vel supervenire possunt, eam vere confiteri existimant. Vel: Confessarius, dum in confessionali mulierem sollicitat, stolam deponit, ita ut alii id animadvertere possint. Vel: Confessarius sollicitat Monialem quae, videntibus aliis Monialibus, in confessionali non genuflectit, sed stat vel sedet. — In istis et similibus casibus, quamvis forte aliqua admiratio suscitaretur, Confessionis tamen praesumptio perduraret.

Contra circumstantiae efficere possunt ut similatio iam non satis vel nequaquam habeatur. V. gr.: Sacerdos cum aliqua persona in loco quidem ad Confessiones audiendas destinato loquitur, sed tam alta voce ut vix credi possit Confessionem excipi; vel eo modo iisve in circumstantiis ut omnes qui adsunt sciant vel animadvertant non agi de Confessione (1).

4. *Non requiritur animus* seu intentio formalis *simulandi* Confessionem, sed sufficit nudum factum. Videtur commune contra paucos (2).

Neque refert utrum, necne, Sacerdos et poenitens mutuo convenerint de simulanda Confessione (3).

Oportet tamen ut credi debeat Confessarius saltem animadvertisse se esse in loco Confessionis; si enim credi debeat hoc omnino ignorasse, casus Bullae non adesset (4).

---

(1) Berardi op. cit. n. 124 sqq.
(2) Vid. Nouv. Rev. Théol. a[i] 1880.
(3) S. Lig. n. 687.
(4) Berardi op. cit. n. 123.

5. *Casus* qui ad hanc clausulam proprie (1) pertinent sunt: si Confessio in uno ex tribus locis indicatis simuleter, vèl 1° cum poenitens volebat quidem confiteri, sed solum postquam de aliis rebus egerit; vèl 2° quum poenitens Confessionem iam finierat, et de aliis negotiis tractabat; vèl 3° — et hic est casus magis practicus — quum poenitens sine ullo animo confitendi, sed sive ad loquendum de aliis rebus, sive pravo fine, ad Confessarium venerat (2).

Num requitur simulatio Confessionis, etiamsi sollicitatio fiat in confessionali? 460.

Resp. Ex sententia multo tum communiori tum probabiliori affirmandum est, secundum regulam generalem ex qua clausula ultimo loco posita ad omnia antecedentia connexa refertur; praeterea si, in casu, clausula restringi debet, restringenda erit ad solum ultimum ex enumeratis; quo enim iure intelligeretur de duobus postremis, ut alii volunt, et non de primo?

Notant tamen AA. in duobus primis ex indicatis locis per se adesse simulationem nisi nempe indicio positivo Confessionis species excludatur; contra alibi non adesse nisi positiva indicia adsint (3).

IV. De crimine denuntiando. 461.

Ad VIII. «Ad inhonesta et turpia.... aut illicitos et inhonestos etc.».

1. *Constat* iam, contra paucos, praedicta solum intelligi de venereis: et solum etiam de sollicitatione in Sacramento Poenitentiae: ex Decr. 10° et 11° S. Off.

2. *Constat* praeterea, requiri ut Sacerdos graviter peccaverit. — Attamen, id quod exinde colligitur: non esse denuntiandum Confessarium qui sollicitaverit ad actus tantum venialiter inhonestos; hoc sic intelligendum est 1° ut nihil ab eo vere turpe factum, dictum vel tractatum fuerit; 2° ut credi ex indiciis non debeat Confessarius per actum etc. leviora pervenire voluisse ad

(1) l. c.: neque simul ad aliam clausulam; in quod facile occurrere potest.

(2) Id. ib. n. 13.

(3) Cfr. n. pr. 2 et 3.

graviora. Ratio: « cum in rebus venereis non detur parvitas materiae; et, si daretur, in re praesenti non daretur (1) ».

462. Ad IX. « Sollicitare vel provocare ». Communiter AA. docent non requiri intentionem directam inducendi ad peccatum; sed sufficere factum, dictum, signum etc. de se provocantia ad peccatum contra sextum Decalogi. Idque a fortiori omnes tamquam prorsus certum docent de sermonibus.

463. Ad X. « Sermones vel tractatus ». Tractatus in obvio sensu significat sermonem de aliquo negotio gerendo. Nihil autem refert ex communi sententia, uter, Confessarius an poenitens, sermonem inchoarit. — Hinc resolvunt denuntiandum esse Confessarium qui mulierem, in Confessione de tepidi mariti amore querentem, docuit artificia pluresque modos inhonestos allicientes, et remedia quaedam vasi applicanda (2).

464. Ad XI. « Temerario ausu ». Quae verba ideo praecipue addita videri possunt ubi agitur de sermonibus, quia ad interrogandos etc. poenitentes saepesaepius Confessario tractandum est de rebus turpibus. Quodsi ergo hoc necessario vel utiliter vel saltem sine gravi culpa — externa — seu generatim non temerario ausu factum sit, locus non est Constitutioni Benedictinae (3).

465. Ad XII. Etiamsi.... sollicitatio.... mutua fuerit ».

Num denuntiandus est Confessarius consentiens sollicitanti in Confessione mulieri?

Resp. Fere communiter hodie affirmant ob Decreta S. Off. 2^m^ et 9^m^. Quae quidem sententia omnino tenenda videtur hoc sensu, *non requiri, ut* res vel sermo turpis *initium habuerit a Confessario, si* tamen hic quid turpe *fecerit vel dixerit.* Sufficere v. gr. prorsus videtur ut Confessarius sollicitatus ad copulam significet se consentire in solos tactus.

Si vero Confessarius nihil huiusmodi fecerit vel dixerit, ita ut *solo suo consensu* peccasse probari possit, non autem dicto vel facto etc., tunc puto probabiliter negari: — 1°) quia in Decreto

---

(1) Decr. 3^m^ S. Off. Ad quod *nota* fuisse Theologos docentes dari parvitatem materiae in re venerea, etiam directe voluntaria.

(2) Vid. Nouv. Rev. Théol. a^i^ 1880

(3) Cfr. n. 461 2.

2° Confessarius aperte ponitur de re turpi locutus esse, esto post poenitentem; ex 9° vero nihil colligere licet nisi metum in casu non excusare; — 2°) idem plerique AA., partim saltem (1), ponere videntur; — 3°) ob auctoritatem S. Lig. (2).

Ad XIII. «Etiamsi... longum tempus... effluxerit». 466.

1. Ex communi sententia solo temporis progressu obligatio haec numquam extinguitur. Circumstantia tamen haec superiori manifestanda foret.

2. Num denuntiandus est sollicitans 1° iam certo emendatus, 2° iam iudicatus et punitus, 3° defunctus?

Resp. ad 1^m. Per se atque ut plurimum denuntiatio hac ratione omitti non potest. — Constat ex duplici Decreto S. Off. (3); nim. de casibus Sacerdotis qui abiuravit vel sponte comparuit, quae duo potiora habentur emendationis signa. — Attamen probabiliter docent denuntiationem omitti posse in rarissimo casu emendationis tantae ac talis quae omnem reiterationis timorem excludit.

Ad 2^m. 1° Certo affirmandum si post punitionem sollicitans reperiatur recidivus.

2° Si agatur de eadem sollicitatione, et constet de plena punitione secuta, negari potest. Si non constet, videndum utrum nova denuntiatio notabilis momenti esse possit necne; v. gr. si ipse sollicitatus iam denuntiavit, non tenentur qui ab eo rem audierunt. Quod posterius pariter resolvendum si quis in denuntiando aliquid omiserit, vel etiam si quid postea acciderit.

Ad 3^m. Communiter negant. Quod confirmatur Resp. S. Poen. 24 April. 1884. Item negandum videtur, si Sacerdos senectute confectus et morbis chronicis impeditus Confessiones in posterum numquam amplius auditurus est (4).

In casibus dubiis generatim omitti potest denuntiatio; 467.
sive dubitatur *de facto,* v. gr. num dictum Confessarii bene intel-

---

(1) Nim. uno saltem verbo consensum expressum esse, si de tractatu agitur; si de actu, Confessarium non mere passive se habuisse.

(2) N. 681; cfr. Génicot, n. 395 in fine.

(3) Vid. Decr. 13^m.

(4) Vid. Berardi op. cit. n. 229 seq.

lectum fuerit, num vere contineat sollicitationem (1); sive dubitatur *de iure,* nim. num id quod contigit cadat, necne, sub Constitutiones pontificias; sive dubitatur *de persona* sollicitantis, *nisi* tales sint circumstantiae vel talia indicia praeberi possint, ut ludex facile certus fieri possit de persona (2).

ARTICULUS II.

QUINAM DEBENT DENUNTIARE?

468. I. Praeter sollicitatos ipsos, qui soli sub poena excommunicationis, denuntiare debent ex Decr. S. O. 10 Mart. 1677 generatim omnes qui sollicitationis factae satis certam notitiam habent, *dummodo* eorum denuntiatio alicuius momenti esse possit; cfr n. 486 ad 2. Non vero, qui rem audierunt vèl a persona fide non digna, vèl ex rumore populari; quo posteriori casu obligarentur tamen Parochi, si èt rumorem fundatum esse, èt Episcopum rem ignorare putarent.

II. Casus practici, in quibus *ex mera notitia* obligatio haec adesset, forent 1° si quis forte ipse vidisset vel audivisset sollicitationem; 2° si quis ab ipso Confessario vel ab ipsa persona sollicitata, fide non indigna, notitiam accepisset, nisi obstaret secretum (3); 3° si quis ab alia quidem persona rem audivisset, sed ita ut testes intermedios usque ad personam sollicitatam indicare posset, dummodo attentis sive his ipsis testibus intermediis sive aliis circumstantiis denuntiatio pondus habere valeat; idque multo magis si persona sollicitata mortua esset vel utcumque denuntiatura minime foret (4).

469. I. Praedicti denuntiare debent, *etsi,* sollicitationem *probare nequeant:* probare namque accusatoris est, non denuntiatoris (5).

II. Obligantur etiam qui *ante pubertatem sollicitati fuerint,* saltem pubertate adepta; imo, positis ponendis, etiam ut videntur

(1) Cfr. Decreta S. Off. 12^{m} et 16^{m}; et infra n. 482.
(2) Plures casus particulares vide resolutos apud S. Lig. n. 704.
(3) Cfr. n. 423 sqq., praesertim n. 426, 1. 2° et 427, III; n. 434 sq.
(4) Berardi op. cit. n. 194 sqq.; *Compendium* eiusdem op. n. 59 sqq.
(5) Cfr. prop. 5^{a} damn. ab Alex. VII; Denz. n. 976.

ante pubertatem. Nam ex Resp. S. Off. 1707 tenetur puella « postquam compos effecta fuerit, et notitiam praeteritae sollicitationis acquisierit ».

III. *Regulares* antequam aliquem ex suis fratribus, etiam Superioribus, denuntient vel denuntiandum declarent, a suis Superioribus *licentiam petere nec debent nec possunt:* ex Decreto lato sub Alex. VII 8 Iul 1660.

ARTICULUS III.

CAUSAE AB OBLIGATIONE DENUNTIANDI EXCUSANTES.

Excusant: I. Periculum publicitatis et scandali (1). **470.** Ad quod praecipue attendendum est, si vèl agitur de persona valde levi et loquaci quae denuntiare deberet, vèl de denuntiatione per litteras facienda.

II. Damnum vel incommodum grave et extrinsecum seu **471.** extraordinarium, si adest vel cum ratione timetur, excusat *in casibus ordinariis,* dummodo sc. ne immineat damnum plus minusve commune; seu: excusat ab obligatione ex lege ecclesiastica, non vero ita facile ab obligatione, si forte adsit, ipso iure naturae.

1. *Casus damni* timendi adesse potest, si agitur de denuntiando Sacerdote a quo denuntiaturus dependet, — Pro casibus tamem et circumstantiis ordinariis cum Berardi (2)

Nota. « Difficile erit quod Sacerdos cognoscat a quanam persona denuntiatus fuerit. Denuntiatio ut plurimum peragi potest ope Confessarii; et proinde secretissime. Delinquens ordinarie solum post plures dentiationes in iudicium vocabitur. Denuntiantium nomina ei non revelabuntur. Si speciale alicuius damni periculum subsisteret, circumstantia ista in dununtiatione exprimi poterit, ut Iudex hoc etiam sub respectu caute procedat ».

2. *Casus incommodi* seu difficultatis extraordinariae occurrere potest:

(1) Cfr. Instr. S. Off. 20 Febr. 1867.

(2) *Comp.* cit. n. 81.

1° Si denuntiandus esset Sacerdos consanguineus vel affinis, maxime si in gradu satis propinquo. — Idem nonnulli dicunt de denuntiando amico valde intimo vel benefactore insigni.

2° Si denuntiaturus scribere nequeat et Confessarius operam suam praestare renuat, ita ut personaliter Episcopus adeundus esset (1).

3° Si agatur de persona infirma, cum periculo ne turbatio et angustia morbum illius aggravaret, idque maxime si esset morti proxima.

Nota ad omnia modo dicta: quodsi solum de *differenda* denuntiatione agitur, multo indulgentius Theologi resolvunt quam si de eadem *omittenda*.

472. III. Secretum commissum — non vero mere naturale vel promissum — generatim excusat; ratio petitur ex ipso bono communi. *Excipe* casum quo secretum sine ulla necessitate vel utilitate, ex mera fiducia, committitur, idque alter iam ab initio percipere potuit, neque multum interest committentis ut res Superioribus occultetur.

Quid vero si secretum commissum fuit sine intentione ut delictum Superioribus occultetur — ut saepius committitur Sacerdotibus? Consiliarius tamen non videtur obligatus ad denuntiationem. Secus enim consilium dare redderetur nimis odiosum; quod ipsum obesset bono communi.

473. IV. Dispensatio proprie dicta per se a solo Summo Pontifice concedi potest. Obtineri potest per S. Poenitentiariam vel S. Officium. In praxi tamen praestare solet ut casus Episcopo exponatur, nisi quid obstet.

Dispensatione partiali saepius permittitur ut vèl apud Confessarium aliumve virum ecclesiasticum, vèl per litteras denuntiatio fiat; vel ut denuntians proprium nomen declinet, atque ope Confessarii delinquentem Episcopo indicet.

Episcopus, nisi specialem facultatem habeat, dispensationem *substantialem* concedere tantum potest *si casus urgeat*, neque tempus recurrendi ad S. Sedem suppetat. Quod etiam extra peri-

(1) Cfr. n. 476, II.

culum mortis contingere potest, si utcunque gravia mala immineant nisi statim dispensatio concedatur. — Concedere autem potest dispensationes non substantiales, quae sc. modum dumtaxat et tempus denuntiationis exequendae respiciunt.

Dispensatio substantialis esset 1° si poenitens ab onere denuntiandi eximeretur omnino vel ad tempus diuturnum et non definitum; 2° si eximeretur ab exprimendo proprio nomine: tunc enim ipse iam non compareret tamquam testis.

Praeterea potest Episcopus licentiam dare Confessario absolvendi poenitentem sine onere denuntiationis, si ipsius iudicio iam subsistat causa per se sufficiens ad excusandum. Confessarius autem iudicio Episcopi acquiescere potest; tum quia Episcopus in Dioecesi est supremus magister, tum quia ille habere potest notitias omnino particulares et Confessario occultas, quibus aperte cognoscat denuntiationem esse inutilem.

ARTICULUS IV.

DE MODIS EXEQUENDI DENUNTIATIONEM.

Distinguitur 1° denuntiatio iudicialis et simplex; 2° iu- 474.
dicialis est *ordinaria* vel *extraordinaria*, item *regularis* vel *irregularis*.

I. Iudicialis *ordinaria* est denuntiatio, quae fit ab ipsa persona denuntiante viva voce apud Iudicem competentem (1), eiusve delegatum, cum interventu Notarii, emisso iuramento de vero dicendo et de secreto servando, et suum nomen subscribente.

II. Iudicialis *extraordinaria* est quae *ex dispensatione* a solo delegato sine interventu Notarii excipitur (2).

---

(1) Sc. Episcopum extra Romam. — Denuntiatio fieri etiam potest apud Episcopum denuntiantis, vel loci ubi fit Confessio: cuius tunc erit actum transmittere ad Episcopum delinquentis.

(2) Denuntiationes huiusmodi extra confessionale recipiendae essent modo quem infra, § I, exponemus — sed in praxi ut plurimum non solum quoad moniales, verum etiam quoad alias mulieres, in confessionali dumtaxat recipi possunt; de quo vid. § II.

III. Iudicialis *irregularis* est quae fit a persona denuntiante quidem et viva voce apud Iudicem vel delegatum, sed cum aliquo defectu.

Casus essent: 1° si denuntianti iuramentum non esset delatum; 2° si Delegato et Notario verbis solum facultas recipiendi denuntiationem data esset; 3° si iidem iuramento de secreto servando non emisissent; 4° si denuntiantis subscriptio esset omissa: 5° si Delegatus solum verbis, vel sine sua ipsius subscriptione rem Episcopo detulisset.

Nota: defectus isti possent quidem causae continuationem impedire: sed non efficerent et denuntians, qui bona fide partem suam praestiterit, ad aliquid amplius obligaretur, nisi forte ad defectum supplendum vocaretur.

IV. Simplex denuntiatio est, si denuntians ope epistolae vel internuncii Confessarium sollicitantem indicat.

475. I. Quum denuntiatio iudicialis fieri non potest, simplicem sufficere et fieri debere, communis est sententia. Quae confirmatur cit Instr. S. Off., quae dicit: « Si gravissimis difficultatibus impediatur quominus hoc (1) perficere ipsa possit, tunc vèl per se (2), vèl per epistolam, vèl per aliam personam sibi benevisam (3) suum adeat Ordinarium vel S. Sedem ... expositis omnibus circumstantiis (4) et deinde se gerat iuxta instructionem quam erit exceptura. Si vero necessitas urgeat, se gerat iuxta consilia et monita sui Confessarii ».

II. Speciatim autem denuntiatio, quae fit per Confessarium — non delegatum — tanquam internuntium, dicenda est valere in casu necessitatis: tum quia tunc ad delegationem praesumptam recurri potest, tum quia valebit saltem tamquam denuntiatio ex audito alieno; tum quia ipsa S. Sedes eousque procedit ut interdum permittat ut, tacito etiam nomine personae sollicitatae, denuntiatio a quolibet Confessario peragatur. — Imo si persona sollicitata,

---

(1) Nim.: denuntiare personaliter in Curia cum interventu Notarii.

(2) Si difficultas solum interventum Notarii respiciat.

(3) V. g. Sacerdotem suum Confessarium vel consiliarium.

(4) Sc. indicando impedimentum ipsum, et quo modo vel quibus modis denuntiationem facere posset.

etiam extra casum necessitatis, bona fide — v. gr. decepta a suo Confessario — simplicem denuntiationem fecisset, parere quidem deberet casu quo Iudex ipsam postea interpellaret, sed de caetero ad nihil amplius obligari videtur.

I. Resolves 1° Qui in articulo mortis solum ope Confessarii non delegati denuntiare posset, ad id obligaretur. **476.**

2° Qui, renuente Confessario operam suam praestare, neque ipse ad Episcopum se conferre, neque per epistolam ita Episcopum consulere potest, ut responsum accipere possit, et solum posset per litteras caute transmittendas (1) directe denuntiationem exequi, pariter id facere deberet. Sed

II. Quid si quis hinc neque per se neque per litteras denuntiare posset, illinc vero Confessarius operam suam praestare nollet: num deberet in hunc finem *alios confessarios inquirere?*

Resp. Negandum videtur, quia obligatio illa nimiis scrupulis obnoxia foret, eo magis quod neque definiri posset numerus Confessariorum qui rogandi essent (2).

§ I. — *Modus recipiendi denuntiationes extra confessionale.*

Delegatus, praeter necessaria ad scribendum, parata habeat librum Evangeliorum et litteras testimoniales de delegatione Ordinarii et de facultate recipiendi denuntiationem sine interventu Notarii. Quas litteras primo ostendat denuntianti. Dein scribat et se gerat ut indicatur in folio annexo citatae Instructioni S. Officii. **477.**

Die... mensis... anni... Sponte comparuit coram me infrascripto sistente in (notabit locum ubi reperitur ad actum recipiendum) *ad hunc actum tantum ab Illustrissimo et Reverendissimo N. N.* (scribet nomen Ordinarii qui illum delegavit) *specialiter delegato, prout ex eiusdem Ordinarii litteris mihi directis et datis sub die* (exprimet quo die ipsi scriptae fuerint litterae) *praesenti positioni alligandis, N. N.* (scribet nomen, cognomen, pa-

(1) In quibus iuramentum veri dicendi atque indicia, § I exponenda, inveniantur.

(2) Berardi op. cit. n 172.

trem, patriam, aetatem, conditionem, et habitationem personae denuntiantis; et si haec Religiosa fuerit, exprimet etiam nomen quo ea vocabatur in saeculo. Deinde prosequetur) *cui delato iuramento veritatis dicendae, quod praestitit tactis SS. Dei Evangeliis* (quae manu tangere faciet), *exposuit prout infra, videlicet:* (Hic persona denuntians vernaculo sermone declarare debet, se scire obtentam esse ab Ordinario loci facultatem recipiendi absque interventu Notarii, quod ad suam conscientiam exonerandam expositura est, propterea quia iustis de causis eidem R^mo^ Antistiti se sistere nequit. Deinde narrare continuo debet quae ad sollicitationes ei factas attinent, seu verba fuerint, seu actus, accurate describendo locum, tempus, occasionem, vices, et singula adiuncta, necnon utrum in actu Confessionis, aut prius vel post sacramentalem Absolutionem ea evenerint. Nominare debet confessionalem sedem, et ipsum Confessarium sollicitantem, et, quatenus huius nomen et cognomen aut ignoret aut oblita fuerit, describet accurate illius personam, omnes distincte characteres notando, ita ut ille recognosci possit. Animadvertat delegatus non esse interrogandam personam denuntiantem; utrum consensum ad actum turpem quocumque modo praestiterit, vel recusaverit, cum ipsa ad suos defectus manifestandos non teneatur. Hisce excriptis prout narrantur, delegatus quae sequuntur, neque aliud praeterea quidquam, requiret).

Interrogata: an sciat vel dici audierit, dictum N. N. (nominando personam) *Confessarium sollicitasse alios poenitentes ad turpia? Respondit:* (notabit responsionem: et si haec affirmativa fuerit, nomen et cognomen personarum sollicitatarum exquiret, et causam scientiae) (1).

Interrogata de fama supradicti Confessarii N. N. tam apud se, quam apud alios? Respondit: (responsionem exscribet).

Interrogata: an odio vel amore praefata deposuerit, et super inimicitia, aliisque generalibus etc.? Respondit: Recte (si ad propriam conscientiam exonerandam denuntiasse se dicet. Si a sol-

(1) Nova Instructione 20 Iul. 1890 S. Off. indicit locorum Ordinariis ut, si inducantur aliae poenitentes, sollicitatae vel rei notitiam habentes, has examini subiiciant.

licitatione plus uno mense praeterlapsum fuerit, erit etiam interroganda):

Interrogata: cur tamdiu distulerit denuntiare proprio Ordinario et conscientiam exonerare? Respondit: (notabit responsionem).

(Actus claudatur hac ratione):

Quibus habitis et acceptatis etc. dimissus (vel *dimissa*) *fuit iuratus* (vel *iurata*) *de silentio servando ad novum tactum SS. Dei Evangeliorum* (super Evangelia iurabit), *et in confirmationem praemissorum se subscripsit,* (et si scribere nesciat) *et cum scribere nesciret, prout asseruit, fecit signum Crucis* (subscriptionem vel Crucis signum calamo faciendum hic ab eo exiget).

(Postquam denuntians se subscripserit, aut Crucis signum fecerit, subscribet se delegatus hoc modo):

Acta sunt haec per me N. N. ab Illmo et Rmo Antistite N. N. ut supra specialiter delegatum.

(Integrum deinde actum directe ad proprium Ordinarium delegantem transmittet, una cum instructione et litteris acceptis, nihil omnino apud se retinendo).

§ II. — *Denuntiatio in confessionali.*

Haec non differt a praecedente, nisi quod forte denuntians non **478.** se subscribit.

Casu occurrente Confessarius, si circumstantiae permittant (1) secum habeat folium in quo res examinandas, n. pr. indicatas, exscripsit, ita ut ad singula pro notandis responsis spatium intersit (2). Secus vero meliori modo quo potest interrogationes faciendas (3) memoriae mandet; et iuramenti de vero dicendo quod in

---

(1) Puta, si denuntians ad confessionale accedere potest, quum in Ecclesia alii non adsunt.

(2) Quodsi forte sciat denuntiantem a pluribus fuisse sollicitatum, consultum erit ut interrogationes particulares, ipsam sollicitationem vel sollicitantem spectantes, pro numero sollicitantium seorsim exscribantur atque repetantur.

(3) Speciatim de nomine, cognomine et habitatione tum denuntiantis tum denuntiati; maxime vero de dictis vel factis denuntiati ipsius.

principio denuntianti deferri debet, ne obliviscatur; atque domum reversus responsa illico scribat. Deinde in folio omnia exarabit (1).

Si forte denuntians trepidationem et titubantiam vel quamdam iram contra denuntiatum, vel suspectam facilitatem et complacentiam illum denuntiandi ostenderit; verbo: si delegatus de denuntiationis veritate aliquam dubitandi rationem habeat, id quoque adnotabit.

ARTICULUS V.

DE OBLIGATIONE CONFESSARIORUM MONENDI POENITENTES DE ONERE DENUNTIANDI.

479. I. « Meminerint... Sacerdotes ad Confessiones audiendas constituti... se... obligari, suos poenitentes, quos noverint *ab aliis*... sollicitatos, sedulo monere, *iuxta occurrentium casuum circumstantias*, de obligatione denuntiandi » etc. (2).

II. « *Neque* ab iis admonendis instruendisque *eorum bona fides excusat* (3) ».

480. Ad I^m In hanc legem, in quantum est iuris positivi, plura sunt notanda.

1° Notanda verba: ab aliis *sollicitatos*. Non ergo refertur lex ad ipsum Sacerdotem sollicitantem. Quare si mulier sollicitata bona fide confiteretur apud sollicitantem et denuntiandi obligationem ignoraret, sollicitans non obligaretur eam admonere, eamque, nisi complicitas obstet, valide absolveret. Non ideo tamen poenitens a sua obligatione eximeretur, sed cognitam implere deberet (4).

2° *Ad audiendas Confessiones* constituti; non itaque obligantur simplices Sacerdotes, qui casu Confessionem moribundi audiunt.

3° *Suos* poenitentes; poenitens autem dicitur non in quantum fecit, sed facit Confessionem. Ergo in solo actu Confessionis

(1) Secundum normam n. pr. traditam.
(2) Const. Bened. XIV.
(3) Instr. S. O.
(4) Huc facit prop. 7ª ab Alex. VII damnata: Denz. n. 978.

monitio fieri debet. Non tamen requiritur ut ex ipsa Confessione notitia habeatur.

4° De obligatione *denuntiandi*. De censura itaque contrahenda solum secundum regulas prudentiae.

5° Sollicitatos. Alii ergo, puta notitiam habentes, pariter solum secundum prudentiae regulas monendi sunt.

6° Iuxta circumstantias. Non itaque prorsus absolute obligatio monendi imponitur, sed tacite admittuntur exceptiones. Quod ipsum notandum est

Ad II^m. Quamvis ergo non excuset bona fides poenitentis, ne- 481.
que sola repugnantia praevisa, neque per se solum hoc incommodum quod poenitens monitus iam hac vice absolvi non poterit: si tamen valde nociva monitio foret, seu extraordinarium incommodum secuturum vel multum timendum est, etiam in hac lege, sicut in aliis, epickeia locum habere potest.

Casus praecipui sunt: 1° si ex admonitione merito de rei divulgatione timendum est (1); 2° si magna adest necessitas poenitentem ea vice absolvendi, v. gr. moribundum, vel poenitentem qui non potest ea vice omittere S. Communionem, quin sinistram et gravem suspicionem contra se ingerat; 3° si Confessarius casum hunc resolvere non potest; 4° si Confessarius putat fore ut admonitio alia vice opportunius fieri possit; 5° si ipse poenitens sollicitationem nequaquam intellexit: propter scandalum (2); 6° si Confessarius hinc merito timet, ne admonitio nociva poenitenti sit, illinc vero satis certo scit nullum iam periculum imminere a Sacerdote sollicitante, puta quia hunc certo emendatum novit, vel surdum vel quavis de causa non amplius Confessiones auditurum; 7° tandem si merito timendum est, ne mulier, quae denuntiare consentiat, voluntatem mutet, Confessarius, non delegatus, tunc videtur contentus esse posse simplici denuntiatione, sc. hic et nunc per ipsum exequenda (3). Sic enim meliori quo fieri potest modo èt poenitentis èt communi bono èt ipsius legis executioni consulitur. Id accideret speciatim, si poenitens Confessario extraordinario

(1) Cfr. n. 470.
(2) Cfr. n. 469, II; n. 470; et Bucceroni n. 1275.
(3) Cfr. n. 475, II.

— ad quem post tempus necessarium ad delegationem obtinendam redire nequit — casum quidem exposuisset sed cum magna difficultate; et multo magis si magnam quoque denuntiationis faciendae difficultatem ostendisset; maxime vero si casus urgeret et res promptum remedium exigeret (1).

482. Pro praxi notet praeterea Confessarius I. Antequam obligationem denuntiandi poenitenti declaret, certus sit casum Constitutionum Pontificiarum adesse. Quare bene advertat et examinet 1° num vere adsit una ex clausulis Art. 1° expositis; 2° num forte Sacerdos denuntiandus aliqua probabili ratione a culpa, saltem a gravi, excusari, seu de hac dubitari possit; 3° num poenitens fide dignus videatur.

Et postremum illud quod attinet, ratio dubitandi vel certe rem melius examinandi erit 1) si mulier vèl nimis facilem et promptam se ostendat ad denuntiandum, vèl, quum Confessarius ei denuntiationem faciendam proponit vel imponit, verba sua revocet. 2) Si Confessarius advertat illam esse surdam, vel hallucinationibus subiectam, vel semifatuam, vel ita levem ut ad habendam materiam sive sibi sive aliis Confessariis falsa narraverit; si interrogata num certa sit se bene audivisse et reminisci, haesitet et dubia in medium afferat; si animadvertat eam sibi non constare — quod num faciat, Confessarius quandoque utiliter tentabit —; si odii, vindictae, zelotypiae etc. suspicionem ingerat, v. gr. quia a Confessario illo neglecta vel reiecta fuerit; si noverit illam esse infamem, puta meretricem, vel cuiuslibet sceleris capacem etc. 3) Si agitur de denuntiando Sacerdote qui optima existimatione gaudet. Quae circumstantia saltem magnum pondus adderet aliis, si forte adessent, indiciis eidem Sacerdoti favorabilibus (2).

II. Ad casus certos, *sed* n. pr. *exceptos*, notet ut plurimum opus fore poenitenti iniungere ut de eadem re iterum alia vice secum, vel cum Confessario suo ordinario, aliove doctiore, loquatur.

III. Ad casus certos, *nec exceptos*, sed in quibus poenitens de obligatione denuntiandi monitus, vèl solum privatim et

(1) Berardi op. cit. n. 331.

(2) Berardi *Comp.* cit. n. 96 et 98.

in sede confessionali, vèl nequaquam denuntiare consentit: laudandus est Confessarius qui operam suam poenitenti non denegaverit, et Ordinarium vel S. Sedem pro opportuno remedio consulat (1). Quandoque etiam vera obligatio ex charitate adesse potest. Specialis tamen obligatio ipsi non est imposita.

IV. Absolvi non debent poenitentes admoniti, generatim extra casus exceptos, « nisi prius denuntiationem ad affectum perducentes delinquentem indicaverint competenti Iudici; vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant ac promittant (2) ». — Absolvi ergo etiam illi possunt qui ob iustam causam denuntiationem differunt, v. gr. opportunam occasionem exspectant.

De calumniosa denuntiatione sollicitationis, qui est casus speciatim, imo dicitur specialissime, reservatus Papae, nota: intelligitur de denuntiatione 1° *iudiciali*, quae adeoque saltem eatenus in forma est ut in iudicio servire possit; 2° falsa *quoad substantiam*, i. e. quoad ipsum crimen vel quoad circumstantias vi quarum crimen cadit sub leges contra sollicitantes latas. 483.

Reservatio extenditur ad procurantes, *si* tamen denuntiatio reapse secuta sit, et ab actione procurantis provenerit.

De absolutione huius casus vide n. 358 sq., coll. n. 357, III.

(1) Cit. Instr. S. Off.

(2) Const. Bened. XIV.

TRACTATUS VI.

DE EXTREMA UNCTIONE.[1]

CAPUT PRIMUM.

NOTIO, EFFECTUS, MATERIA, FORMA ET RITUS.

484. I. **Definiri** potest Extrema Unctio: Sacramentum quo per unctionem olei et orationem Sacerdotis infirmo confertur sanitas animae, et corporis etiam si animae saluti expedit. Nimirum

II. **Effectus** huius Sacramenti sunt: 1° collatio gratiae; ex *primario* quidem eius institutionis fine gratiae *secundae; secundario* autem etiam gratiae *primae.* Quare *primario* est Sacramentum *vivorum,* ita ut in statu gratiae recipi debeat; *secundario* tamen est etiam Sacramentum *mortuorum,* ita ut a peccatore bona fide et saltem attrito susceptum remittat peccata mortalia, *non per accidens, sed per se.* — Venialia peccata, quorum affectus depositus est, remitti communiter Theologi docent.

2. Delere reliquias peccatorum; quibus intelliguntur tum spiritualis debilitas quae ex peccatis in anima remanet; tum debitum poenarum temporalium. *Qui effectus est* maxime huius Sacramenti proprius seu *gratia sacramentalis,* et confertur pro rata dispositionis subiecti.

(1) In hoc et sq. Tr. plura dicenda, vel probanda et exponenda relinquimus Dogmaticis.

3. Sanitas corporalis, *hypothetice*, ut iam dictum, et cfr. n. 493, IV.

Materia remota est oleum. Quod 485.

I. *Ad valorem* oportet ut sit 1° olivarum seu proprie dictum, 2° benedictum, idque 3° ab Episcopo, vel a Sacerdote simplici sed ex concessione Summi Pontificis.

Num etiam requiratur ut sit specialiter ad hunc usum benedictum, seu *num solum oleum Infirmorum* sit materia apta, non vero Catechumenorum vel S. Chrisma, *dubium est.* Quare in necessitate, illo deficiente, ista adhiberi possunt vel pro circumstantiis debent; postea autem si illud tum habeatur, Sacramentum iterandum est: utrumque sub conditione; cfr. n. 24 sqq.

II. *Ad licentiam per se* et *sub gravi* requiritur ut oleum sit benedictum 1° eodem anno, computando a Coena Domini (1), 2° ab Episcopo Dioecesis, vel, Sede vacante, ab Episcopo vicino.

Materia proxima est Unctio. 486.

De partibus corporis ungendis haec habet Rit. Rom. (2): « Quinque vero corporis partes praecipue ungi debent, quas veluti sensuum instrumenta homini natura tribuit: nempe oculi, aures, nares, os et manus; attamen pedes etiam, et renes ungendi sunt; sed renum unctio in mulieribus, honestatis gratia, semper omittitur, atque etiam in viris quando infirmus commode moveri non potest. Sed sive in mulieribus sive in viris alia corporis pars pro renibus ungi non debet ».

« *Unctio renum,* ex Pontificio Indulto Neerlandiae Dioecesibus concesso, etiam in viris *omittitur*. Eius autem loco, pariter ex Apostolica venia, in aliquibus Dioecesibus adhibetur in viris unctio *ad pectus,* post unctionem ad os, sub forma: ... *quidquid per cogitationes et affectus cordis deliquisti* (3).

Ad licentiam (4) quod attinet, *extra casum necessitatis,* 487. imprimis sub gravi fieri debent quinque unctiones organorum quinque sensuum. Praeterea oportet

(1) Cfr. n. 97 cum nota 1.
(2) Tit. V. Cap. I, n. 15.
(3) Suppl. ad Rit. R. n. 27.
(4) De valore vid. n. 490.

I. quoad ipsas unctiones ut fiant — 1° Pollice dextero; non alio digito, minus etiam penicillo similive instrumento, extra casum necessitatis; — 2° in modum crucis; — 3° servato sensuum ordine praescripto; — 4° pro membris geminis, in utroque membro, *incipiendo a dextero.*

Quae tamen omnia *non* videntur obligare *sub gravi,* excepto probabiliter 3° secundum plures.

De unctione pedum alii aliud resolvunt; secundum multos pendet e consuetudine loci. At saltem non ita sub gravi haec praescripta videtur, ut non possit omitti ex rationabili quavis causa.

II. Quoad caeremonias et preces. — 1. *Sub gravi* praescriptae censentur — 1° vestes sacrae: stola et superpelliceum; at solum alterutrum omittere probabiliter veniale tantum habetur; — 2° orationes *a Sacerdote* recitandae. Ut adstantes recitent psalmos poenitentiales etc. consilium videtur, non praeceptum.

2. *Sub levi* summum adhibendus videtur minister, isque *masculus.* Quo deficiente nullum peccatum videtur admittere feminam ad respondendum, non magis quam in ipsa Missa.

3. Candela accensa, cum praeparanda dicatur ut « ungenti lumen praebeat », non videtur cadere sub praeceptum.

4. Quod, contra antiquam consuetudinem, hodie Viaticum *ante* Extremam Unctionem administrandum iubetur, hoc saltem sub gravi praecipi non videtur,

488. Ordo modusque ungendi. Ordo praescriptus est *descensus* ab organo superiore ad proxime sequens, nisi quod *renes post pedes* unguntur; ita ut fiat unctio

1° *Oculorum* super ambas palpebras compressas: cfr. 4°;

2° *Aurium* in imis auriculis;

3° *Narium* super utramque narem, a latere ne sternuatur;

4° *Oris* super amba labia compressa; una unctione; quod si commode ita fieri nequeat, sufficit unum lubium linire;

5° *Manuum* in mediis *palmis;* sed manuum *Sacerdotis exterius;*

6° *Pedum,* in plantis vel in superiori parte pro consuetudine (1);

7° *Renum* ad latera.

(1) S. R. C. 27 Aug. 1836.

« Si quis sit aliquo *membro* mutilatus, pars loco illi proxima inungatur (1) ». — Si quis ipso *sensu* careat et semper caruerit, puta visûs, auditûs, nihilominus eodem modo ungitur nec quid mutatur in forma.

Quantitas olei adhibenda non est determinata. Dubitatur tamen num practice una guttula sufficere possit ad omnes unctiones rite peragendas. Quare suadetur ut ad singulas, quae sub repetita forma fiunt unctiones, pollex denuo in oleo intingatur.

Forma in Ecclesia latina solemnis illa precatio est quam Sa- **489.**
cerdos ad singulas unctiones adhibet, cum ait: « *Per istam sanctam Unctionem, et suam piissimam uisericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid* . . . (2) *deliquisti* ». — « *Amen* » responderi potest ab ipso infirmo cum adstantibus; secus, dicatur a ministro vel ipso Sacerdote.

Dum oculos, aures et alia corporis membra quae paria sunt, Sacerdos ungit, caveat ne alterum ipsorum inungendo Sacramenti formam prius absolvat quam ambo huiusmodi paria membra perunxerit (3).

Omittere verba: *sanctam, piissimam,* vel *amen,* certo non plus quam veniale est, quum neque ad essentiam pertineant neque notabilem partem constituant; idemque propter eamdem rationem hodie (n. sq.) dici potest de toto inciso: *per suam piissisam misericordiam.*

Nota. Dubium est num modus *deprecativus* sit essentialis. Distingue deprecativum *sensum* et *sonum.* — *In praxi certo* est adhibendus tum quia tutior tum quia praescriptus (4).

De casu necessitatis. Ex quo approbante Pio X 26 **490.**
April. 1906, S. Off. decrevit: in casu verae necessitatis sufficere formam: « Per istam sanctam Unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen. » iam constat

I. Ad valorem quoque sufficere tum haec verba, tum uni-

---

(1) Rit. R. l. c. n. 18.

(2) Per visum; per auditum; per odoratum; per gustum et locutionem; per tactum; per gressum; per lumborum delectationem. Cfr. n. 486, l.

(3) Rit. R. l. c. n. 17.

(4) Ball.-Palm. n. 20, ed. 3ª n. 852.

cam unctionem. Neque refert, ad valorem, in qua corporis parte, vel quomodo unctio haec fiat.

II. Ad licentiam vero unica unctio sub dicta forma brevi sufficit *in solo casu verae necessitatis* (1). Atque Sacramento ita administrato neque addendae vel supplendae sunt, ne sub conditione quidem, aliae unctiones; quia de valore sacramenti iam dubitari non potest. Aliud est de precibus praetermissis (2).

Observa praeterea 1° necessitas adesse quoque potest ex parte Sacerdotis, nim. si infirmus laborat morbo *contagioso* tali qui *contactu* facile inficit, ut variolae *(pokken)* lepra, pestis.

2° In eadem necessitate unctiones fieri, periculumque contagionis caveri potest ope penicilli vel virgulae (3).

CAPUT SECUNDUM.

DE MINISTRO EXTREMAE UNCTIONIS.

491. I. **Minister** administrationis validae est *omnis* et *solus* Sacerdos (4). — Valide administratur sive ab uno sive a pluribus Sacerdotibus (5). Sed in Ecclesia latina sub gravi praeceptum est ut ab uno solo conferatur, nisi necessitas aliud exigat. Si quando Sacerdos deficiat antequam quinque sensuum unctiones perfecerit, subsequens Sacerdos, si statim praesto est, suppleat inchoando ubi alter desiit. Quodsi notabilis mora, puta quadrans intercesserit, dubium oriri potest ex eo, quod forma *partialis* solummodo, ut supponimus adhibita est; idque cum intentione, non Sacramentum statim integre perficiendi, sed singulas Unctiones sub propria cuiusque forma peragendi: quare in hypothesi rectius videtur sub conditione Unctiones peractas repetere et dein continuare.

---

(1) Theologi et antiquiora Ritualia particularia passim *suadent,* ut fiat in fronte vel in organo sensus magis obvio.

(2) Num ius particulare pro eodem casu quid vere *praescribat,* in unaquaque Provincia vel Dioecesi videndum est.

(3) Aertnys n. 357, i. f; et in *Ned. Kath. Stemmen* anni 1907 pag. 258 sq.

(4) Cfr. Trid. Sess. XIV, de E. U. cap. 3 et can. 4: Denz. n. 788 et 807.

(5) Cfr. n. 6.

II. Licite administrat solus Parochus vel Ordinarius *loci ubi aegrotus decumbit;* vel Sacerdos qui ab alterutro licentiam saltem tacitam vel rationabiliter praesumptam habeat. Quare si forte Parochus irrationabiliter neque administrare neque administrandi licentiam dare vellet, satis praesumi posset licentia Episcopi. At sine ulla licentia administrans graviter peccaret (1), et Regularis hoc praesumens insuper excommunicationem S. Pontifici reservatam incurreret.

Obligatio administrandi. I. Pastores animarum sub **492.** gravi obligantur hoc Sacramentum administrare, per se vel per alium, *subditis petentibus,* idque tempestive (2). At de obligatione illud administrandi cum periculo vitae practice numquam certo constabit (3).

II. Alii Sacerdotes, deficiente Parocho, in ordinariis circumstantiis, sub levi obligantur. Sed quandoque per accidens gravis obligatio esse potest; si nim. sine gravi incommodo administrari possit, infirmus autem credatur esse in statu peccati mortalis et nullo probabili modo confiteri possit: tum enim, posita attritione, hoc Sacramentum certo peccata remitteret, Absolutio vero valde dubia foret.

CAPUT TERTIUM.

DE SUBIECTO EXTREMAE UNCTIONIS.

I. **Subiectum validae susceptionis,** praeter intentionem **493.** suscipiendi, quatuor conditiones coniungat: 1° sit baptizatus; 2° *sit vel fuerit* rationis compos ita ut actualia peccata committere *potuerit;* 3° sit infirmus, idque 4° periculose.

II. Ad 2^m^. Conferri itaque non potest infantibus, neque a nativitate perpetuo amentibus. In dubio de usu rationis administrari potest sub conditione.

III. Ad 3^m^. Hinc dari *non potest* iis quibus mors, etsi certo, imminet *ex causa mere externa,* non ex infirmitate vel causa

(1) Cfr. n. 19.
(2) Cfr. n. sq. IV.
(3) Cfr. n. 42 sqq.

quae infirmitati aequiparatur, ut ex vulnere, veneno, partu difficili, senectute. Quare « non ministretur praelium inituris, aut navigationem, aut peregrinationem, aut alia pericula subituris, aut reis ultimo supplicio mox afficiendis (1) ». — Neque iis dari potest quibus brevi periculum mortis orietur sed nondum revera adest, v. gr. *ante* periculosam operationem chirurgicam, vel ante partum qui difficilis fore praevidetur.

IV. Ad 4^m. Requiritur et sufficit periculum probabile seu prudens timor mortis. Quo posito, optandum certo est ut, nisi specialis differendi causa adsit, certius vel maius periculum ne expectetur. Quamquam casus in quo dari *potest* Extrema Unctio, bene distinguendus est a casu in quo volenti dari *debet*: hic adest quum moraliter certo mors imminet (2). Neque tamen unquam expectandum est ultimum tempus vitae, quo aegrotus, iam omni salutis spe amissa, vita et sensibus carere incipiat; id enim prorsus contrarium est naturae huius Sacramenti, siquidem iam sanitati corporis recuperandae non proderit — non enim hunc effectum operatur per modum miraculi — spirituales vero fructus multo minores producet quam si homo sui compos illud recepisset (3).

494. « Evidenter Extrema Unctio dari nequit ei qui iam mortuus sit. Sed cavendum ne nimis festinanter pronuntietur infirmum iam animam exhalasse. Etenim difficile est, praesertim iis qui in arte medica imperiti sunt, certe agnoscere num iam exspiraverit, qui brevi antea adhuc signa vitae edebat et in quo proinde nondum apparet rigor cadavericus vel initium putredinis, quae sola videntur medicis prorsus certa mortis signa (4). Quare ubi non est ti-

(1) Rit. l. c. n. 9.

(2) S. Lig. n. 714; cfr. Trid. l. c.

(3) Génicot n. 422, 4°. — Ad quaesitum: « Quandoque Missionarii obvium habent quemdam phtisi aliove morbo laborantem qui, duce experientia, plures adhuc menses victurus est, sed intra annum morietur: quaeritur num in tali casu possit Missionarius ei ministrare Viaticum et Extremam Unctionem, propterea quod, quando reapse instabit tempus ea recipiendi, Missionarius in eodem loco adesse non poterit, sive ob magnam distantiam, sive ob aliud impedimentum? » S. C. P. F. 20 Febr. 1801 respondit: « Affirmative ».

(4) Capellmann *Med. past.* Ed 4ª latina 1ª pag. 183 seqq., ed. lat. 5ª pag. 189 sqq. — Diutius incerta manet mors vere secuta in casibus mortis repentinae quam ordinariae. Quae mortis incertitudo magis fundatam rationem prae-

mendus contemptus Sacramentorum in adstantibus, praestabit inungere eum qui brevi antea exspirasse videtur, potissimum si nullus medicus mortuum esse testatus fuerit (1).

« Infirmis ... etiamsi loquelam amiserint, vel amentes effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilominus praebeatur » Extrema Unctio, etsi eam petere iam nequeant. — « Sed si infirmus ... verisimiliter posset quidquam facere contra reverentiam Sacramenti, non inungatur, nisi periculum tollatur omnino ». **495.**

« Impoenitentibus vero, et qui in manifesto peccato mortali moriuntur, et excommunicatis ... penitus denegetur (2) ». — Probabilius tamen non est *per se* deneganda iis qui in actu peccati, v. gr. ex vulnere in duello accepto, sensibus destituuntur; neque iis qui usque ad sensuum destitutionem Sacramenta respuerunt (3). Attamen ab iis qui Sacramenta respuerunt inungendis saepe abstinendum erit, donec aliquod poenitentiae signum dederint: quia ipsos antea inungere, praesertim multis id rescientibus, facile cedet in contemptum Sacramentorum (4).

Iterari non debet Extrema Unctio in eadem infirmitate *et* periculo; iterari potest in alio periculo sive ex alia sive ex eadem infirmitate denuo oriatur. Requiritur itaque ut saltem probaliter iudicetur infirmus e mortis periculo exiisse: quod generatim satis constare non poterit nisi per notabile tempus, puta per mensem, non autem per quatuor vel quinque dies, melius se habuerit (5). In dubio autem utrum aliud an idem sit mortis periculum, suadet Benedictus XIV ut Parochus potius ad iterationem propendeat, cum haec conformior sit veteri Ecclesiae consuetudini et aegroto favorabilior (6). **496.**

---

bere videtur Sacramenta conditionate administrandi, quam quod alii (ut Ferreres-Geniesse *La mort réelle et la mort apparente* etc.; Antonelli *Med. Past.* II, P. III cap II et III) dicunt de vita latente ut plurimum brevius diutiusve, secundum varias opiniones, perdurante, post ultimam expirationem seu quum homo iam mortuus ordinarie censetur; in quod neque omnes medici consentiunt; cfr. Damen in *De Katholick* fasc. Iul. 1908, pag. 1 sqq.

(1) Génicot ib.

(2) Rit. R. l. c. n. 6 sqq.

(3) Cfr. n. 421.

(4) Génicot n. 423, II.

(5) S. Lig. n. 715.

(6) Génicot ib. III.

497. Obligatio gravis suscipiendi hoc Sacramentum probari nequit per se adesse. — Sed quandoque per accidens haec oriri potest, praesertim dupliciter. 1° Ratione scandali quo alii inducerentur ad hoc Sacramentum nihili faciendum, ex gr. si Parochus, cui omnis opportunitas oblata esset, illud recipere detrectaret. — 2° Ratione contemptus, ut diserte dicit Trid. (1). Sed adverte non contemni Sacramentum nisi ab iis qui illud parvi faciant: id autem non contingit omnibus qui illud negligunt, v. gr. ob aliquam repugnantiam (2).

Quod autem nonnulli dicunt graviorem esse obligationem eorum qui ex charitate vel pietate curare debent ut aegrotus Sacramenta recipiat: hoc, ut verum sit, intelligas cum respectu et ratione Poenitentiae et Viatici, quae plerumque cum Extrema Unctione conferuntur vel omittuntur (3).

(1) L. c.
(2) Génicot n. 424, 3°.
(3) Id. n. 422, 4°.

TRACTATUS VII.

DE ORDINE.

CAPUT UNICUM.

NOTIO. MATERIA. FORMA. SUBIECTUM (1).

Notio. I. Ordo vi vocis duplici sensu accipitur: 1° *active* 498.
pro ipsa *Ordinatione* qua cui confertur potestas aliqua spiritualis in Ecclesia; 2° *passive* pro statu et *gradu potestatis* praedictae.

II. Septem Ordines distinguuntur in Ecclesia latina *quatuor minores:* Ostiariatus, Lectoratus, Exorcistatus et Acolythatus; *tres maiores* seu sacri: Subdiaconatus, Diaconatus et Sacerdotium. — *Sacerdotium* distinguitur *minus* seu Presbyteratus, et *maius* seu Episcopatus. Qua ratione dici possunt et a nonnullis dicuntur octo Ordines.

Ordinibus praemittitur *Tonsura clericalis* qua laicus in clerum adoptatur, et quae est via ad Ordines.

III. De fide est aliquem « Ordinem sive Sacram Ordinationem esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum (2) ». Quare certissimum hoc est de Presbyteratu, utpote de quo inter Catholicos numquam sit dubitatum. De Diaconatu et de Episcopatu, olim praesertim, dubitatum est; sed hodie communiter

(1) Sporer. Tr. VII, Cap. V. n. 197 sqq.
(2) Trid. Sess. XXIII, Can. 3: Denz n. 840.

et ut certum docent utrumque esse verum Sacramentum. Alios etiam Ordines non pauci ex antiquioribus docuerunt vel probabile habuerunt esse Sacramenta (1); hodie vero satis communiter et absolute id negant.

499. **Materia et Forma.**

I. Ordinum minorum et Subdiaconatus generatim materia sunt traditio instrumentorum, quae singulorum sunt propria; forma sunt Episcopi verba comitantia traditionem. — Ex dicto autem n. pr. sub III. colligitur: 1° hae Ordinationes, dummodo probabiliter valide collatae sint, practice certo validae haberi possunt, quum Ecclesia censeatur supplere defectum. quatenus opus est; 2° S. Pontifex quoslibet defectus, etiam substantiales, sanare potest (2).

500. II. De Diaconatu, Presbyteratu et Episcopatu variae sunt sententiae et dubia plurima.

1° Probabilius nunc docent generatim solam impositionem manuum Episcopi cum verbis concomitantibus constituere essentiam Ordinationis. — Plures tamen etiamnum tenent etiam traditionem cum verbis correspondentibus esse essentialia. Haec autem *sola* sufficere iam communiter negatur.

2° Dubitatur praeterea de impositione manuum: 1° num in Diaconatu *sola* essentialis sit impositio manuum super singulos, an *etiam* extensio manus versus omnes; 2° in Presbyteratu num *sola* impositio manuum super singulos, item num *sola* extensio manus versus omnes sufficiat, an vero *utraque* requiratur; praeterea num *etiam* tertia impositio prope finem Ordinationis sit essentialis.

Nota. Requiritur, saltem practice certo, tactus physicus; sufficit tamen mediatus, v. gr. super pileolum (3).

3° Dubitatur pariter de verbis et orationibus, quae sint essentialia: 1° in Diaconatu num *sola verba* « Accipe Sp. S. » etc. an *etiam oratio* quae dicitur sub extensione manus versus omnes, an vero *haec sola* ad essentiam pertineant; 2° in Presby-

(1) Inter recentiores v. Egger *Enchir. Theol. Dogm. Spec.* n. 644.
(2) Palm. ad Ball. n. 10, ed. 3ª n. 888; Lehmk. n. 586.
(3) S. Inq. 22 Iun. 1892.

teratu num *exhortatio* « Oremus fratres » etc., an *oratio* « Exaudi » etc. *cum Praefactione* subsequente, an *haec omnia,* atque an *insuper* verba quae ultimam manuum impositionem comitantur, sint essentialia; in Episcopatu an *sola* verba « Accipe Sp. S. » etc., an *etiam* preces subsequentes ad essentiam spectent. — *Praeterea* qui traditionem instrumentorum essentialem habent, idem consequenter docent de verbis eam concomitantibus.

4° De instrumentis tradendis dubitatur 1° num requiratur tactus physicus ex parte ordinandi; 2° an sufficiat tangere hostiam, non tactâ patenâ — tactâ patenâ non requiri tactum hostiae communiter ut moraliter certum docent — 3° num sufficiat solum calicem tangere, non tangendo patenam; 4° num calix et patena debeant esse consecrata; 5° num sufficiant calix et patena sine vino et hostia.

5° In praxi quoad praedicta omnia tutiora sunt servanda.

Post factum itaque si error commissus vel quid omissum 501.
est, aut Ordinatio est iteranda, aut error corrigendus vel omissum supplendum est pro variis casibus. — Ponimus autem certo vel probabiliter errorem vel omissionem contigisse respectu eorum quae certo vel probabiliter, secundum dicta, requiruntur — non loquimur de mero scrupulo, qui est negligendus et deponendus (1) — Quo posito, cum Génicot (2)

Praenotamus. Dubia de necessitate Ordinationem iterandi praesertim spectant ad Presbyteratum, tum ob controversias plures cum ob sequelas graviores. Insuper si quis invalide inferiores Ordines suscepisset, non ideo impediretur quominus valide superiorem acciperet; imo eminenter inferiores, puta Subdiaconatum et Diaconatum, in collatione superioris, puta Presbyteratus, reciperet. — Attamen secreto repetendam esse Ordinationem Diaconatus respectu Sacerdotis cuius caput physice non tetigerat Episcopus Diaconatum conferens, iussit S. Inq. (3). Quod practice, saltem ad cautelam, servandum est. — Antiquioribus documentis constare videtur in Ordinatione quoque Episcopali eminenter conferri Presbyteratum ei qui hunc nondum suscepisset (4). Contradicunt tamen plerique Theologi et Canonistae. Et cum A. l. l. c.

---

(1) Huc facit Resp. S. R. C. 3 Dec. 1661.
(2) N. 428 sq.
(3) 20 Ian. 1875.
(4) Gasp. n. 24.

Revolvimus I. *Generatim:*

1° Tota Ordinatio *absolute iteranda* est in omni et solo casu quo plane constat omissum esse ritum *certo essentialem.*

2° Si omissus vel male administratus est ritus *probabiliter tantum essentialis,* puta in Ordinatione Presbyteri vèl manus impositio vèl instrumentorum traditio, regula est ut tota Ordinatio *sub conditione repetatur. Excipe* tamen si ritus ille vèl 1° supponit iam potestatem per alium ritum collatam, ut tertia impositio manuum super presbyterandum; vèl 2° haberi potest tamquam pars integralis ritus iam adhibiti, ut prima manuum impositio. In quo utroque casu sufficiet supplere.

Nota. Si omissus sit ritus *certo accidentalis,* regula est ut *non necessario suppleatur. Excipe* si ex natura sua et catholica traditione esset maximi momenti. Id censent communiter de manuum unctione in Ordinatione Presbyteri. Nihil tamen repetendum censuit S. Inq. (1) si loco olei catechumenorum oleum S. Chrismatis adhibitum fuerit. De reliquis ritibus supplendis nulla certa obligatio exstat; quamquam variant AA. Neque supplenda est impositio manus presbyterorum, si forte solus Episcopus manus imposuerit (2).

II. *Specialim* de impositione manuum:

1° Si nullus, neque mediatus contactus contigit, supplendus est.

2° Si praetermissa fuit ab Episcopo secunda manuum impositio, quamvis eas prius super caput singulorum imposuerit et omnes orationes rite protulerit, Ordinationem totam secreto iterandam esse respondit S. Poen. (3); dum S. Inq. (4) respondit nihil esse iterandum Episcopo qui secundam hanc impositionem coeperat, sed intermiserat antequam orationem in Pontificali praescriptam recitaret.

3° Si quando Episcopus erravit in pronuntiandis verbis quae tertiam manuum impositionem comitantur, dicendo v. gr. « retinentur eis » loco « remissa sunt », secreto supplenda est eadem

(1) 22 Iul. 1874.
(2) S. C. P. F. 6 Aug. 1840.
(3) 31 Mart. 1888.
(4) 16 Sept. 1877.

impositio cum sua forma sive ab eodem sive ab alio Episcopo. In hunc sensum pluries respondit S. Inq. (1).

III. De traditione instrumentorum:

1° Si *rationabile* dubium oritur num ordinatus physice instrumenta vel unum eorum tetigerit, secreto iteranda erit sub conditione tota Ordinatio (2).

2° Sub conditione repetenda foret Ordinatio Presbyteri, si traditus fuisset calix sine vino vel patena sine hostia (3). Idem tutius foret si quando tradita essent calix et patena non consecrata.

De Ministro et Subiecto Ordinationis vide Cursum Iuris Canonici. Moralistae quaerunt 502.

I. De Vocatione ad statum clericalem stabiliter amplectendum, puta per Subdiaconatum. Distinguitur vocatio alia *exterior* in eo sita quod ordinandus a legitimo Episcopo libere et rite admittitur — de hac non est quaestio — alia *interior* seu *divina*, de qua

Quaer. 1° num sit necessario sequenda? — 2° num sit necessaria?

Resp. ad 1^m. Non videtur graviter peccare qui vocationem non sequitur; tum quia vocatio divina non est praeceptum divinum; tum quia Deus nemini, modo saltem oret ut oportet, gratias congruas denegat.

Ad 2^m. Distinguendum est. Si quis, bonis moribus praeditus, rectam habet intentionem et bonam voluntatem obligationibus clericalibus satisfaciendi; peccare, saltem graviter, non videtur, etsi formaliter vocatum sese non sentiens S. Ordinem petit; quia et huic gratiae necessariae non negabuntur. Secus vero, a peccato excusari non poterit ob periculum cui se exponit seipsum vel etiam alios perdendi. Huc iam spectat id quod quaerunt

II. De necessitate probatae virtutis, praesertim castitatis. Dubium non est de moribus proprie dictis seu externis; in quos Episcopi lege etiam ecclesiastica iubentur diligenter inquirere, indignosque repellere. Sed quaestio est de habitibus occultis. Practice hoc fere modo proponi solet

(5) V. gr. 9 Dec. 1897.
(6) S. C. C. 28 Maii 1796.
(7) S. C. . 11 Febr. 1708.

Quaestio: num sit neganda Absolutio Clerico habituato in peccatis lasciviae occultis, qui velit ad S. Ordines ascendere sine praecedenti experimento continentiae?

Resp. 1. *Secundum S. Lig.* (1), extra casum quo Deus donet poenitenti tantam extraordinariam compunctionis gratiam quae prudentem relapsus timorem excludat, hodierna et antiqua *lex Ecclesiae,* semper constans, *obstringit* tam Episcopos quam *Confessarios et promovendos* ut huiusmodi clericus, quamvis sit sincere conversus et ideo possit statim absolvi, non tamen possit S. Ordinem suscipere nisi aliquamdiu operam dederit ad pravum habitum exstirpandum; ita ut, si ipse persistat Ordinem statim recipere, non censeatur dispositus, quia *legem Ecclesiae violat in re gravi.*

Verum *hanc legem* extare, hodie saltem, *multi negant* vel in dubium vocant, quin ipse S. Dr. eam antea negaverat.

2. Huc faciunt (2) 1° verba Trid. (3): « Subdiaconi et Diaconi ordinentur... *qui sperent,* Deo auctore, se continere posse ». Et 2° verba quibus ex Pontificali Episcopus promovendos ad Subdiaconatum alloquitur: Si *usque nunc* fuistis ebriosi, *amodo* sobrii: si *usque nunc* inhonesti, *amodo* casti ». — Ad quae cum Ballerini (4)

Notamus ad 1^m. Haec lex non est clara. Nam tandem et qui hactenus incontinens fuit, si eum vere poeniteat, sperare potest se, Deo auctore, posse deinde continere.

Ad 2^m. vero: non ergo Ecclesia lege sua excludit ab Ordinatione sacra eos, qui usque ad tempus Ordinationis fuerint inhonesti. Quod exigit, est ut in posterum velint esse honesti. Et cum eodem

Concludimus 1° legem *positivam* proprie dictam de absentia huiusmodi habitus pravi, qui occultus maneat, non exstare pro Ordinationem sacram suscepturis.

2° *Nihilominus* admittendam in hypothesi putamus aliquam obligationem *ex lege naturae* abstinendi ab Ordine Sacro, maxime

---

(1) N. 64.

(2) Plura afferuntur quae huc non spectant.

(3) Sess. XXIII, Cap. XIII de Ref.

(4) Vol. IV, Tr. IX, Cap. II, n. 11, sqq., ed. 3ª n. 230 sqq.

a Subdiaconatu, recipiendo; eam autem graviorem vel leviorem pro maiori minorive periculo quod, omnibus consideratis, remanere creditur ne tali poenitenti Ordo seu potius status suscipiendus vergat in majorem sui aliorumve perniciem. De quo quidem periculo practice aliud iudicium ferendum erit prout est propensio ad peccata cum aliis vel ad solitaria; et quoad posteriora distinguendum erit inter consuetudinem magis et minus inveteratam et vehementem. — Praeterea cum Génicot (1)

Notamus 1. Facilius permitti potest ut is qui iam Subdiaconatum suscepit, Ordinem superiorem petat, nisi suscepturus Presbyteratum se exponat periculo dandi scandala Ecclesiae perniciosa.

2. E consuetudine peccatorum alius speciei generatim non exsurget obligatio differendi S. Ordinis susceptionem. Excipienda tantum foret consuetudo prorsus inolita ebrietatis: nam haec, perinde ac peccatorum luxuriae frequentia, hominem vinculis vix abrumpendis constringit, et scandalis, maxime toti Ordini clericali noctiuris, latam viam pandit.

(1) Tr. X. n. 27, 1° et 4°.

TRACTATUS VIII.

DE MATRIMONIO.

CAPUT PRIMUM.

DE SPONSALIBUS.

ARTICULUS I.

NOTIO SPONSALIUM (1).

503. **Sponsalia** definiuntur: promissio mutua futuri matrimonii. Quae promissio, ut valeat, praeterquam habeat dotes ad omnem contractum onerosum requisitas, oportet ut fiat inter unum et unam habiles, atque observata sit forma praescripta Decreto « *Ne temere* » secundum statuta in eo Num. I, II et XI: de qua forma mox n. 510 sq. Dicitur:

1° Promissio. Non sufficit desiderium vel propositum etsi manifestata.

2° Mutua, quia est contractus bilateralis. Si unus tantum promittat, altero acceptante sed non repromittente, oriri *potest,* iure naturae attento (2), obligatio promittenti, si nempe hic solus obligari voluit, alteri relicta libertate; non autem vera sponsalia. Quia vero ut plurimum unus non promittit matrimonium nisi sub tacita

(1) Sporer Tr. X, Cap. I, Sect. II, n. 148 sqq.
(2) Cfr. n. 511, VIII.

conditione repromissionis, plerumque talis promissio *de facto* nullum effectum producit.

3° Futuri matrimonii. Nam consensus de praesenti vèl matrimonium efficit vèl nihil omnino. Per exceptionem tantum, ex dispositione iuris, pro impuberibus valet ut sponsalia — i. e. effectus sponsalium producit etsi vera sponsalia non sint — nisi tamen forte expresse sponsalia excluserint, et solo matrimonii vinculo se obstringere intenderint; cfr. n. 628, Nota.

4° Inter unum et unam(1). Sequitur ex unitate ipsius matrimonii. Hinc si quis duabus simul promitteret se alterutram ducturum, haec promissio acceptata induceret, ex solo iure naturae (2), vinculum fidelitatis vel iustitiae, non tamen sponsalium, atque adeo non pareret impedimentum dirimens publicae honestatis; idque etiamsi repromissio accederet: quo casu repromittentes deberent rationabili mora exspectare electionem, atque, positis ponendis, per electionem alterutrius vera orirentur sponsalia.

5° Habiles, sc. actu ad matrimonium promittendum et postea saltem ad illud ineundum inter se. Unde intelligitur quinam sint generatim inhabiles.

Inhabiles ratione impedimenti sive dirimentis sive **504.** impedientis sunt:

1° Qui laborant impedimento *de se perpetuo, et absolute* sibi matrimonium promittunt. — Dicitur autem de se perpetuum impedimentum, etsi tolli possit dispensatione.

2° Item qui laborant impedimento *temporaneo, et* matrimonium referunt *ad illud tempus* quo impedimentum nondum cessaverit. — Contra, si referunt ad tempus quo impedimentum cessaverit, habiles sunt. Haec autem posterior intentio praesumitur, nisi ex adiunctis contrarium pateat. — Pariter impedimentum quod cessare potest sine dispensatione, non videtur obstare valori sponsalium, si haec ineantur sub conditione determinante impedimenti cessationem; puta impedimentum disparitatis cultus vel mixtae religionis.

Promissionem matrimonii factam a coniugato plures dicunt prorsus irritam: pro iure naturae argumentantur a pari ex casu

(1) Cap. un. de sp. et m. in 6.

(2) Cfr. n. 511, VIII.

inverso matrimonii initi post et contra sponsalia antecedentia, de quo n. 526; sed l. c. patebit rationem hanc firmam non esse, et communius non admitti; pro iure canonico hoc deducunt ex cap. II de concess. praebend; deducunt, inquam, nam hoc ipsum ibi non dicitur.

Alii autem solum graviter illicitam hanc promissionem habent: ob rationes supra insinuatas. Pro iure novissimo cfr. n. 510 sq.

Nota. *Impuberes* a septennio completo ex iure *praesumuntur* habiles ad contrahenda sponsalia, sed *sunt* inhabiles ad solvenda ea.

505. Quid de sponsalibus initis sub conditione impetrandae dispensationis?

Resp. 1° Generatim, posito rationabiliter sperari posse dispensationem, ex communiori et probabiliori sententia sunt valida et obligant ut alia sponsalia conditionata.

Non pauci tamen contradicunt, quia ex iure conditio haec habenda est ut impossibilis, et res promissa in praesenti est illicita. E quorum sententia 1° ex talibus sponsalibus nulla oritur obligatio ante impletam conditionem, atque 2° ad eorum valorem post impetratam et fulminatam dispensationem requiritur ut consensus renovetur. Sed utraque ratio allata parum solida videtur. — Addunt hanc sententiam magis conformem esse praxi et menti Ecclesiae dispensantis: quod deducunt ex variis decisionibus Congregationum Romanarum. Quae tamen non convincunt: solum afferuntur decisiones, e quibus in casibus propositis *non sustinentur sponsalia,* nim. pendente conditione seu ante datam, acceptatam et fulminatam dispensationem; non vero in quibus asserta decernuntur; hinc alii aliter eas interpretantur. Sententia ipsa nihilominus certo probabilis et tuta.

2° Si agitur de iis impedimentis in quibus Ecclesia aegre solum et velut invita dispensat, ut sunt impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis, ex praxi Ecclesiae multo certius ad nullitatem sponsalium concludi potest (1).

506. I. Verba vel signa dubia, si adhibita sunt ad exprimendum consensum, ut si dicatur: « non ducam aliam praeter te »,

(1) Cfr. Instr. S. Off. 12 Dec. 1888 ad Episcopo Rit. Orient.

vel: « tibi semper fidelis ero », *in foro conscientiae* attendi debet *intentio* contrahentium; *in foro externo* attenditur *communis intelligentia* et sensus verborum vel signorum. *Dubio manente,* in utroque foro standum est *pro libertate.*

Hodie plerumque propter formam observandam (n. 510. sq.) non facile huiusmodi dubio locus erit.

II. Ficta promissio externe seria, cui applicantur dicta Tom. II, n. 130 et 498 sqq., per se grave peccatum est, leve erit si fictio facile adverti potuit.

Quoad sponsalia ex metu dubium tantum vertitur de 507.
influxu metus iniuste adeoque ab extrinseca et libera causa incussi, et qui relinquat sufficientem usum rationis.

I. Sponsalia ex metu gravi inita 1° secundum quosdam sunt *solum rescindibilia,* sicut omnis contractus ex metu. 2° Secundum alios sunt *omnino invalida;* sed hi non conveniunt in ratione afferenda: alii censent ea esse invalida ut alii contractus ex metu; alii, quia non potest dari obligatio ad matrimonium nullum; et sicut quaod ipsum matrimonuium ex metu dissentiunt num iure naturae an positivo sit invalidum, idem dissensus est quoad sponsalia.

Pro praxi vix datur difficultas; nam 1° secundum omnes saltem recedere potest a sponsalibus is qui metum passus est — sed in posteriori sententia neque alterum ad matrimonium cogere potest: quae est differentia — et 2° saltem probabile est non oriri impedimentum publicae honestatis.

II. Sponsalia ex metu levi inita secundum plures sunt *valida;* alii probabiliter dicunt *invalida;* probabilius sunt *rescindibilia* ad libitum metum passi (1). *Pro praxi* itaque resolve ut supra.

Nota 1° Ut sponsalia, sicut et matrimonium, *ex iure ecclesiastico* sint invalida propter metum, ex communi sententia, contra aliquos, requiritur ut metus fuerit incussus *ad extorquendum con-*

(1) Observa inter AA., qui contractus onerosos ex metu initos generatim summum rescindibiles habent, esse qui sponsalia tamen invalida dicunt, vèl quia haec maiorem libertatem requirunt, vèl quia ab ipsis aequiparantur quoad hoc ipsi matrimonio.

sensum in sponsalia. Ex iure naturae haec conditio non videtur requisita.

2° Nullus metus irritat sponsalia, si metum passus libere promittit matrimonium alteri tertio, qui nec ab incutiente metum proponitur, nec cum eo coniungitur. Cfr. n. 585, sq. et Tom. II, n. 139 sqq.

508. Sponsalia contracta *a filiisfamilias* insciis vel invitis parentibus sunt per se certo *illicite* contracta secundum dicta Tom. I n. 399, sunt tamen *per se valida,* nisi ipsum matrimonium quod promittunt est ipsis illicitum.

509. I. Per procuratorem etiam iniri possunt sponsalia: quo casu ea quae iure positivo statuta sunt pro matrimonio, communiter AA. applicant sponsalibus; cfr. n. 558.

Per litteras vero inter omnino absentes generatim iniri iam non possunt propter dicenda de forma praescripta.

II. Sponsalia a parentibus — sc. patre vel matre, non aliis — *pro filiis* contracta ex iure anteriori, in quantum vigere perrexit post Decretum « Ne temere », *pro foro externo* praesumuntur a filiis ratihabita adeoque valida, *si* vèl praesentes fuerint et tacuerint, vèl ea de re ab ipsis parentibus — per se vel per alios — certiores facti sint, *et* ea tacite vel expresse ratificaverint, *Pro foro interno* requiritur ut filii vere consentiant.

ARTICULUS II.

FORMA SUBSTANTIALIS SPONSALIUM.

In novissimo hac de re iure canonico, quod continetur Decreto « Ne temere » 2 Aug. 1907 (1) statuitur artt. I, II et XI:

510. **Textus Decreti:** « I. — Ea tantum sponsalia habentur valida et canonicos sortiuntur effectus, quae contracta fuerint per scripturam subsignatam a partibus et vèl a parocho aut a loci Ordinario, vèl saltem a duobus testibus.

Quod si utraque vel alterutra pars scribere nesciat, id in ipsa scriptura adnotetur; et alius testis addatur, qui cum parocho, aut

(1) De promulgatione et vi seu extensione huius Decreti vide n. 641 sq., et cfr. n. 672 sqq.

loci Ordinario, vel duobus testibus, de quibus supra, scripturam subsignet.

II. — Nomine parochi hic et in sequentibus articulis venit non solum qui legitime praeest paroeciae canonice erectae; sed in regionibus, ubi paroeciae canonice erectae non sunt, etiam sacerdos cui in aliquo definito territorio cura animarum legitime commissa est, et parocho aequiparatur; et in missionibus, ubi territoria necdum perfecte divisa sunt, omnis sacerdos a missionis moderatore ad animarum curam in aliqua statione universaliter deputatus.

XI. — § 1° Statutis superius legibus tenentur omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi (licet sive hi, sive illi ab eadem postea defecerint), quoties inter se sponsalia vel matrimonium ineant.

§ 2° Vigent quoque pro iisdem de quibus supra catholicis, si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis, etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, sponsalia vel matrimonium contrahunt; nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum.

§ 3° Acatholici sive baptizati sive non baptizati si inter se contrahunt, nullibi ligantur ad catholicam sponsalium vel matrimonii formam servandam ».

Explicatur art. I. — I. Ea tantum sponsalia haben- **511.**
bentur valida. Quae verba, contra paucos, cum pluribus aliis sic intelligimus, ut sponsalia aliter inita declarentur prorsus invalida in utroque foro, interno atque externo. Nitimur praecipue mente et scopo legislatoris, quae patent ex Decreti prologo: voluit nim. S. Pontifex ut sponsalium « celebratio expedita, certa atque ordinata fieret ». Atvero si sponsalia pro foro interno valida simulque in foro externo invalida forent, contrarium potius ex lege hac sequeretur (1).

II. Quae contracta fuerint per scripturam. Non ergo sufficit scriptura quae testetur consensum antea datum; oportet ut scriptura consensum nunc datum testetur et probet.

III. Subsignatam a partibus etc. 1. Si partes scribere sciant, etiam *debent* ipsae subsignare; ut praeterea ex altera huius art. alinea patet; cfr. dicendum sub VI.

(1) Cfr. Vermeersch *De forma sponsalium etc.*, ed. 4ª, n. 23.

2. Quoad sponsalia itaque a parentibus pro filiis contracta, quando pro filiis viget Decretum *Ne temere,* ruit illa praesumptio Iuris pro foro externo de qua n. 509, II.

3. Ex Respp. S. C. C. 27 Iul, 1908, I et II ad valida ineunda sponsalia 1° partes tenentur « subsignare scripturam unico contextu cum Parocho seu Ordinario, aut cum duobus testibus »; nec sufficit « ut scriptura, ab una parte cum Parocho vel cum duobus testibus subsignata, remittatur ad alteram partem, quae vicissim cum Parocho vel cum duobus testibus subscribat »; cfr. n. 509, I. — 2° Requiritur praeterea ut in scriptura sit apposita data « seu adscriptio diei, mensis et anni ».

IV. Vel a Parocho aut a loci Ordinario. 1. Etiam Parochus ut plurimum intelligitur non tam proprius ipsarum partium quam *loci* in quo sponsalia contrahuntur. Quo observato sponsalia possunt « celebrari coram quolibet Ordinario aut Parocho, dummodo intra limites territorii eiusdem Ordinarii vel Parochi »; S. C. C. 28 Mart. 1908, ad VII.

Dixi: « ut plurimum »: quia non excluduntur Parochi qui in contrahentes potestatem personalem potius quam territorialem habent (1); sicut excluduntur Ordinarii mere personales quales sunt Superiores religiosorum exemptorum. Ideo hic et saepius in hoc Decreto vox « loci » additur ubi de Ordinario, non ubi de Parocho agitur.

2. Parochus vel loci Ordinarius subsignant ut testes qualificati, quibus nim. munus hoc a Iure est commissum; quare etiam neutri ulla auctoritate S. Pontificis inferiore ius hoc, quantum ad valorem actus, adimi potest. Neque hoc munus suum alteri delegare possunt ex S. C. C. 28 Mart. 1908, ad V.

Quod posterius dictum 1° saltem et certo intelligendum est de delegatione particulari, i. e. ad unum plurave determinata sponsalia. — Contra 2° certo non est intelligendum de delegatione generali tali qua quis aequiparatur Parocho, puta quum quis ab Ordinario loci substituitur Parocho absenti vel impedito. — 3° De aliis casibus videtur dubitandum, idque eo magis quo magis a dicta generali delegatione recedant; sed de omnibus puto negandum esse, et dicendum eos solos qua Parochos ut testes qualificatos subsignare posse, qui sequente articulo II et responsis S. C. C. de quibus mox n. sq. dicuntur venire nomine Parochi (2).

(1) Cfr. n. sq. sub IV.

(2) Cfr. Gennari in *Monitore ecclesiastico* 1909 pag. 83. — Vermeersch op. cit. n. 36 etsi generatim pariter negandum per se dicat de delegatione etiam generali, affirmat tamen pro casu deputationis de qua sub 2° ab ipso

V. Vel saltem a duobus testibus. Observa differentiam: si Parochus vel loci Ordinarius ut talis subsignat, horum alteruter *solus* sufficit; si vèl neuter horum, vèl aliquis quidem Parochus aut Ordinarius sed non intra limites sui territorii seu non ut talis subsignat, *duo* testes supplere debent: adeoque in posteriori hypothesi cum Parocho aut Ordinario unus adhuc alius testis. Optio autem datur ipsis nupturientibus eligendi inter Parochum vèl Ordinarium loci hinc, aut duos alios testes illinc.

Nota quoque differentiam cum casu de quo sub VII.

VI. Quod si utraque vel alterutra pars scribere nesciat. Perinde videtur num vere nesciant an physico impedimento non possint scribere.

VII. Alius testis addatur. 1. Hic sufficit ut *unus* testis addatur; idque semper sufficit, etiam si neutra pars scribere sciat vel possit.

2. Quoad omnes testes opus est ut praesentes sint et subsignent quum ipsae partes subsignant, ita ut vere testes sint ipsius contractus, non solius scripturae; cfr. dictum sub III, 3, 1°.

VIII. Observa tandem 1°. Decretum agit de sponsalibus. Hinc certo nihil inde sequitur quoad obligationes ex delicto.

Quid autem de obligationibus ad matrimonium ex promissione sive unilaterali sive mutua quidem non tamen sufficiente ad sponsalia (1)?

Resp. Cum communiori opinione dicendum putamus, quoad obligationes huiusmodi nihil ex hoc Decreto erui posse, donec ipsa S. Sedes aliud declaraverit (2).

Nonnulli tamen aliter resolvunt et nullitatem deducunt ex fine a legislatore intento, vitandi sc. incommoda: haec autem eadem (3) ex huiusmodi promissionibus clandestinis atque ex sponsalibus se-

---

quoque Parocho facta; — quod admittendum videtur — idemque sentit quoad Vicarios vel Coadiutores Parochorum absentium ad paucos dies vel adeo praesentium, si vèl ex usu Dioecesis (qui usu in Provincia ecclesiastica Ultraiectensi non existit) vèl expressa Parochi seu Ordinarii voluntate facultas pro matrimoniis *in generali deputatione* putetur contenta.

(1) Cfr. n. 503, 4°.

(2) Cfr. Vermeersch op. cit. n. 28.

(3) Hoc aliquanto quidem exaggerate dicitur.

querentur; quare haec irritando legislator censeri debet etiam, imo a fortiori illas utpote minus stringentes irritare voluisse. Eo vel magis, addit Schaepman (1), quod praeviae promissioni unius si eadem promissio alterius accesserit, illico exurgeret promissio mutua quae invalida erit: quod vix non absurdum videtur (2).

2°. Quoad stipulationes secundarias, uti arrhas, iuramentum, resolvendum videtur: si partes intenderint hisce firmare vera sponsalia, eas per se validas esse aut invalidas ut ipsa sponsalia; si vero per eas intenderint absolute et abstrahendo a sponsalibus horumve valore obligationem suscipere, eas per se valere, nisi nempe ex alio capite sunt invalida. — De conditionibus vide n. 516, II.

512. **Explicatur art. II.** — I. In ordine ad sponsalia et matrimonium, tria genera Parochorum distinguuntur prout regionis territoria sunt vel non sunt perfecte divisa; et si prius, prout ibi parochiae sunt vel non sunt canonice erectae. Qua Parochus (3) itaque contractum sponsalitium subsignandi ius habet:

1° Qui legitime praeest paroeciae canonice erectae: sc.: praeter parochos proprie dictos, etiam solum putativos cum errore communi et titulo colorato, omnes qui ad plenam alicuius paroeciae curam legitime sunt deputati, *administratores* paroeciae vacantis vel ad tempus praesentia proprii pastoris orbatae; *coadiutores* qui ad universalem curam animarum adiunguntur parocho infirmo aut imperito; *vicarii curati,* qui universam curam animarum gerunt loco parochi habitualis (4).

Non vero, *per se,* intelliguntur illi Vicarii et cooperatores Parochi praesentis vel ad breve tempus absentis, quos etiam Sacellanos seu Capellanos vel Assistentes dicimus.

Quodsi in hypothesi erroris communis aliquibus in parochia res nota sit — quoad assistentiam matrimonialem: quod hodie subsignationi quoque

---

(1) Tr. de Matrimonio, I, n. 219, 3°.

(2) In communiore opinione dicerem ex nullitate promissionis mutuae sequi ut promissio posterior stante priore valida esse nequeat. Concedendum est rationes allatas suadere Iuris extensionem.

(3) Cfr. n. pr. V.

(4) Pro casuum varietate constituuntur vèl ab Ordinario, vèl a Decano aut ab ipso parocho. Cfr. Conc. Prov. Ultraj. pag. 89 et 97.

sponsalium applicandum est — horum etiam matrimoniis ipsum valide assistere affirmat Sanchez, negat Fagnanus.

Si adest error communis, sed deficit titulus coloratus, controvertitur, sicut in simili quaestione de iurisdictione.

2° In regionibus, ubi paroeciae canonice erectae non sunt, etiam sacerdos cui in aliquo definito territorio cura animarum legitime commissa est, et parocho aequiparatur.

3° In missionibus, ubi territoria necdum perfecte divisa sunt, omnis sacerdos a missionis moderatore ad animarum curam in aliqua statione universaliter deputatus.

Quodsi singuli pluresve Missionarii non pro sola aliqua statione sed pro integra Missione universaliter sunt deputati, hi omnes certo in tota Missione cumulative Parochi nomine veniunt. Si vero tantummodo « in aliqua statione », ut Decretum habet, sunt deputati, alii censent eorum competentiam ad illam Stationem esse restrictam, sicut secundum omnes Parochorum competentia ad eorum territorium est restricta; alii (1) sentiunt etiam horum omnium competentiam per se (i. e. nisi restringatur) cumulative extendi ad totam Missionem.

Ad 2^{m} et 3^{m}. De iis qui absentem aut deficientem suppleant perinde erit dicendum acad I. dicebamus relate ad Parochos proprie dictos.

II. Praeter tria hic indicata genera Parochorum, sunt etiam 1° Parochi qui plures simul in uno eodemque territorio cumulative iurisdictionem habent; puta ubi pro singulis ritibus vel nationibus singuli Parochi sunt constituti; 2° Parochi qui, praeter territorium proprium, etiam in alterius Parochi territorio nonnullas personas vel familias, puta talis ritus vel nationis, sibi subditas habent; 3° Parochi qui, nullum territorium habentes, iurisdictionem directe exercent in personas vel familias, adeo ut has personas sequantur quocumque se conferant: quales speciatim sunt Capellani castrenses; 4° tandem notandi sunt Capellani seu Rectores piorum cuiusvis generis locorum, a parochiali iurisdictione

(1) Vermeersch n. 38; De Becker *Nova legislatio* pag. 16.

exemptorum. De hisce agitur in Dubiis resolutis 1 Febr. 1908, VII-X; quas resolutiones, etiam sponsalibus applicandas vide infra n. 648, III.

III. Omnes hucusque enumerati in ordine ad sponsalia veniunt nomine Parochorum simul ac officium adepti sunt per institutionem tituli collativam, seu per solam nominationem acceptatam, nisi tamen praedecessor adhuc possessionem retineat; et quamdiu Parochus munere suo non est privatus, retinet ex ipso iure qualitatem testis auctorizabilis pro sponsalibus. — Aliud partim est in ordine ad assistentiam matrimonialem; cfr. n. 645 sq.

IV. Ad artt. I et II de forma substantiali sponsalium observa demum 1° sicut integrum Decretum, ita etiam hi articuli quantum ad *valorem* actuum attinet, generatim — si nim. partim excipias subiectos Parocho personali — nituntur regula: locus regit actum. Ad *licentiam* actuum quod spectat, quoad sponsalia nihil, quoad matrimonium quaedam statuuntur art. V; cfr. n. 654 sqq.

2° In testibus, praeter Parochum vel loci Ordinarium nihil speciatim ad valorem requiritur; cfr. n. 653, I.

3° Hoc Decreto nulla praemittendi matrimonio sponsalia necessitas est imposita.

Explicationem articuli XI, seu quinam hoc decreto ligentur vel non ligentur, vide infra n. 672 sqq.

ARTICULUS III.

EFFECTUS SPONSALIUM.

§ I. — *De sponsalibus absolutis.*

513. **Effectus** sponsalium sunt *ex iure naturae*: 1° obligatio gravis et strictae iustitiae contrahendi *matrimonium*; unde sequitur 2° inhabilitas *valide* promittendi vel *licite* contrahendi aliud matrimonium. Addi potest 3° obligatio *corpus* caste custodiendi; cfr. n. 530. Accedit *ex iure positivo* 4° impedimentum publicae honestatis.

514. Ad 1^m. Implenda sunt sponsalia, 1° si terminus fuerit praefixus, eo adveniente; 2° secus, quum una pars rationabiliter id exigit. Excipe ad utrumque: nisi adsit iusta causa differendi; cfr. n. 534.

In praxi quamvis absolute et speculative loquendo sponsalium executio ab irrationabiliter renuente sub denegatione Absolutionis urgeri possit; nihilominus quum matrimonia invite contracta malum exitum habere soleant, suadendum magis videtur ut Confessarius potius, quoad eius fieri potest, praxim Ecclesiae in foro externo servari solitam imitetur: in quo nim. foro regula est ut pars renuens *moneatur,* exceptio rarissima ut *cogatur;* sicque, ut patet, etiam alterius partis bono melius plerumque consulitur quam cogendo prorsus invitum.

Itaque 1° si renuens aliquam saltem causam afferat, sed dubiam vel litigatam seu a comparte non admissam, Confessarius non se immisceat sponsorum litibus sed eos ad Parochum mittat. 2° Si nullam causam afferat, vel, quod satis eodem redit sed magis practicum est, si pro causa afferat mutatam voluntatem vel affectionem erga compartem, vel etiam translatam affectionem, tunc, quum non ita facile sibi persuadeant renuentes se esse in malo statu ex hoc solo quod non stant promisso matrimonio a quo iam abhorrent, prudenter caveat Confessarius ne conscientiam gravis peccati, a poenitente reapse non vitandi, iniiciat. Summum prudenter adhortetur; renuere pergenti suadeat, ut, cum vel sine oblata compensatione pro variis circumstantiis, dissolutionem sponsalium mutuo consensu obtinere tentet. Quodsi non succedat, sunt AA. qui putent absolute sufficere, ad Absolutionem renuenti concedendam, ut hic promittat se, in casu quo altera pars ius suum in foro externo prosequatur, mandato vel sententiae iudicis ecclesiastici esse obtemperaturum. Quod qua ratione defendi possit, non video, nisi forte, in hypothesi invincibilis reluctantiae contra statum coniugalem vel personam compartis, hanc ipsam reluctantiam admittendo tamquam iustam causam resiliendi a sponsalibus. Potius expedire in casu extremo videtur ut, per Parochum et Ordinarium, relaxatio sponsalium procuretur. Cfr. Vlaming I, n. 33, et infra n. 538.

515. Ad 2^m^. Stantibus prioribus sponsalibus absolutis, sponsalia posteriora essent *invalida simul et illicita,* nisi forte contraherentur sub conditione: « si priora sponsalia dissolvantur ». Casu autem quo sponsus invalide cum altera, priorum sponsalium sive conscia sive ignara, sponsalia iniit et cum hac copulam habuit, atque huic

grave damnum imminet si cum ipsa non contrahatur, priori sponsae suaderi potest, nisi etiam ipsa grave damnum timeat, vel hoc ipsum quod matrimonium cum ipsa non contrahitur, sibi grave damnum existimet, imponi vero ex probabiliori sententia non potest, ut iuri suo ex charitate renuntiet. — Et aliud quidem est quaerere num prior propter posteriorem cedere iure suo debeat; aliud num sponsus infidelis per obligationem erga posteriorem contractam causam sufficientem habeat recedendi a prioribus seu veris sponsalibus. Sed ad hoc posterius quoque negandum videtur, tum quia semper praevalet ius prioris sponsae, tum quia secunda sponsa damnum subeundum sibi imputare debet: id quod, propter crimen ab ipsa admissum, verum manet, etsi ipsa ignara fuisset priorum sponsalium. Adde, secus sponso infideli nimis facile medium praeberi sese liberandi a sponsalibus.

§ II. — *De Sponsalibus conditionatis* (1).

516. I. Conditiones sponsalibus appositae *pro foro externo* secundum plures, contradicentibus aliis, resolvuntur *sicut appositae ipsi matrimonio.* — *Pro foro interno* effectus conditionum dependent ex intentione contrahentium, et determinantur *secundum regulas contractuum in genere.* Excipe probabiliter sponsalia sub conditione dispensationis impetrandae; cfr. n. 505.

517. Resolves I. Sponsalia sub conditione de futuro (2) *resolutoria* aequivalent absolutis pariuntque impedimentum publicae honestatis, quod perdurat etiamsi sponsalia eventu conditionis dissolvantur.

II. Ex sponsalibus sub conditione *suspensiva,* cuius impletio alterutrius vel utriusque culpâ fuerit impedita, non videtur oriri impedimentum publicae honestatis. Dubium quoque videtur num is qui malitiose conditionis impletionem impediverit, per se teneatur stare sponsalibus; cfr. Tom. II, n. 167, I, 3°.

III. Sponsalia inita sub conditione *suspensiva* efficiunt, ut, pendente conditione, illicite et invalide promittatur matrimonium,

(1) Sporer n. 208 sqq.

(2) Supponimus toto hoc numero conditionem talem, quae vel quatenus non irritet contractum utpote de re turpi, secundum dicta Tom. II, n. 155 sqq.

nisi fiat sub conditione: « si deficiant priora sponsalia conditionata ».

IV. Per se, i. e. nisi contrarium ex satis manifestata contrahentium intentione sit statuendum, *iniustitia solum* committitur si quis *fraude vel dolo* impedit ne apposita conditio impleatur. V. gr.; sponsalia non raro contrahuntur sub conditione: « si parentes consentiant »; si tunc filii sincere casum parentibus exponant, fraudulenter non agunt, sed iure suo utuntur; quod verum adhuc videtur, etsi parentes simpliciter rogent ut consensum denegent; V. d. Velden n. 375.

V. *Quid* in casu consensûs ante impletam conditionem *illegitime revocati?*

Resp. Plures AA. resolvunt sponsalia non perfici; cfr. n. pr. — Sporer cum aliis supponit contrarium, n. 212 dicens: « Matrimonium, non item sponsalia, pendet a continuatione voluntalis ». Et merito. Non enim affertur ratio, cur in hoc sponsalia sint aequiparanda matrimonio, non vero aliis generatim contractibus. AA. hoc tribuunt Iuri canonico. Sed ubinam, quaeso, in Iure hoc *quoad ipsum matrimonium* habetur, non suppositum tamquam ex iure naturae, sed statutum? Et, si statutum hoc ponatur, quomodo ex Iure probant *suppositam aequiparationem* inter contractus tantopere inter se differentes? Sunt enim sponsalia contractus *consensualis* qui solo consensu, matrimonium vero est contractus *realis* qui non perficitur nisi secuta traditione, eàque, in casu, non rei alicuius ad se pertinentis, sed sui ipsius in perpetuam alterius potestatem; quae maxime traditio atque adeo perfectio contractus facile intelligitur dependere a continuatione voluntatis (1).

Concludo, in casu consensus illegitime revocati dubitari *ob auctoritatem DD.* posse de orto impedimento publicae honestatis, non vero de obligatione reparandi iniuriam: iniuriam enim admissam esse omnes concedunt, imo haec est ipsius huius quaestionis hypothesis; laesus autem in casu ius habet ad verum consensum, consequenter ad matrimonium.

---

(1) Cfr. Wernz *Jus Decretalium* IV, n. 103; Desmet *De Sponsalibus et Matrimonio* n. 13, 2°; Lehmkuhl II, n. 661 in ultimis editionibus.

§ III. — *De Poenis, arrhis etc.*

518. Stipulatio poenae solvendae ab eo qui a sponsalibus resilierit — vel ab eius parentibus, propinquis, amicis, ex communi interpretatione — lure canonico *prohibetur et irritatur*. Contra communiorem autem multi *probabiliter* docent hanc luris dispositionem, afficere quamlibet poenae stipulationem, *etiam contra iniuste resilientem*.

519. Quoad arrhas dispositiones luris romani hic non vigent. Standum proinde erit *intentione* dantis et accipientis si quid de iis statuerint, vel *secus consuetudine* ex qua resiliens sine causa a sponsalibus restituere debet quantum accepit; imo usus habet ut restituat arrhas etiam qui iuste resilit. V. d. Velden n. 377.

520. Largitas sponsalitia, seu iocalia, sunt munera data in signum amoris et *sub spe nuptiarum*. Haec per se redeunt ad donantem si sponsalia solvuntur nullius e culpa vel ob culpam accipientis. Sed aliter resolvendum, si donans vèl absolute ea dedit vèl ea remittit: quod praesumitur si dona sunt parvi momenti spectata dantis conditione et hic ea non reclamat. — Manent penes accipientem si vèl nuptiae celebrantur vèl culpâ dantis non celebrantur.

521. Modus si sponsalibus adiectus fuit, facit ut pars quae modum adiecit et *ea de causa* nuptias promisit, sponsalia solvere possit, si alter recusat onus implere; cfr. Tom. II, n. 174.

522. Iuramento si sponsalia confirmata fuere, applica dicta Tom. II, n. 182 sq. Praecipue hic notandum 1° iuramentum non efficere ut dissolvi nequeant sponsalia; 2° iuramentum auferri eo ipso quod iuste frangitur promissio, nisi forte iuramentum fuerit per se stans.

ARTICULUS IV.

CAUSAE DISSOLUTIONIS SPONSALIUM (1).

523. Causae aliae *absolute* solvunt sponsalia, ita ut *statim et ex utraque parte* extinguatur obligatio; aliae *conditionate*

(1) Sporer n. 226 sqq.

solum, i. e. dant *uni parti* ius resiliendi, quo si utitur, sponsalia solvuntur. At non semper convenit inter AA. ad utram classem causa pertineat. Frequentius etiam in uno eodemque casu variae simul causae concurrunt. Praecipuae autem causae sunt;

I. Consensus sponsorum, qui debet esse *mutuus*, saltem ad hoc ut uterque a sua obligatione liberetur; *liber* a fraude, metu et errore: secundum dicta de contractu gratuito, quia remissio obligationis est species donationis; et datus *a sponsis puberibus;* cfr. n. 504, nota.

II. Pubertas adepta. Si sponsalia contracta fuerint inter impuberes vel inter puberem et impuberem, ex Iuris privilegio impuber statim ac pubertatem adeptus est, potest sine ulla causa recedere a sponsalibus, neque ad hoc tenetur exspectare pubertatem alterius. Requiritur autem secundum plures, aliis tamen negantibus, ut obtenta pubertate intra triduum a cognitione huius privilegii habita coram iudice ecclesiastico vel testibus declaret se resilire a facta promissione. 524.

Excipiuntur probabiliter ab hoc privilegio 1° impubescentes, i. e. pubertati proximi, qui sponsalibus iuramentum addiderunt; 2° impuberes qui copulam carnalem habuerunt; cfr. Gasparri I, n. 76, ed. 3ª n. 128.

III. Dirimens impedimentum superveniens. 1° Superveniente impedimento perpetuo et *indispensabili,* i. e. in quo dari vel sperari non potest dispensatio, sponsalia solvuntur ex utraque parte, ut patet. Tenetur autem qui culpâ suâ, — puta fornicatione, nam de hac practice fere agitur — et *sciens volens* impedimentum induxit, ad compensationem vel reparationem damni erga alteram partem. — 2° Superveniente impedimento *dispensabili* obligatio sponsalium cessat pro parte quae impedimento causam non dedit. Ex parte illius qui culpâ suâ, *sciens volens*, impedimentum induxit, obligatio non cessat, sed suspenditur, i. e.: contrahit obligationem curandi obtinendam dispensationem, si pars innocens hoc exigit, quae si secus grave damnum pateretur vel infamiam, alter neque excusatur nisi damno vel incommodo multo graviori; si secus, i. e. si vèl ipse excusatur vèl altera pars reiicit dispensationem, tenetur alio modo compensare vel reparare damnum. — 525.

Quodsi forte *ignorans* impedimentum oriturum causam illi dederit, haberi potest peccatum, puta fornicatio cum sorore sponsae, sed non iniuria formalis; ideoque inducens tenebitur tantum et summum procurare dispensationem si sine incommodo valde gravi obtineri potest: nim. tenebitur ad modum debitoris inculpabilis ex contractu, non vero iniusti damnificatoris. Dixi: *summum* tenebitur; nam sunt qui eum teneri per se negant, nisi nempe accedat ratio damni cavendi vel reparandi; cfr. S. Alph. n. 858.

526. De impedimento ligaminis sponsalibus superveniente communius sentiunt AA. pro sponso infideli solum *suspendi* obligationem durante vita coniugis: praecipue quia vinculum matrimonii non est natura sua perpetuum, cum morte compartis cesset. Plures alii probabiliter docent illo prorsus ex utraque parte sponsalia *solvi:* quia ad hoc ut vinculum posterius penitus extinguat prius, seu ut dicatur natura sua perpetuum, sufficit ut posterius non ex accidentali impotentia, sed natura sua repugnet priori, et sit insuper ex se indissolubile.

527. De impedimento impediente superveniente opus non est hic speciatim dicere. Sufficiet notasse; dissensus parentum, posito sponsalia esse valide contracta, ex dictis n. 508 et Tom. I, n. 399 vix poterit inducere verum impedimentum. Potius praebere poterit aliquando causam resiliendi, maxime si dissensus non fuerit praevisus, idque etsi hic forte non sit ita rationabilis. De quo, et de aliis huc pertinentibus vide dicenda nn. sqq.

528. IV. Notabilis defectus vel mutatio status, qui vel quae sponsalibus supervenit, vel iis contractis detegitur. Quo venit etiam crimen grave alterutrius et maxime violatio fidei datae.

Regula generalis est haec: omnis causa vel circumstantia tam gravis ut ante existens vel ante nota, iudicio prudentum, deterruisset a sponsalibus, ius praebet resiliendi ab iis. Quae regula, si causa intelligatur talis quae matrimonium promissum reddat *notabiliter difficilius,* admittitur ab omnibus; cfr. n. 532. Ratio regulae petenda est ex intentione promittentium, ex qua promissio censetur facta sub tacita conditione resolutoria: si mutatio notabilis non contingat. — Valet autem regula pro eo etiam qui

fuit in mora culpabili; nam etsi peccaverit differendo matrimonium, non peccat tamen iure suo utendo.

Defectus vel mutatio contingere potest *in bonis animi,* v. gr. si sponsus aleator, ebriosus etc. evadat, si asper moribus et admodum severus; si graves inimicitiae ortae fuerint inter sponsorum parentes vel ipsos sponsos — *in bonis corporis,* ut si alteruter incidat in gravem et incurabilem morbum, amittat oculos, fiat claudus; si sponsa antea pulcherrima fiat notabiliter deformis; si detegatur gravis oris olentia, cui arte medica subveniri nequeat — *in bonis status vel fortunarum,* ut si alteruter, vel etiam si uterque in paupertatem incidat, frustretur spe magnae haereditatis exspectatae vel muneris valde lucrativi etc.

529. Quodsi circumstantiae, de quibus supra tales sunt ut redderent nuptias *perniciosas,* vèl *manifestandae* sunt, vèl a matrimonio desistendum est, *nisi* una pars sciat ex parte alterius easdem vel similes existere circumstantias. Si vero reddant nuptias solum *minus appetibiles,* non potest quidem sine iniuria alter alterum positive decipere; sed non tenetur manifestare eas circumstantias, neque desistere a matrimonio contrahendo. Si tamen praevidetur fore ut huiusmodi circumstantia contracto matrimonio detegatur et graves rixas excitet, saltem prudentia suadet ut aperiatur vel a sponsalibus recedatur.

530. Fornicatio sponsorum cum tertia persona ex communi sententia rationem habet iniuriae, tum quia fides violatur tradendo tertio id quod comparti promissum est, seu ob violatum ius ad rem — quamquam hoc ius nonnulli negare videntur — tum quia res promissa corrumpitur seu deterior redditur: cuius posterioris rationis gravitas augeri potest sequelis, puta infamiâ vel prole concepta. Iniuria haec num *per se gravis* sit controvertitur: alii affirmant de sola sponsa fornicante, non de sponso; alii de utroque; alii de neutro. — Quod iam attinet ad ius solvendi sponsalia,

1. Fornicatio *subsequens* 1° alterutrius dat alteri parti ius resiliendi; quod idem communius resolvunt etiamsi sponsa sit vi cognita; — 2° utriusque 1) secundum alios *utrique* dat ius resiliendi, quia uterque fidem fregit; 2) secundum alios *neutri,* quia paria delicta compensantur; 3) secundum communiorem *soli*

sponso, quia fornicatio sponsae est longe foedior quam sponsi adeoque neque delicta sunt paria.

2. *Antecedens* fornicatio 1° sponsae certo *dat* sponso, 2° sponsi ex communi *non dat* sponsae ius resiliendi, *nisi* vèl frequenter ille fornicatus sit, vèl ex alia prolem susceperit, vèl secundum quosdam, sponsa sit valde honesta, quae certe consensura non fuisset, si crimen alterius novisset; consequenter 3° utriusque summum per se *soli sponso* dat ius resiliendi.

3. Equidem *pro nostris regionibus,* cum ferme aeque probrosa reputetur fornicatio sponsi ac sponsae, potius resolvendum puto: 1° fornicatio alterutrius sive antecedens sive subsequens dat *alteri parti,* 2° utriusque 1) *antecedens neutri, si* circumstantiae sint pares, 2) *consequens* vèl neutri vèl utrique — quod utrumque probabile — dat ius resiliendi.

Quae de fornicatione, eadem, cum proportione tamen, valent *de aliis actibus turpibus* cum tertia persona, praesertim si saepius frequentati sint; imo aliquatenus etiam valent de sola *nimia familiaritate:* nam ubi quaeritur de iure solvendi sponsalia, ratio habenda est non solum iam violatae fidei, sed etiam fundati timoris ne postea fides matrimonialis laedatur.

531. In praxi praecipua difficultas movetur de disparitate conditionis.

1. Nulla disparitas sive *in statu* seu nobilitate sive *in divitiis* per se seu ratione sui reddit sponsalia invalida vel illicita, cum neque ipsum matrimonium reddat illicitum, quod nim. hoc ex capite inter omnes est licitum.

2. Disparitas in statu tanta et talis esse potest ut matrimonium propter dedecus familiae censendum sit illicitum, adeoque ut sponsalia ab initio fuerint invalida.

Si non talis, sed *ignota* fuit disparitas notabilis sive in statu sive in divitiis, praebet ius resiliendi secundum dita n. 528; secus vero per se, si quis conscius disparitatis matrimonium promisit.

« Ceterum quando adsit necne eiusmodi dedecus, familiae sc., diiudicandum non videtur ex sola allata regula disparitatis conditionis; quia aliae rationes indecori matrimonii adesse possunt, v. gr. crimina familiae, suspicio de religiosis sensibus aliaque. Nec rursus

id dimetiendum est ex solo parentum iudicio, sed standum erit prudentum arbitrio, et res praeterea pensanda est ex variis variarum regionum moribus ». Ball.-Palm. n. 200, ed. 3ª n. 101.

3. *Quid* vero si ob disparitatem conditionis, aliamve huiusmodi causam, *dissentiant parentes,* et inde prevideatur secuturum scandalum ob odia propinquorum etc.?

Resp. Casus contingere certe *potest* ut hac *ratione, scandali* sc., matrimonium videatur illicitum. Quia tamen sola charitas hic urget, plerumque resolvendum erit filium stricte non teneri morem gerere parentibus, si non possit sine gravi incommodo; eo magis quod huiusmodi scandala, inito matrimonio, facile evanescunt et animi conciliantur. Grave autem incommodum filiis oriri potest ex ipsa vehementi amoris passione, ut notat S. Alph. n. 851.

Praeterea observet Confessarius: cum ad iudicandum de omnibus in casu considerandis et conferendis, « necessaria prorsus sit penitior cognitio plurium circumstantiarum circa statum familiarum, circa indolem et affectum diversarum personarum, hinc saepius et melius haec causa parocho diiudicanda relinquitur, nisi Confessarius haec adiuncta et ipse cognoscat aut cognoscere possit » Ball. Palm. n. 270, ed. 3ª n. 106.

Quodsi superveniat circumstantia quae, si ante evenisset, effecisset ut sponsalia non essent inita, sed quae matrimonium non reddit magis onerosum, num detur ius resiliendi, controvertitur. Casus praecipui sunt: 1° si alterutri ex inopinato obveniat ingens haereditas; 2° si offeratur coniugium cum persona multo ditiore. Contra communiorem non pauci *probabiliter affirmant;* quia in aestimatione communi haec mutatio moraliter eadem est ac ea qua matrimonium difficilius redditur, ita ut hi casus aequiparandi videantur casibus de quibus n. 528. Et in priori casu accedit, quod vera orta est disparitas inter sponsos. 532.

Discessus alterutrius 1° Si sponsus, inscià vel invità sponsâ, alio se transfert certo *animo mutandi domicilium,* sponsa statim resilire potest. Si *non tali animo* discessit, sed 2° abiit *in regionem longinquam* unde reditus brevi sperari non potest, vel si ex mora grave damnum immineat sponsae, haec pariter alteri nubere potest. 3° Si abiit *in locum propinquum,* vel si de absen- 533.

tis intentione et absentiae diuturnitate non constat, vèl expectandus est donec redeat, vèl requirendus ut intra certum tempus redeat. Quodsi ex iusta causa differat, vèl exspectandum erit ad prudentis arbitrium, vèl melius, causa remittatur Ordinarii arbitrio. — « De facilitate porro vel difficultate redeundi non est nunc diiudicandum prouti iudicabant avi nostri et scriptores praeteritae aetatis. Iudicandum est de his modo pro adiunctis et temporis et personarum ». Ball.-Palm. n. 318, ed. 3ª n. 165.

534. Mora alterutrius vel utriusque.

1. Si terminus non est praefixus, et uno rationabiliter matrimonium celebrari petente alter nimis differat vèl sine iusta causa, vèl etiam ex iusta causa sed cum gravi incommodo partis paratae, haec potest licite recedere. De dilatione vel incommodo quae alteram partem liberent, iudicet vir prudens vel Ordinarius.

2. Si terminus est praefixus, idque 1° *ad sollicitandum* solum, seu ad non ultra differendam obligationis executionem, termino elapso pars, cuius causâ non est impleta promissio, certo non liberatur. Altera vero pars libera videtur si sine iusta causa compars non stetit promissione, quia haec violavit fidem; si vero ex iusta causa distulit, casus resolvendus est ut supra sub 1; quod idem dicendum erit, si terminus statutus est eo solo fine ut non ante urgeri possit obligationis impletio.

3. Si terminus praefixus est 2° *ad finiendum*, seu ad extinguendam obligationem, 1) Certo liberatur ea pars *per quam* non *stetit*, ut sponsalia implerentur, si culpâ alterius nuptiae non sunt celebratae; et probabilius etiamsi altera pars inculpabiliter non impleverit promissionem. Imo *si neutra pars fuerit in culpa*, utraque libera videtur vi stipulationis contractui adiectae. — 2) Certo item utraque pars libera est, *si ex utraque parte stet culpa*, tum ob rationem mox datam, tum quia utraque tacite iure suo cessit.

3) Una pars *quae fuerit* in culpa, num et haec liberetur, controvertitur. Communiter negant, quia nemo debet commodum reportare ex sua iniquitate. Non pauci tamen affirmant, quia vi stipulationis terminus praefixus vim habet conditionis resolutoriae. Res pendere videtur *ex intentione* stipulantium, num

sc. vere voluerint ut etiam hoc modo obligatio cessaret; id quod praesumi vix potest.

In dubio terminus praefixus censetur *ad sollicitandum,* si apponens matrimonium secum ineundum eo tantum favorabilius alteri parti probare voluit, quod non ultra tale tempus differetur; vel si termino elapso adhuc aeque commode celebrari potest matrimonium; *ad finiendum,* si ob specialem rationem ex ulteriori dilatione oritur apponenti grave incommodum, vel hic privatur commodo magni momenti.

V. Melioris status electio, sc. status religiosi, clerica- 535.
lis vel virginitatis.

1. *Cuiusvis* status perfectioris electio, etiam abstrahendo ab electionis licentia, certo liberat a sua obligatione *alteram partem* quia eligens alium statum implicite cedit iure suo. Quodsi propterea etiam altera pars recedit a sponsalibus, renuntians et ipsa iuri suo, puta alia sponsalia ineundo, priora sponsalia ex utraque parte soluta erunt mutuo consensu.

2. Certo, saltem ex iure canonico, post sponsalia per se, i. e. si nihil obstat, licentia et libertas manet utrique ingrediendi *Religionem* approbatam; consequenter licite et valide alteruter, altero etiam invito, emittit et exequitur votum Religionis ingrediendae vel profitendae. Quod idem satis certo dicendum est respectu Congregationis religiosae cum votis perpetuis.

Controvertitur 1 num pariter licite eligatur et assuma- 536.
tur status *clericalis,* vel *virginitatis* ex voto perpetuae castitatis in saeculo servandae — nam merum coelibatum sine voto eligi licite posse vel liberare eligentem a sua obligatione, communiter negant.

2, Controvertitur num ipso *solo ingressu* in Religionem vel in Seminarium clericale, aut *solis votis* Religionis ingrediendae, SS. Ordines suscipiendi, vel castitatis perpetuo servandae, sponsalia *statim ex utraque parte* solvantur, an vero ex parte ingredientis vel voventis *solum suspendantur.*

Notanda. 1. Perfectior status assumi licite solum potest si 537.
nihil obstat. Obstare autem potest tum honor puellae restituendus, tum scandalum reparandum, tum proles legitimanda: quibus si alio modo satisfieri non potest, matrimonium erit contra-

hendum. — Hinc dicunt, si in hisce casibus votum esset emissum, petendam esse dispensationem. Ad quod adverte: si votum emissum est, cum iam tales essent circumstantiae ut matrimonium exigeretur, votum potius omnino nullum dicendum esse, adeoque non egere dispensatione.

2. Dicta vota omnia licita tantum sunt et deobligant a sponsalibus, si emittantur sincere, ex desiderio status perfectioris; non vero si in fraudem, puta ad eximendum se a sponsalibus contractis et impetrata voti dispensatione ineundum matrimonium cum alia persona.

538. IV. Dispensatio, quae, utpote iuri tertii quaesito contraria, a solo Romano Pontifice concedi potest. Haec dispensatio hodie saepius quam antea conceditur, praecipue in casu violati iuris sponsalium per matrimonium civile cum alio.

539. **Scholion I.** Ad solvenda sponsalia ex iusta causa per se non requiritur iudicis auctoritas. Requiritur autem si casus est vere dubius, vel altera pars cum probabili saltem iure instat pro sponsalium impletione; vel quandoque ad cavendum scandalum; vel tandem si statutum vel consuetudo ita exigit. — Pro foro *interno* sufficit *solida probabilitas* de existentia et sufficientia causae: sufficit v. gr. unus testis fide dignus et oculatus; pro foro externo unus testis generatim non sufficit.

II. Compensare damnum debet qui vèl iniuste renuit contrahere matrimonium, vèl iuste resiliendi causam alteri iniuste aut dedit aut celavit. Compensatur autem damnum emergens ex sponsalibus solutis; non vero lucrum cessans, illud nim. ad quod solum posito matrimonio alter ius acquisivisset; cfr. Tom. II, n. 364 sqq. — Pro iure civili Neerlandiae vid. art. 113.

CAPUT SECUNDUM.

DE DENUNTIATIONIBUS (1).

540. I. **Denuntiatio** una saltem *ubique* fieri debet ex Decreto universaliter obligante Conc. Lat. IV; tres vero iis *in parochiis* in quibus Decretum « *Tametsi* » Conc. Trid. saltem pro ea parte

(1) Sporer n. 377 sqq.

qua statuitur de denuntiationibus, est promulgantum. Ibi nim. statutum est, ut « antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in ecclesia inter Missarum solemnia publice denuntietur, inter quos matrimonium sit contrahendum (1) ».

II. Quod Tridentini Decretum alii sentiunt stricte ad litteram esse observandum, ita ut ei non satisfiat mediis aequivalentibus; alii vero benignius interpretantur, magis ad finem Concilii quam ad verba attendentes: ita tamen ut dissensus solas respiciat denuntiationum circumstantias.

I. Debent itaque ex Conc. Trid. fieri denuntiationes ter, idque 541.

1° Tribus diebus *festivis,* sc. dominicis aliisve diebus festis de praecepto sive generali sive particulari. Quoad festa suppressa ex variis S. C. C. responsis statui posse videtur, denuntiationes fieri posse in iis quae suppressa sunt praescriptâ tamen ecclesiasticarum functionum intacta conservatione, quibusque perseveravit hucusque populi ad Ecclesiam concursus; non vero in aliis simpliciter suppressis.

2° *Continuis* diebus festivis, ita sc. ut nulla dies festiva intercedat. Quodsi tres dies festivae immediate sibi succedant, licet satis consentiant AA. denuntiationibus iis diebus factis in rigore impleri legem, monent tamen plerique ut summum duae denuntiationes diebus immediate continuis fiant. Et ita fert usus. — Sufficit quoque, si legitima consuetudo id approbaverit, ut solis diebus dominicis proclamationes fiant, intermissis diebus festis intra hebdomadam.

II. In Ecclesia sc. *parochiali,* ut ex contextu deducitur, et inter Missarum solemnia seu *Missam parochialem* ex communi interpretatione.

Quamquam ex actis in Concilio provinciali Ultraiectensi 22 Iulii 1868 requisito huic in nostra provincia ecclesiastica satisfit, licet fiant in Missa *non-cantata,* dummodo sit Missa quae *hora fixa* celebranda populo annuntiata fuerit; Vlaming, I, n. 64.

Plures putant satisfieri legi, si fiant extra Ecclesiam parochialem vel omnino extra Ecclesiam vel Missam loco et tempore quo magnus habetur populi concursus, saltem si adsit aliqua causa.

(1) Conc. Trident. sess. 24, decret. de reformat. Matrim. cap. 1°.

Nonnulli alii idem admittunt pro casu extraordinario et ex causa valde rationabili, v. gr. si ultima proclamatio mane esset omissa, fieri posset vespere tempore concionis etc., si tempus non superest petendi dispensationem.

III. A proprio Parocho contrahentium, sc. domicilii vel quasi-domicilii; qui tamen hoc munus per alium implere potest.

1° Si nupturientes diversas parochias, etsi eiusdem dioecesis, inhabitant, in utraque parochia proclamationes fieri debent.

2° Item si sponsi vel eorum alteruter duo habent domicilia, vel domicilium in una, quasi-domicilium in alia parochia, in utriusque domicilii loco denuntiationes sunt faciendae.

3° Si quis recenter domicilii locum reliquit, denuntiationes fieri debent, non quidem ex stricto iure Tridentino, sed potius attento fine legis, in parochia tum novae tum prioris habitationis. Porro valde probabiliter docent sufficere habitationem sex mensium in posteriori loco ad hoc ut priori loco banna omitti possint: idque sanxit nostrum Concilium provinciale, Tit. IV, cap. XII, al. *Lege Tridentina.*

Nota. Vermeersch op. cit. n. 65 putat hodie non iam in loco quasi-domicilii sed menstruae commorationis denuntiationes esse faciendas. Verum, donec S. Sedes aliud decreverit, cum aliis opinamur Decreto « *Ne temere* » quoad hoc nihil esse immutatum.

542. I. In loco originis *per se non* est denuntiandum matrimonium; quandoque tamen ob peculiarem causam, v. gr. pro vagis.

II. Pariter nonnumquam ob causam extraordinariam proclamationes fieri debent, earum fine attento, in loco ubi quis diutius moratus est, etiam sine ullo domicilio, v. gr. iterum pro vagis.

Vagorum itaque matrimonia denuntianda sunt tum in parochia in qua actu degunt et celebraturi sunt matrimonium, tum, pro circumstantiis, in loco originis vel ubi diutius permanserunt. — Vagis aequiparantur *milites* illi qui in loco ubi versantur, non habent domicilium.

III. In dubio de loco vel de locis ubi proclamationes fieri debeant, parochus quaerat et sequatur iudicium Ordinarii.

Nota. Minorennium et militum matrimonia, ad vitandum conflictum cum potestate civili, non denuntientur nisi isti licentiam habeant lege civili requisitam.

I. Parochus inchoare non debet denuntiationes, nisi prius 543.
examinaverit nupturientes seorsum de habitatione, matrimonii ineundi libertate, parentum consensu, christiana doctrina, impedimentorum sive impedientium sive dirimentium existentia, adhibendo in his omnibus inquirendis maiorem vel minorem prudentiam et diligentiam pro personarum conditione aliisque circumstantiis.

II. Praeterea *de iure communi* praevie requiritur examen testium duorum, coram Ordinario eiusve delegato, de statu libero nupturientium; et parochus instrumentum seu testimonium status liberi ab Ordinario sibi mittendum exspectare debet.

Quoad exteros autem, saltem eos qui post nubilem aetatem vel advenerunt solum in Dioecesim ubi contracturi sunt, vel per notabile tempus in alia Dioecesi habitaverunt, Ordinarius loci in quo matrimonium contrahetur, testimonium status liberi exquirere debet ab Ordinario originis vel illius alterius Dioecesis.

Verum haec in nostris partibus vel numquam usu recepta sunt, vel in desuetudinem abierunt. Conari solent parochi dubia occurentia meliori quo possunt modo ipsi solvere, et ad denuntianda matrimonia procedere dummodo de statu libero nupturientium satis constet; solumque in casibus difficilioribus recurrere ad Ordinarium. Qua de re opinamur cum Vlaming. I, n. 54, *d.*: « Eiusmodi praxis; etsi undequaque legitima dici forsan non possit, potest tamen a parochis nostris tuta conscientia servari, donec aliter praescribatur ab Episcopo », Quod confirmari videtur ex eo quod S. C. C. interrogata num abolita sit lex vel consuetudo, respondit: « *servetur solitum* »; 1 Febr. 1908 ad XI. Cfr. Vermeersch n. 55.

I. *Si ab alio quoque parocho denuntiationes fieri debuerunt,* 544.
parocho, coram quo matrimonium est celebrandum, huic assistere non licet ante acceptas ab alio parocho litteras testimoniales de factis proclamationibus et de impedimento non detecto — « ac si forte alterutra pars ibidem confessa ac S. Communione refecta sit, hoc quoque significabit »; Stat. Dioec. Neerlandiae cap. XVII, al. *Oborta.*

Excipitur tamen casus urgens.

II. « Si autem alteruter sit diversae Dioecesis, testimonium parochi . . . nullius roboris censeatur, nisi ab Episcopo vel ab eius Vicario Generali illius Dioecesis subscriptione et sigillo comprobatum, et ab Episcopo seu eius Vicario loci, ubi contrahitur matrimonium, recognitum sit, ab eoque licentia contrahendi fuerit obtenta ». Rit. Rom. Tit. X, cap. 5. — Stat. Dioec. cit. l. c.: « testimonium parochi . . . comprobetur ab illius Dioecesis Episcopo vel eius Vicario Generali, quando rationabile dubium de authenticitate testimonii vel de veritate denuntiationum exortum est ».

545. In forma denuntiationum accurate indicentur personae nupturientium, earum parochia, et quota sit denuntiatio. Expedit ut populus etiam moneatur proclamationes ideo fieri, ut qui impedimentum noverint, illud denuntient. Et si in una vel altera denuntiatione dispensatum est vel dispensatio speratur, hoc quoque exprimatur, v. gr. unam fieri pro tribus, vel secundam pro secunda et tertia.

Supplementum ad Rit. Rom. pro Neerlandia n. 43 monet ut addatur mentio dispensationis, si qua iam in aliquo impedimento impetrata fuerit.

Quoad viduos expedit ut addatur nomen et cognomen coniugis praemortui. Vlaming I, n. 68.

546. Facta ultima denuntiatione non nimis cito nuptiae celebrentur, v. gr. non eadem die, praesertim si una tantum vel duae denuntiationes factae sunt; id quod in hypothesi prohibetur in Stat. Dioec. cit. Cap. XVII, al. *Quoties.* — Sed neque nimis diu differantur. Imo ex Rit. Rom. Tit. VII, cap. 1, n. 11: « si infra duos menses post factas denuntiationes matrimonium non contrahatur, denuntiationes repetantur, nisi aliter Episcopo videatur ».

547. I. Graviter obligare legem de bannis manifestum est; neque cessat obligatio etsi in casu particulari parochus adhibita diligentia certus sit nullum subesse impedimentum.

II. Excusat ab hac lege 1° *urgens necessitas* quae moram non patiatur; 2° *prohibitio Ecclesiae,* puta pro matrimonio mixto; 3° *dispensatio;* quae semper includitur in licentia secreto contrahendi vel revalidandi matrimonium, etiamsi diserte non exprimatur.

III. Veniale tantum peccatum videtur 1° circumstantias denuntionum praescriptas aequivalenter solum implere; cfr. n. 540, II; 2° probabilius, unam solam omittere, si nim. duae reapse fiant; 3° probabiliter, secundum nonnullos, etiam duas omittere, dummodo tamen absit vel removeatur omne periculum latentis impedimenti.

548. I. **Dispensandi** facultas a Concilio Trid. concessa est Ordinariis locorum. — *Si ad diversas Dioeceses* nupturientes pertinent, usus est ut ab utriusque Ordinario dispensatio petatur; idque secundum plures quia utriusque Ordinarii est de ratione dispensandi cum suo respective subdito iudicare. Alii probabiliter docent stricte loquendo sufficere ut dispenset Ordinarius loci ubi matrimonium contrahetur, secundum regulam: locus regit actum. Utrique allegant Declarationem S. C. C. 20 April. 1606, ex qua requiritur ut vèl uterque Ordinarius dispenset, vèl saltem habeatur alterius Dioecesis Ordinarii testimonium de statu libero.

II. Causae dispensandi vèl tales esse possunt ut Ordinarius dispensare debeat, si nim. matrimonium bannorumque dispensatio est necessaria ad vitandum grave damnum spirituale vel temporale: ut si periculum est ne matrimonium malitiose impediatur, ne sponsus derelinquat sponsam, ne matrimonium solum civile contrahatur; si necessitas est brevi proficiscendi, etc. — vèl tales ut Ordinarius possit, non debeat, dispensare; si nim. dispensatio non ita necessaria sed tamen utilis vel saltem rationabilis videatur.

549. I. **Petitur** dispensatio nupturientium nomine, et generatim a Parocho — per exceptionem a Confessario, si matrimonium publice contractum vèl secreto, vèl saltem in casu et ex causa extraordinariis coram ipso solo et duobus fidis testibus est convalidandum; cfr. n. 547, II, 3°.

II. Exprimenda in supplica dispensationis sunt: 1° *nomina* oratorum, et *cuius Dioecesis* sint—saltem generatim, ut supra; 2° *id quod optatur*, sc. dispensatio super una, duabus vel tribus proclamationibus; — si super una tantum, in pluribus Dioecesibus recurri potest ad Decanum Districtus; 3° *causa;* si alia non datur nisi infamans, et expressis nominibus petitur dispensatio, haberi debet oratorum consensus ut illa causa exprimatur; 4° *certioratur Ordinarius* de veritate causae, de

cuius nim. existentia ipse qui petit dispensationem inquirere et certus esse debet.

Scholion I. Obligatio fidelium.

550. I. Fidelibus qui impedimenti sive dirimentis sive impedientis notitiam habent, ex iure tum naturae tum Ecclesiae incumbit charitatis et religionis gravis obligatio curandi ut stante impedimento matrimonium non celebretur. Ad quod tenetur etiam is qui solus novit impedimentum, et licet probare illud non possit. Non veso teneretur is qui rem mere audiisset a persona fide non digna, vel qui non recordaretur a quo audierit.

II. Dictae obligationi satisfacere quis potest 1° revelando impedimentum, sc. Parocho: vel 2° efficiendo ut dispensatio petatur; vel 3° curando ut sponsi matrimonio renuntient.

III. Excusatur solum is qui nullum ex praedictis sine gravi suo, suorum vel communi incommodo praestare potest; quod utique rarum.

IV. Resolves 1° Qui norunt impedimentum infamans, revelationi praemittere debent monitionem nupturientis utriusque vel alterutrius de procuranda dispensatione vel de matrimonio non contrahendo, nisi tamen monitio praevideatur certo inutilis.

2° Qui impedimentum manifestare non possunt sine propria infamia — puta sororem sponsae cognitam fuisse a sponso — vel non sine laesione secreti consilii vel, a fortiori, secreti sacramentalis: illi excusantur a revelatione impedimenti, sed non ideo a monitione facienda; cfr. Tom. II, n. 538. — Confessarius advertat num poenitens in bona fide existat et in ea sit relinquendus.

3° Qui sciens impedimentum novit etiam dispensationem peti vel petitam esse, ad nihil amplius tenetur.

4° Contingere etiam potest ut quis solum possit, sed et debeat quaedam indicia dare, quibus Parochus dirigatur, ita ut alii scire nequeant a quo illa provenerint.

Scholion II. Officium Parochi et Confessarii.

551. I. Parochus, si extra Confessionem sacramentalem notitiam certam impedimenti acquisivit, non potest incipere vel continuare

proclamationes, multo minus assistere matrimonio, nisi sublatum fuerit impedimentum; vel si impedimentum dubium sit et maneat, debet rem deferre ad Ordinarium. Et hic sufficit probabilis coniectura, vel unus testis fide dignus.

II. Neque assistere potest Parochus etiamsi impedimentum, certum vel probabile, sit occultum et sponsi publice petant assistentiam. Ratio est, quia non tam agitur de neganda administratione Sacramenti quam de impediendo matrimonio invalido et gravibus incommodis inde sequi natis: ad quod magis quam alii ipse Parochus tenetur.

Quodsi tamen in casu Parochus simul sciat, pro foro conscientiae dispensationem esse obtentam, potest assistere, si impedimentum sit eiusmodi, ut ad forum externum non possit deduci, vel saltem nulla sit probabilis id timendi ratio.

552. I. In Confessione sacramentali, si detegatur *impedimentum publicum,* Confessarius Parochus monebit poenitentem ut extra Confessionem sibi impedimentum manifestet, dispensationis petendae gratia; Confessarius non-Parochus remittet poenitentem ad Parochum.

II. Si detegatur *impedimentum occultum* vel circumstantia occulta ad valorem dispensationis in supplica exprimenda, Confessarius, generatim loquendo, poenitentem monere debet de necessitate dispensationis, eamque pro poenitente, si hic velit, petere. Casu tamen quo nupturientes proxime volunt nuptias celebrare, ita ut ante diem pro matrimonio contrahendo determinatam dispensatio obtineri nequeat, et poenitens est in bona fide, Confessarius ab eo monendo abstineat, si praevideat monitionem non fore utilem sed noxiam: ad quod maxime attendendum est si nuptiae non ita commode differri possint. Eodem casu, si poenitens, sive ex se sive ex monitione Confessarii, novit impedimentum, omni modo satagendum est ut matrimonium differatur, cum minori tamen quo potest nupturientium incommodo. Quodsi his in circumstantiis matrimonium sine gravissimo incommodo differri nequeat, quid fieri possit vel debeat, vide n. 567, III.

III. In praecedentibus impedimentum supponitur dispensabile. *Indispensabile impedimentum* si detegatur, semper monendus est

poenitens, nisi impedimentum sit omnino occultum, idque ita ut nequaquam timendum sit ne divulgetur, neve ad ipsorum coniugum notitiam perveniat, et monitio praevideatur noxia fore.

CAPUT TERTIUM.

DE NATURA MATRIMONII.

ARTICULUS I.

NOTIO ET DIVISIO MATRIMONII (1).

553. **Matrimonium** considerari potest 1° prout est solum contractus, quale est matrimonium non baptizatorum; 2° prout est contractus qui simul sit Sacramentum, quale est matrimonium baptizatorum vel saltem inter baptizatos.

Definitur matrimonium ut contractus: viri et feminae maritalis et legitima coniunctio individuam vitae consuetudinem retinens; adde: et a Christo ad dignitatem Sacramenti elevata — habesque definitionem Matrimonii Sacramenti.

Dicitur 1° *Coniunctio;* quae vox *active* sumpta est *ipse contractus* quo contrahentes coniuges fiunt, et dicitur matrimonium *in fieri; passive* sumpta est *status seu vinculum permanens* quod ex contractu oritur, et dicitur matrimonium *in facto esse.*

2° *Maritalis;* i. e. in ordine ad legitimam prolis procreationem, aliaque officia mutua coniugum propria.

3° *Legitima;* i. e. inter personas ex iure, tum naturali tum positivo illo cui subiacere ponuntur, habiles, atque legitimo modo inita.

4° *Individuam* etc.; quae verba indicant huius coniunctionis *unitatem* et *indissolubilitatem.*

554. I. Contractus matrimonialis dicitur naturalis, quia in officium naturae, ad humani generis propagationem et conservationem, idque ab ipso naturae auctore Deo, ante omnem societatem civilem institutus et firmatus est.

(1) Sporer n. 287 sqq.

II. Quoad ea quae iuri humano disponenda relicta sunt, matrimonium christianorum soli subiacet potestati ecclesiasticae. — Non baptizatorum num subiaceat potestati civili, controvertitur: multo communius, hodie praesertim, et *probabilius* affirmatur. Quare in praxi ratio habenda est etiam impedimentorum quae ius civile statuit (1).

III. Principi civili competit, etiam quoad matrimonia christianorum, facultas statuendi de effectibus civilibus omnino extrinsecis seu qui ex sola Status institutione matrimonium consequuntur, uti successio in honores nobilitatis proprios; non vero de effectibus inseparabilibus seu qui sponte sua fluunt ex matrimonio valido, quales sunt quod coniuges vere et legitime tales, prolesque eorum legitima habeantur; tale etiam videtur ius prolis succedendi in haereditatem parentum secundum leges vigentes.

555. Dividitur praecipue matrimonium I in legitimum, quo nomine praecipue, et hodie fere solum, intelligitur matrimonium validum infidelium; ratum, quod dicitur de solo matrimonio valido baptizatorum; et consummatum, sc. copulà ex se ad generationem sufficiente *post* matrimonium valide contractum habità: quod dicitur de matrimonio tum legitimo tum rato.

II. In verum quod reapse et valide contractum est, atque ut tale probari potest; praesumptum quod, posito aliquo facto, a iure praesumitur; hoc hodie vix adesse potest, praecipue ubi viguit vel viget Decretum « *Tametsi* » vel « *Ne temere* » de forma matrimonii: cfr. Vlaming I, n. 139; et putativum, quod reapse ob occultum impedimentum invalidum est, legitime tamen contractum existimatur, quia nim. publice in facie Ecclesiae, praemissis vel dispensatis proclamationibus, et bona fide saltem ab alterutro coniugum, est contractum. Ex huiusmodi matrimonio suscepta proles reputatur legitima.

III. Publicum dicitur matrimonium quod in facie Ecclesiae cum solita publicitate est contractum. Cui opponuntur matrimo-

(1) Cfr. Resemans, *De Competentia Civili in Vinculum Coniugale Infidelium*, Romae 1887; idem in periodico *De Katholiek* Dl. XCIII bldz. 414 ss. et Dl. XCIV, bldz. 334 ss.; Vlaming I n. 132 ss.; et infra n. 570.

nium conscientiae, quod denuntiationibus omissis clam contrahitur coram Parocho, aliove Sacerdote deputato, et duobus testibus secreti lege obstrictis; et matrimonium clandestinum, quod sine Parocho et testibus contrahitur (1).

ARTICULUS II.

DE CONSENSU MATRIMONIALI (2).

556. I. **Consensus** ad valorem matrimonii essentialiter requiritur eadem ratione qua, et idem dotibus qualis requiritur ad omnem contractum onerosum.

II. Obiectum essentiale, in quod proin necessario ferri debet utriusque consensus, est traditio et acceptatio iuris matrimonialis. Requiritur itaque, secus ac ad sponsalia, consensus *de praesenti,* quem vocant.

III. Continet obiectum hoc, adeoque dictus consensus complecti debet triplex bonum substantiale matrimonii; sc. 1° bonum *prolis,* quod complectitur prolis conceptionem, partum et educationem saltem physicam; num etiam religiosam educationem, controvertitur: communius negatur; 2° bonum *fidei,* quae est ipsa mutua in alterius corpus potestas in ordine ad prolis procreationem seu ad copulam, *soli* comparti competens; 3° bonum *Sacramenti,* seu indissolubilitatis, quod est *vinculum perpetuum.*

Haec autem tria bona duplici modo considerari possunt: 1) quoad ipsam obligationem; 2) quoad obligationis executionem. Et solum considerata quoad obligationem pertinent ad matrimonii substantiam, ita ut voluntas, quae in totum hoc obiectum essentiale non feratur, non faciat verum consensum matrimonialem. *Non* vero *quoad executionem* obligationis considerata; quia volun-

---

(1) Cum matrimonio conscientiae confundendum non est matrimonium *morganaticum* quod dicitur, sc. quod contrahitur inter virum nobilem et mulierem inferioris conditionis, eo pacto ut uxor et liberi nascituri contenti sint determinata parte bonorum paternorum, excludantur a reliquis tum etiam a titulis et dignitatibus paternis.

(2) Sporer n. 290 sqq.

tas contrahendi verum matrimonium et suscipiendi omnes obligationes matrimonii proprias stare potest cum voluntate easdem non adimplendi.

IV. Modus consentiendi in praedicta sufficit quilibet, qui quovis modo omnia illa complectatur adeoque etiam implicitus, confusus et generalis.

V. Resolves 1°. Posita notitia saltem confusa matrimonii, qualis seu quanta ad omnem contractum requiritur, sufficit ex hoc capite quilibet in matrimonium consensus, quo nullum ex bonis substantialibus *positive* excludatur.

2°. Contra excluso *positive, quovis modo,* aliquo ex dictis bonis, non sufficit consensus: sive interne et externe simul, sive mere interne, sive etiam solum externe seu in manifestatione consensus excluditur.

Nota. Quanta, sive ex iure naturae sive ex iure positivo, speciatim hic requiratur immunitas ab errore et metu, cfr. dicenda de impedimentis.

Verbis *ex praecepto Ecclesiae* manifestandum esse consen- 557.
sum, idque *sub mortali* nonnulli docuerunt; *sub veniali* solum plerique etiamnum docent; sed alii *utrumque negant* docentes ex omni iure, saltem communi, sufficere ut dubium de consensu sufficiente caveatur.

Per procuratorem etiam matrimonium iniri potest. Ad 558.
quod, praeter requisita ex iure naturae ad omnem contractum per procuratorem ineundum, ex lure saltem canonico requiritur 1° ut procurator habeat mandatum *speciale de matrimonio* contrahendo; idque, secundum recentiores communiter, *cum persona determinata.* Quod posterius contra Sporer n. 322 dicit ex communi in rigore non requiri. Et revera hoc non habetur diserte in lure expressum. Habetur autem in Instructione Austriaca § 50 (1). Verum tales instructiones practicae exhibent tutam normam agendi, non vero dirimunt controversias. 2° Ut procurator mandatum exequatur *per se ipsum,* nisi specialem quoque habeat facultatem delegandi alium; 3° ut mandatum *non sit revocatum.* Quod ultimum ex ipso

(1) Est Instructio quam Pronuntius Apost. ex commissione S. Sedis ad Episcopos Austriae direxit 2 Febr. 1856.

iure naturae requiritur, quia consensus matrimonialis, secus ac requisitus in aliis contractibus, nulla auctoritate humana suppleri potest.

Nota. 1° *Ex iure civili* Neerlandiae art. 134 requiritur venia regia et mandatum speciale atque authenticum.

2° *Practice* prudentia saltem exigit ut Parochus tale matrimonium numquam permittat nisi consulto Episcopo. — Quod idem dic de matrimonio per litteras.

559. Qui ficte consentit, duplex committit peccatum mortale, contra religionem et contra iustitiam. Excipe, si iniuste ad matrimonium quis cogatur.

I. Tenetur 1° abstinere ab omnibus quae solis coniugibus licent; 2° aliud matrimonium non inire, nisi in foro externo praecesserit duplex successiva nullitatis sententia; 3° praecavere vel reparare damnum compartis. Hinc ut plurimum debet supplere verum consensum, quia plerumque ob defectum probationis ficti consensus neque compars ad alias nuptias transire potest. Adde periculum incontinentiae ex cohabitatione oriundum, et bonum prolis si forte iam suscepta est.

II. Excusatur a vero consensu dando 1° si ipse iniuste coactus est; 2° si dum contrahebat, manifesta dedit fictionis indicia; 3° si et altera pars ipsum decepit; 4° si ex matrimonio tot praevidentur incommoda, ut remedium malo peius videatur: quo tamen casu non ideo excusatur a damnis alio modo, si potest, reparandis vel cavendis; 5° si pars decepta iuri suo renuntiat vel separationi consentit; 6° si utraque vel alterutra pars iam aliud matrimonium validum iniit.

De consensu conditionali etc. (1). Praenota:

560. I. Conditio *a modo* aliisque stipulationibus vel clausulis *differt* in hoc quod ab ea, non ab aliis, dependet consensus in ipsum contractum principalem seu matrimonium (2).

II. Quamvis nullo iuris textu prohibentur matrimonia conditionata, ob varia tamen et gravia incommoda inde oriri nata Paro-

(1) Sporer n. 326 sqq.

(2) Observa nos hic, nisi aliud dicamus, modum sumere quatenus differt a conditione, adeoque neque simul est conditio de praesenti, sc. de acceptatione oneris; cfr. tom. II, n. 174, et infra n. 562.

chus admittere non debet ut apponatur conditio, praesertim de futuro, nisi forte ex causa urgente et ab Ordinario probata.

Inter conditiones imprimis notandae sunt eae quae repugnant substantiae matrimonii, adeoque hoc irritant. Hae in ipso Iure indicantur tribus casibus seu exemplis quo omnes casus huc pertinentes reduci possunt; sc.: « Contraho tecum si generationem prolis evites; vel, donec inveniam aliam honore vel facultatibus digniorem; vel, si pro quaestu adulterandam te tradas ». Quorum 1^{s} casus repugnat bono prolis, 2^{s} bono Sacramenti seu indissolubilitati, 3^{s} bono fidei. — Qua de re nota **561.**

I. Ut hac ratione matrimonium nullum sit, oportet ut vèl talis conditio in pactum deducatur et expresse addatur ipsi contractui matrimoniali sc. quum hic celebratur; vèl saltem aut uterque aut alteruter, quum contrahunt, positive intendat se hoc solo modo, non aliter, *obligare:* sola enim voluntas sic agendi non obstat valori contractus; cfr. n. 556, III. — In posteriori hypothesi deficit consensus *internus* requisitus; in priori — quae est hypothesis Iuris — insuper vel saltem *externus* consensus desideratur, atque cessat etiam pro foro externo omnis ratio praesumendi in favorem matrimonii. Aliud, saltem pro foro externo, est si, una parte talem conditionem apponente, altera pars contradicat, vel, ut nonnulli addunt, taceat.

II. Tres isti casus Iuris omnes ponunt conditiones quae futurum *respiciunt,* et hoc sensu dici omnes possunt et dicuntur conditiones de futuro. At, in rigore loquendo, summum *sola* 2^{a} *conditio* est *de futuro,* eaque resolutoria. Patet autem *omnem* conditionem resolutoriam repugnare substantiae matrimonii (1). 1^{a} *et* 3^{a}, si vere supponantur conditiones, vix praesumi possunt ex intentione contrahentium nisi conditiones *de praesenti,* sc. de actuali consensu in aliquid futurum quod substantiae matrimonii repugnat respectu boni vèl prolis vel fidei: quoad haec autem attente considerandum est, quaenam sint, vel non sint, obligationes matrimonio *essentiales;* cfr. n. 556, III. Considerandum praeterea est, *num* reapse inten-

(1) Potest quoque esse mera restrictio consensus ad matrimonium dissolubile, positive excluso matrimonio indissolubili; at etiam sic matrimonium nullum erit, secundum dicenda hic et sub IV; cfr. Desmet n. 89. A.

derint contrahentes *vera conditione* iura et obligationes matrimoniales restringere et determinare; *an* vero eorum conventio ex ipsorum intentione fuerit solum *modus* seu onus adiectum a cuius acceptatione vel impletione non dependet consensus in matrimonium, vel etiam merum *propositum* peccandi contra leges matrimoniales, vel *tentamen* ad talia peccata alliciendi. Porro, ut notant AA., tale propositum vel tentamen in praxi multo frequentius praesumi debent quam modus vel conditio, et modus frequentius quam vera conditio: seu ut plurimum praesumenda est praedominans intentio ineundi matrimonii veri et absoluti. Nisi igitur ista, de quibus hic sermo est, tempore ipsius contractus celebrati in pactum deducta sint, raro ex hoc capite matrimonium nullum iudicandum erit. — Aliud est de proposito solvendi matrimonium in iis qui *norunt* matrimonium esse indissolubile. Nam in his, dicunt, practice potius praesumi debet voluntatem illam esse *non suscipiendi* vinculum seu obligationem perpetuam.

III. De modo tamen qui repugnat substantiae matrimonii, alii aliter resolvunt, utrique, ut fit, suam opinionem probabiliorem dicentes. Equidem puto distinguendum esse ut supra innui: si modus expresse adiectus et acceptatus est tempore ipsius matrimonii celebrati, hoc videtur irritum ex defectu consensus saltem externi; secus vero videtur iterum cum distinctione resolvendum ut mox sub IV, quia revera modus per se, seu ut talis, supponit contractum ex intentione contrahentium validum cui adiiciatur.

IV. Casus conditionis, non ipso tempore matrimonii celebrati in pactum deductae, sed ante privatim appositae practice vix differre videtur a casu intentionis mere internae, nisi quod forte defectus consensus facilius probari possit. In his autem casibus in quibus reapse aliqua *obligatio* substantialis *exclusa videtur*, considerandum est num illa intentio — puta impediendi conceptionem vel partum prolis, vel quasi licite adulterandi, vel vivente comparte alias nuptias ineundi — sit antecedens an concomitans, et solum in priori hypothesi matrimonium nullum est. Porro antecedenter se habet intentio solum quum contrahentes *positive* nolunt matrimonium inire nisi cum tali cuiuspiam obligationis exclusione: quo certe modo contrahunt qui probe scientes obligationes matrimonio

essentiales, nihilominus aliquam ex iis excludunt: id quod tamen non ita facile est praesumendum si agatur de obligationibus erga bonum prolis vel fidei; ut supra notatum est sub II. Quodsi vero talis intentio procedit ex errore, potest se habere concomitanter; quod contingit si contrahentes mere putant se tali modo verum matrimonium inire, *non alligantes* seu restringentes absolute et *positive* suum consensum ad hunc errorem: et tunc valet matrimonium quia voluntas generalis ineundi verum matrimonium praevalet intentioni particulari, eaque sola operatur.

Post factum quia conventio privatim facta, et magis etiam sola prava intentio tum iudicatu tum probatu difficiles sunt, pro foro interno sive matrimonium certo sive dubie validum videatur, practice plerumque id curandum erit, ut consensus, saltem ad cautelam, debito modo renovetur.

Vota. Ex dictis a fortiori conclude, supposita illa voluntate generali, adeoque cum notitia confusa status matrimonialis, *solam ignorantiam* obligationis cuiuspiam etsi substantialis non sufficere ad irritandum contractum matrimonialem. Neque refert quod forte quis certo non contraxisset, si scivisset id quod ignoravit; nam post factum non attenditur quid in aliqua hypothesi actum esset, sed quid reapse actum sit.

V. Respectu boni prolis vel fidei *duplex conventio* vel intentio *in praxi frequentius* occurrit, sc.: 1° ut nupturientes velint *post* unam alteramve prolem procreatam de cetero *abuti* matrimonio; 2° ut velint *ab initio abuti* matrimonio, *donec* ad meliorem fortunam pervenerint. — Secundum praedicta igitur in utroque casu matrimonium *nullum* erit, *si* haec fuerint tempore contractus initi *in pactum deducta. Secus* vero *plerumque* praesumendum erit *validum* matrimonium ob praevalentem intentionem veri matrimonii: quod si satis certo praesumi non possit, renovandus erit consensus. — Praeterea quoad 2^m^ illam conventionem vel intentionem observa: si forte *solum pro futuro tempore* — melioris fortunae — nunc ad iura matrimonialia sese mutuo obligare intenderunt, matrimonii valor saltem suspenditur ad modum contractus sub conditione de futuro, donec post mutatam fortunam vel criminis poenitentiam rectus matrimonii consensus evadat: Lehmkuhl n. 689, 5°

Hactenus sermo fuit de conditionibus etc. quibus turpi modo bonum prolis excluditur, quaeque proin, positis ponendis, certo substantiae matrimonii repugnant.

562. Quid de stipulationibus *honestis* illis quae non positivo et illicito sed negativo et licito modo bonum prolis excludunt, seu quae potius respiciunt bonum fidei, seu ius mutuum et perpetuum in corpora? — Ex. gr.: « contraho tecum hac lege ut servemus castitatem ».

Resp. Multi opinantur talia pacta repugnare substantiae matrimonii adeoque impedire valorem matrimonii. Ratio potissima: totum ac essentiale ius quod per matrimonium acquiritur, est ius ad usum corporis; ita ut distingui hic non possit, sicut in aliis rebus, inter dominium directum et dominium utile; atqui ius hoc tali pacto excluditur; ergo.

Plures alii contrarium sentiunt. Ratio praecipua: ius essentiale matrimonii distingui potest in ius expeditum quo pro libitu quis uti potest, et ius impeditum seu ligatum; atqui tale pactum relinquens ius radicale hoc solummodo impedit et ligat: quod salvo matrimonii vinculo seu iure essentiali fieri posse, explicatur simul et confirmatur per simile pactum post matrimonium initum; quo igitur pacto inito, agens contra illud erit iniustus, non vero fornicator. Ergo.

Observa: hypothesis non est restricti per huiusmodi pacta ipsius *consensus* matrimonialis (quo nim. ipse contractus matrimonialis perficitur): si enim haec restrictio intenderetur, matrimonium satis certo nullum esset: revera enim ius et obligatio substantialia excluderentur; neque refert utrum turpi an honesto pacto hoc fiat. Verum hypothesis est huiusmodi pactum ad instar *modi* adiici contractui principali seu matrimoniali, ita tamen ut *acceptatio* huius pacti seu modi ex mente stipulantium sit *conditio de praesenti,* a qua consensus in contractum dependeat. Cfr. Wernz IV, n. 302, nota 41.

Quo observato opinio etiam posterior probabilis videtur *per se,* i. e. nisi forte tempore ipsius contractus initi huiusmodi stipulatio in pactum deducatur, idque absolute, sine distinctione inter ipsum ius radicale quod relinquatur et usum iuris qui ligetur, ita

ut consensus saltem externus deficere videatur. *In praxi* itaque talis stipulatio neque suadeatur neque permittatur nisi cum expressa declaratione voluntatis praedominantis veri matrimonii contrahendi.

Nota. Quodsi huiusmodi stipulatione usus iuris coniugalis *ad tempus* solum limitatur — puta si conveniant de abstinendo a copula post unam alteramve prolem habitam, vel etiam ab initio, quando vel quandiu conceptio exspectari potest — vix dubitandum videtur de valore matrimonii, quum tunc satis pateat tum non excludi, ne ad tempus quidem, ipsum ius, sed solum eius usum determinari, tum praedominante voluntate intendi verum matrimonium; vix enim praesumi potest in hypothesi intentio excludendi omne ius pro tempore in conventione assignato.

De aliis conditionibus, non repugnantibus substantiae ma- 563.
trimonii, remittendo ad dicta in Tom. II, Tr. de Contractibus, hic breviter resolvimus:

I. Si conditio est de praeterito et *extitit*, vel de praesenti et *extat,* matrimonium statim valet, eo tamen uti non licet ante habitam de existentia conditionis notitiam; *secus,* nihil actum est.

Nota. Cum huiusmodi conditione confundenda non sunt 1° *causa* quae dicitur, i. e. ratio expressa ob quam contractus initur; 2° *demonstratio* seu qualitas expressa quae supponitur in persona quacum contrahitur. Haec qua talia non irritant matrimonium; sed aliud esse potest si tamquam verae conditiones apponantur.

II. Item statim valet matrimonium si conditio est de futuro necessario vel infallibiliter eventuro; quia aequiparatur conditioni de praesenti et vero. *Excipe,* nisi forte contrahentes intendant suspendere valorem matrimonii usque ad eventum conditionis; vel forte putent hunc eventum esse contingentem.

III. Si conditio est de futuro impossibili et *serio* apposita, invalidum est matrimonium. In dubio pro foro externo talis conditio habetur pro non adiecta.

IV. Si conditio est suspensiva de futuro contingente et 1° *turpis, pro foro conscientiae* de valore matrimonii iudi-

candum est sicut de omni alio contractu sub conditione turpi. Practice tamen plerumque praesumi potest non fuisse veram conditionem sed modum etc., ut n. 561 sub II notatum est. *Pro foro externo* talis conditio habetur pro non adiecta. Sed haec praesumptio *iuris* est, non *de iure,* quae locum solum habet in dubio num contrahentes serio, necne, conditionem apposuerint, seu quamdiu haec iuris praesumptio rationibus in contrarium adductis non elidatur. Si 2° *honesta,* matrimonium certo suspenditur usque ad conditionis eventum. Ea vero eveniente statim perficitur sine novo requisito contrahentium consensu: itemque sine nova assistentia Parochi et testium: quod utrumque satis certum videtur propter naturam contractus quae in matrimonio prior est quam natura Sacramenti. Prius illud est commune contra nonnullos: hoc posterius hodie etiam satis commune est; idque testatur Fagnanus servari a Curia. *Excipiunt* communius: si inhabiles contraxissent sub conditione dispensationis obtinendae: cuius ratio potior peti videtur ex mente praesumpta dispensantis. Sed alii non pauci exceptionem non admittunt. — Si forte duo sunt celebrata matrimonia sub huiusmodi conditione, illud valet cuius conditio prius impletur, licet sit posterius initum, quia prius absolutum evadit. Quodsi eodem tempore utriusque conditio impletur, neutrum valet, non tam quia utrumque incertum, quam quia unum excludit alterum et vicissim.

CAPUT QUARTUM.

DE IMPEDIMENTIS MATRIMONII GENERATIM.

564. I. **Impedimenta** matrimonii *proprie* sunt ea sola obstacula seu circumstantiae quae *ex lege* faciunt ut matrimonium pro voluntate licite vel etiam valide contrahi nequeat (1). Duplicis generis itaque sunt: *impedientia* dicuntur quae efficiunt solum ut *illicite* contrahatur, *dirimentia* quae efficiunt ut *etiam invalidum* matrimonium sit.

(1) *Improprie* multo plura, quam nos recensebimus, impedimenta matrimonii dici possunt, ea sc. omnia quae quavis ratione faciunt ut matrimonium illicite vel invalide contrahatur.

II. Impedientia impedimenta numerantur quatuor hoc versiculo:

Ecclesiae vetitum, tempus, sponsalia, votum.

Nota 1°. Alia obstant matrimonio ut contractui, alia ut Sacramento: de prioribus solum hic dicitur.

2° *Ecclesiae vetitum* non est proprie impedimentum, quia *non ex lege* est; neque *tempus*, praecipue quia non ipsum matrimonium prohibetur.

3° Reapse sunt alia impedimenta impedientia, sc.: proprie, *mixta religio*, minus proprie, *omissio publicationum* et *clandestinitas* ubi haec non est impedimentum dirimens.

III. Dirimentia impedimenta numerantur quindecim:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Aetas, affinis, si clandestinus, et impos,
Raptave sit mulier, loco nec reddita tuto.

Ex his duo, crimen et cognatio, singula tria comprehendunt; sed etiam sunt inter enumerata quae minus proprie impedimenta dicuntur.

Distingui nim. potest triplex classis impedimentorum: alia dirimunt *ex parte personae*, quae hominem reddunt directe inhabilem, etsi contrahere velit et formam servet; alia dirimunt *ex parte consensus* deficientis vel non sufficientis; unum dirimit *ex parte formae* ab Ecclesia praescriptae. Porro prima tantum nos dicimus impedimenta stricte dicta; cfr. n. 741 sqq.

Potestas statuendi impedimenta *in Ecclesia* est penes solum Romanum Pontificem, certo quoad dirimentia, et ex sententia multo probabiliori et communiori hodie etiam quoad impedientia: cui opinioni non adversatur quod alicubi iure particulari vèl prohibita censeantur matrimonia tempore clauso, vèl Confessio sacramentalis praemittenda praecipiatur; hisce enim vel similibus nemo simpliciter impeditur a matrimonio contrahendo. 565.

Subiectum. I. Impedimentis iuris naturalis vel divini positivi ligantur *omnes homines*. 566.

II. Impedimentis iuris ecclesiastici 1. ligantur *omnes baptizati*, etiam acatholici ut cum communi, contra aliquos, omnino

tenendum est ob satis manifestatam mentem Ecclesiae; cfr. tamen dicenda de clandestinitate.

2. Quoad *infideles conversos* distinguendum est: 1) ligantur iis impedimentis quorum ratio est vinculum quoddam naturale; ut certo sunt *consanguinitas* et *affinitas* ex copula coniugali. De affinitate ex copula fornicaria sunt qui negent, sed affirmandum videtur ex Respp. S. Off. 16 Sept. 1824 et 26 Aug. 1891 quae universaliter declarant affinitatem in infidelitate contractam evadere impedimentum post Baptismum. Idem, ob paritatem rationis, dicendum videtur *de cognatione legali* (1); quamquam multi de hoc tacent. — 2) De *publica honestate* sive ex sponsalibus sive ex matrimonio valido non consummato, interrogatum S. Off. 19 April. 1837 respondit: « *Impedimentum non subsistere* (2) ». — 3) *Aliis* non ligantur si eorum causa in infidelitate posita est.

3. *Inter fidelem et infidelem* 1° *generatim* vigent impedimenta iuris ecclesiastici, quia inhabilem reddendo partem fidelem indirecte afficiunt quoque partem infidelem, cum contractus matrimonialis, ut valeat, utramque partem requirat habilem, seu claudicare non possit. — 2° *De conditione servili et vi* seu metu — posito hoc posterius esse impedimentum iuris ecclesiastici — non convenit inter AA. Alii censent ea semper vigere, ut sub 1° dictum est; quia ius non distinguit, neque ratio cogit ut distinguatur, sed contra semper datur ratio sufficiens cur Ecclesia velit irritum esse matrimonium (3). Alii distinguunt: affirmantes si pars libera vel metum passa est fidelis; negantes si haec pars est infidelis: quia in posteriori hypothesi consensus errore vel metu diminutus non subest Ecclesiae adeoque lex ecclesiastica neutram partem afficit (4).

De impedimento *criminis* et de *clandestinitate* speciatim dicemus suis locis.

III. De impedimentis iuris civilis, quoad matrimonia *inter fidelem et infidelem* dicendum videtur ut supra II, 3, 1°; ad-

(1) Cfr. Desmet n. 322 nota 2°.

(2) Coll. S. C. P. F. Ed. I, n. 1254.

(3) Cfr. Wernz IV, n. 242, nota 27, et n. 265, nota 27.

(4) Cfr. Gasparri ed. 3ª n. 894 i. f. et n. 936; Schaepmann. n. 92, R. 4° in nota.

eoque matrimonium non valere si pars infidelis ligatur tali impedimento (1).

Sunt tamen qui aliud sentiunt (2); quia in hoc conflictu ius Ecclesiae, utpote competentis ratione tum partis fidelis tum materiae, praevalere debet iuri civili. Sed conflictus iurium in casu potius negatur, quia ius civile directe solum afficit sibi subditum, id autem sufficit ad irritandum matrimonium; negatur competentia Ecclesiae ratione materiae, quia hac ratione agere directe solum potest in sibi subditos.

I. **Ignorantia** etiam invincibilis certo *non tollit* vim impedimentorum dirimentium; num faciat ut impedimentum criminis *non oriatur,* disputatur. **567.**

II. Ob nullum incommodum privatum cessat vis irritandi impedimentorum, neque iuris ecclesiastici ex communissima sententia; sed solum, ut videtur, *ob moralem impotentiam* saltem in aliqua regione *communem* contrahendi matrimonia: sic v. gr. S. Off. 4 Iunii 1851 quoad impedimentum *disparitatis cultus* declaravit non esse inquietandos fideles in loco infidelium ubi adeo pauci essent christiani, ut non possent inter se matrimonia contrahere, si ob locorum distantiam neque possent dispensationem petere (3).

III. Plerique tamen recentiores probabile putant cessare impedimenta *iuris ecclesiastici,* etiam quoad vim irritandi, ob incommodum privatum gravissimum coniunctum cum impossibilitate petendi dispensationem, seu in casu perplexo, quem vocant; quam opinionem S. Alphonsus dicit « non sine fundamento » tradi. Ceterum noto:

1. Ponitur agi de impedimento quod saltem attentis circumstantiis censetur *dispensabile.*

2. *Non adest* casus perplexus si impedimentum est *publicum,* vel sine infamia nupturientium publicari potest. Et *minor* saltem est *perplexitas* 1° si uterque nupturiens impedimentum ignorat: tum enim taceri potest et abstrahi a valore opinionis supra memo-

(1) Cfr. Schaepman n. 48.

(2) Cfr. Gasparri ed. 3ª n. 307; Resemans *de competentia* etc. pag. 2.

(3) Cfr. Tom. I. n. 95, III, 3°. et dicenda de *clandestinitate* n. 666 sq.

ratae, ac postea peti dispensatio vel sanatio in radice: cfr. n. 552, II; 2° si uterque novit impedimentum, vel alteruter sed qui sine incommodo alteri parti illud manifestare potest; quia tunc contrahere possunt vèl ficte, vèl, quod praestat, sub conditione dispensationis obtinendae, et cum intentione interim non utendi matrimonio; 3° ob eamdem fere rationem, si sponsus, etsi solus, novit impedimentum: quia ab eo fere pendet consummatio matrimonii.

3. Perplexitas itaque casus tunc fere solum aderit, si *sola sponsa novit* impedimentum et *neque sponso revelare* sine infamia potest, *neque actum coniugalem cavere* usque ad obtentam dispensationem moraliter poterit.

4. 1° Hodie, quum Episcopis concedatur facultas dispensandi in impedimento occulto affinitatis ex copula illicita, et hanc facultatem subdelegandi etiam habitualiter Parochis pro casu quo omnia ad nuptias parata sunt; dictum autem impedimentum plerumque inducat casum perplexum, hic iam rarius occurret, modo Parochus vèl matrimonio interveniat vèl adiri pro dispensatione possit.

2° Omnem difficultatem tollere possent Episcopi potestatem quasi-ordinariam, quam ex communi sententia in hypothesi habent, generaliter delegando omnibus Confessariis. Solum, ut notat Feije n. 639, 3° « dubitari potest an licite saltem et convenienter omnibus Confessariis potestas quasi-ordinaria pro futuris urgentis necessitatis casibus delegari queat ». Id tamen iam unus alterve Episcopus fecit: cfr. Vlaming n. 340 in fine; Desmet, n. 378, coll. n. 369, II.

5. Quodsi tandem matrimonium nulla obtenta dispensatione contractum fuit, *dispensatio postea petenda* est, sive teneatur sive non teneatur cessasse impedimentum; in priori hypothesi ad cautelam ut ipsi illius opinionis patroni monent, in posteriori necessario.

568. **Cum impedimento dirimente dubio I.** *iuris divini*, sive naturalis sive positivi, contrahere *certo non licet;* quia tunc Ecclesia dispensare ne potest quidem, adeoque perpetuum periculum iniretur malum intrinsecum perpetrandi; cfr. tamen dicenda de *impotentia* dubia (1).

(1) Casum propositum de dubia fraternitate S. Inq. approbante S. P. Pio X 6 April 1906 resolvit: « Ex deductis non constare de absentia impedimenti; ideoque matrimonium de quo agitur permitti non posse ».

II. *Iuris ecclesiastici* de impedimento

1° si est *dubium iuris,* practice *certo licet* contrahere, saltem quia tunc Ecclesia merito praesumitur hypothetice dispensare et hac ratione impedimentum dubium non est impedimentum.

2° Si est *dubium facti,* ex communiori sententia *non licet* contrahere sine dispensatione petita, ob contrariam rationem et consequenter ob supra dictum periculum. Nonnulli tamen contrarium resolvunt, alii absolute, quia putant Ecclesiam hypothetice dispensare — sed contrarium patet ex praxi Ecclesiae; alii pro solo dubio insolubili, quia possessio stat pro libertate cui Ecclesia tunc censetur favere — sed et hoc eo minus tutum videtur dicendum quia dubium practice tolli potest dispensatione. *Adverte* quandoque huius hypothesis casus resolvi posse praesumptione sive pro existente sive pro non existente impedimento; puta si dubium vertitur de copula num perfecta fuerit necne; si dubium est de Baptismo vide dicenda de disparitate cultus.

569. Cum impedimento dirimente erronee putato adesse si uterque vel alteruter contrahit, matrimonium validum vel nullum dicendum est, prout partes, quantum ab earum voluntate pendet, consenserunt in verum matrimonium vel in aliquid aliud, puta in concubinatum, in ceremoniam civilem etc. Hinc 1° *valet* nihilominus matrimonium, si contrahentes non erant omnino certi sed aliquo modo dubitabant de impedimento. Ratio, quia censendi sunt tacite contraxisse sub conditione: si vel in quantum possumus. Idem dicendum videtur, etsi certos se putarint de impedimento, non tamen vim impedimenti satis noverint, ita ut non putarint se invalide contrahere vel dubitaverint. — 2° Quodsi vero alteruter vel uterque certum se habuerit èt de *impedimento* èt de *nullitate* matrimonii, plerique resolvunt non valere matrimonium, quia in hypothesi non potest haberi consensus vere matrimonialis. Sed hoc non ita generatim et absolute certum videtur, verum potius in singulis casibus considerandum quid ex sua parte intenderint sic contrahentes (1). Confirmatur Instr. S. C. P. F. ad Vic. Ap. Constantinop. 1 Oct. 1785.

---

(1) Cfr. Gaspari Ed. 3ª n. 906; V. d. Burgt-Schaepman I, n. 51.

Scholion. De impedimentis matrimonialibus iuris civilis neerlandici.

570. Legislator noster civilis art. 84 sqq. titulo qualitatum nupturientium et conditionum observandarum plura statuit requisita ad valorem matrimonii. Porro ex dictis n. 554, II haec pro matrimoniis nostratum non baptizatorum probabilius ut vera impedimenta habenda erunt, *positis ponendis* tamen. Hinc:

I. Qu. Num reapse intendit legislator noster constituere impedimenta dirimentia?

Resp. 1° Art. 83, qui continet principium legislationis nostrae in hac materia, sic habet: « De Wet beschouwt het huwelijk *alleen in deszelfs burgerlijke betrekkingen* ». Quem art. nonnulli sic accipiunt ut significet legem nostram attingere ipsum matrimonium *nunquam ceu contractum vel vinculum;* cfr. Vlaming n. 130; v. Gestel in *Studiën* anni 1894 pag. 227 sqq.; Aertnys n. 522, Qu. 3, in nota 3. — Et concedendum est articulum cit., si solitarie sumi deberet, in sensu obvio seu vi verborum ita accipiendum fore.

2° *Verum* quominus ita accipiatur iste art., obstant nimis multi alii articuli, e quibus, si in sensu obvio sumi debent, *nimis clare patet legislatorem revera attingere velle ipsum contractum seu vinculum.* Cito ex. gr. art. 131: *Het huwelijk zal* . . . ten overstaan van den ambtenaar van den burgerlijken stand . . . *worden voltrokken,* en in in tegenwoordigheid van vier getuigen . .» Et art. 147: « *De nietigheid* van een huwelijk, hetwelk niet . . . — ut art. 131 praescriptum est — is voltrokken . . . ». Adde ea quae artt. 254 sqq. statuuntur « *van de ontbinding des huwelijks* », quae praeterquam et *aeque ac morte* fieri dicitur: « 2° door afwezigheid . . . 3° door rechterlijk vonnis . . . 4° door echtscheiding . . . ». Et observa, dissoluto civiliter matrimonio per unam ex his tribus causis utrique parti permitti novum cum alia persona matrimonium. Quod, quaesiverim, quomodo conciliatur cum opinione quod lex attingere non intendit vinculum matrimoniale? An forte legislator in tali secundo matrimonio civili admittet relationes

civiles matrimoniales inter personas inter quas ipse non agnoscit, in illa opinione, ipsum matrimonium, imo ex art 84, *statuente unitatem* vinculi matrimonialis, non admittit?

Hinc ipse cl. Vlaming fatetur, idque iure optimo: « Wij noemen deze artikelen — loquitur de art. 136, et Wtb. v. Strafrecht, art. 440; idemque de plurimis aliis aeque dici potest — een grove inbreuk, een groote inconsequentie ten aanzien van het in art. 83 uitgesproken beginsel ». Mea quidem opinione potius quam permulti alii, solus art. 83 in sensu non obvio accipiendus dicendus est, nim. hoc fere sensu: lex in matrimonio solas considerat relationes civiles: subintellige: utpote quas solas substantiales et primarias habeat, quam etiam ob rem matrimonium aeque ac omnem alium contractum suae, non alteri, potestati subiectum reputat. Itâque rem intelligunt Opzoomer I, Tit. V; et Diephuis IV.

Ita quoque sentit A. C. M. Schaepman *Het burgerlijk Huwelijk*. Et confirmatur auctoritate S. P. Leonis XIII in Epistola 8 Febr. 1893 ad Episcopos Venetiae, apud A. laud. pag. 8 sq., ubi i. a.: « Lex quae civili caeremoniae priores partes tribuendas statuit prae vero matrimonio quod in facie Ecclesiae contrahitur — uti statuit lex nostra art. 136 — reapse ipsum contractum matrimonialem pro obiecto habet, nec solos effectus civiles ».

II. Qu. Num reapse irritant itaque matrimonia non baptizatorum impedimenta in nostro iure civili statuta?

Resp. Negative. Id in opinione cui supra contradiximus necessario sequitur. Equidem alia ratione ducor, sc.: de civili nullitate vel etiam non-existentia matrimonii non aliter iudicandum est ac iudicandum quoad quosvis alios contractus docuimus in Tom. II n. 186, nim: ex ipsa intentione legislatoris matrimonium iure naturae validum numquam vi iuris civilis esse plane nullum nisi post sententiam iudicis. Quod idem docent iurisperiti supra laudati. Sed semel admissâ a legislatore existentiâ vinculi matrimonialis, hoc solvendi potestate iam non gaudet.

Concludo: Legislator noster hac in re id quod potuisset: irritare *ante factum, noluit;* id quod voluit: irritare *post factum, non potest.*

CAPUT QUINTUM.

DE IMPEDIMENTIS IMPEDIENTIBUS IN SPECIE (1).

571. I. **Ecclesiae vetitum,** ut impedimentum ab aliis distinctum, intelligitur particulare quo sc. determinatum aliquod matrimonium a Superiore ecclesiastico prohibetur. *Causae praecipuae* prohibendi matrimonium sunt: 1° reclamatio de sponsalibus, et generatim suspicio probabilis impedimenti sive dirimentis sive impedientis: 2° timor fundatus ne ex matrimonio gravia incommoda, ut scandala vel inimicitiae, sequantur; 3° ignorantia doctrinae christianae etc.

Parochus, quum iurisdictione in foro *externo* careat, prohibere vel impedire matrimonium propria auctoritate non potest, sed tantum vel sponsis illud illicitum, si vere tale est, declarare, vel si causa prohibendi adest, rem ad Ordinarium deferre.

II. **Tempus,** *clausum* seu *feriatum* quod dicitur, currit 1° a Dominica prima Adventus usque ad diem Epiphaniae inclusive; 2° a Feria quarta Cinerum usque ad Dominicam in albis inclusive.

Prohibentur eo tempore ex iure communi nuptiarum solemnitates, sc. 1° *solemnis benedictio* sponsae quae nim. habetur in Missa pro sponsa, et illa *ipsa Missa;* 2° *solemnis traductio* sponsae in domum viri, quae sc. fieret cum pompa et publicis laetitiae signis; 3° *convivia nuptialia* i. e. non simplicia sed splendida vel clamosa.

Iure particulari, consuetudine introducto, pluribus in locis — quoad patriam nostram in Dioecesibus *Buscoducensi, Ruremondensi* et *Bredana* — ipsa etiam matrimonii celebratio sine Ordinarii licentia censetur prohibita.

III. **Vota** quinque impediunt matrimonium: 1° votum *simplex* castitatis sive privatim sive in Ordine vel Congregatione

(1) Sporer n. 139 sqq.

religiosa emissum; 2° votum non nubendi seu coelibatus, quod directe excludit solum actum ineundi matrimonium; 3° votum virgininitatis solius, quod directe solum excludit primum actum quo virginitas amittitur. — Haec tria vota saepius confunduntur. Generatim quidem apud nostrates praesumendum erit votum castitatis emissum; si tamen dubitandum videatur, interrogetur vovens quid intenderit et quo motivo; cfr. Lehmkuhl n. 719 — 4° votum Religionis ingrediendae; 5° votum Ordinis sacri suscipiendi.

Qui aliquo ex hisce votis obstrictus matrimonium contrahit, graviter peccat; quia vèl directe votum infringit, ut qui vovit coelibatum, aut emisso voto castitatis vel virginitatis contrahit cum intentione matrimonium consummandi, vèl quia se exponit proximo periculo violandi votum, huiusve executionem impossibilem sibi reddendi; saltem rarissimus erit casus quo hoc periculum abest; vèl, si vovit Religionem, quia compartem decipit. — Ut igitur licite contrahat, praevie obtinenda est dispensatio.

Obligatio post matrimonium sine dispensatione initum. 572.

I. *Votum non nubendi extinguitur* per matrimonium; quare hoc durante nec obligationem relinquit; at hoc soluto reviviscere videtur.

II. Qui stricte vovit *virginitatem,* prima vice, vel rectius, quamdiu virginitas est servata, non potest petere debitum.

Tria alia vota obligant quando et in quantum impleri possunt; scilicet:

III. Qui emisit votum *castitatis* 1° *non potest petere* debitum, *nisi* compars sit in periculo incontinentiae vel interpretative petat; vel nisi eius votum fuerit a comparte indirecte irritatum; cfr. Tom. I, n. 367, 422, III et 425, I; 2° *omnino abstinere debet,* etiam non reddendo, *si* compars consentiat vel ius petendi amiserit; item, secundum plures durante primo bimestri reddere non potest: sed probabiliter alii docent eum, si vere de religione non deliberet, nec teneri nec posse negare debitum petitum; cfr. Tom. I, n. 428, I; 3° mortua comparte *non potest aliud matrimonium inire,* posito votum perpetuum emissum esse, neque totaliter dispensatum.

IV. Qui vovit *Religionem* ingredi, 1° ante matrimonii consummationem tenetur adhuc ingredi Religionem; quare graviter peccat quum *prima vice* consummat matrimonium petendo, vel etiam reddendo primo bimestri aut quamdiu licite negare potest. — Matrimonio iam consummato licite petit et reddit. 2° Adhuc consummato matrimonio votum implere debet, si illaeso compartis iure impleri potest, sc. si compars consentiat, vel ius petendi in perpetuum amiserit, vel ipsi praemoriatur; posito voti executionem adhuc esse moraliter possibilem. — Qui vovit ingredi Religionem seu Congregationem *cum votis simplicibus* tantum, statim potest reddere et petere.

V. Qui vovit *Sacros Ordines* suscipere, eos suscipere debet, si potest, ut mox supra ad IV sub 2° dictum est. — Matrimonium consummare potest etiam petendo, nisi adhuc votum exequi possit. Et probabilius, contra plures neque tenetur ad hoc ut votum implere possit, ingredi Religionem, quia hoc non vovit, essetque medium extraordinarium. — Quod idem dicendum est de eo qui emiserat votum castitatis.

Ceterum praedictis omnibus plerumque expediet ut quamprimum dispensatio obtineatur.

573. **Mixta religio,** ut impedimentum non dirimens sed impediens tantum, intelligitur *disparitas cultûs imperfecta,* ea sc. quae existit inter duas partes baptizatas, sed unam catholicam, alteram acatholicam, i. e. pertinentem ad sectam haereticam vel schismaticam; cfr. n. 579, II.

I. Prohibitio ecclesiastica nititur iure divino naturali et positivo. Etenim, ut habet Leo XIII in Enc. *Arcanum:* Matrimonia mixta « occasionem praebent vetitae societati et communicationi rerum sacrarum, periculum religioni creant coniugis catholici, impedimento sunt bonae institutioni liberorum, et persaepe animos impellunt ut cunctarum religionum aequam habere rationem assuescant, sublato veri falsique discrimine ». Quare generatim et per se, posito nempe periculum religionis pro coniuge catholico vel pro prole esse reapse proximum, matrimonia mixta ipso iure divino prohibita censeri debent.

II. Cessat prohibitio iuris divini cessante periculo proximo de quo supra; prohibitio ecclesiastica non cessat nisi dispensatione.

574. I. **Dispensatio** non conceditur nisi 1° de cessante prohibitione divina satis constet per cautiones praestitas, et 2° gravis causa existat.

II. Cautiones exigi solitae sunt:

1° ut *pars acatholica* promittat se permissuram parti catholicae *plenam libertatem religionis* suae exercendae;

2° ut *utraque pars,* sed praesertim acatholica, promittat *universam prolem catholice* baptizatum et educatum iri (1);

3° ut *pars catholica* promittat se procuraturam, quantum in se est, *conversionem partis acatholicae.* Praeterea ab eadem saepe, non semper et ubique, exigitur promissio se numquam apostatataturam a religione catholica.

4° In nonnullis regionibus insuper exigitur promissio utriusque partis *non ineundi matrimonium coram ministro haeretico;* cfr. Vlaming. n. 171.

Nota ad 1^m^ *et* 2^m^. Hisce promissionibus constare debet de cessante prohibitione divina; quare ab hisce praestandis neque proprie dispensari potest. — Si tamen matrimonium iam attentatum ob urgentes rationes convalidandum est, dispensatio ad matrimonium dari potest etsi pars acatholica educationem universae prolis in religione catholica promittere renuat; cfr. n. 578, II.

Ad 3^m^. Haec promissio est de implenda obligatione charitatis quae parti catholicae erga compartem incumbit, cui praecipue per orationes et bonum exemplum satisfacere debebit; neque semper promissio haec explicite exigitur.

III. Forma determinata qua cautiones praestentur, *ex iure communi* hodie non est praescripta; sufficit ea promissio quae in pactum deducta praebeat morale fundamentum de veritate executionis, ita ut prudenter eiusmodi executio exspectari possit; S. Off. 30 Iun. 1842; 29 Nov. 1899. — *Apud nos* ex praescripto Syn. Prov. Tit. IV, Cap. XIII *scripto* exarari debent, atque « ad Episco-

(1) « Licet pro viribus sit curandum ut filii, *si adsint ex praecedenti matrimonio partis acatholicae nati,* in catholica religione instituantur, tamen haud absolute hoc exigendum pro concedenda dispensatione, nisi iidem filii ex altero matrimonio mixto sint orti et parens prioris conditiones non observavit » S. C. P. F. ad Episc. Harlem. 20 Mart. 1899.

pum mittendum erit instrumentum cautionum praestitarum, subscriptione sponsorum, duorum testium ac ipsius Parochi, necnon Parochiae sigillo confirmatum » Cfr. Vlaming n. 150 sqq. (1).

575. Celebratio matrimonii mixti *liciti,* contrahendi nempe praestitis cautionibus debitis et dispensatione obtenta. *Ex iure communi et per se*

I. Proclamationes omittendae sunt. Ordinarius tamen, si eas opportunas iudicet, permittere potest ut fiant, sed reticenda tunc est nupturientium religio.

II. Ipsum matrimonium contrahi, eique Parochus ut testis qualificatus assistere debet

1° Extra Ecclesiam — et apud nos, ex more recepto, etiam *extra Sacristiam — in loco decenti* tamen.

2° Sine Parochi benedictione, sive illa quae in Missa pro sponso et sponsa, sive alia quae in Rituali Romano habetur.

3° Sine ullo ritu sacro seu ecclesiastico, adeoque nulla sacra veste indutus (2).

Haec dicitur assistentia passiva; quocirca observa:

1). Ante Decretum *Ne temere* Parochus, ut talis, ex lege communi et per se tali matrimonio *mere praesens* erat, et mutuum nupturientium consensum manifestatum audiebat seu percipiebat.

Post Decretum cit. ut plurimum (3) ad valorem matrimonii requiritur *assistentia magis activa,* i. e. Parochus, ut talis, requirere et excipere debet contrahentium consensum matrimonialem, sicut in matrimonio catholicorum.

Reliqua vero aeque ac antea sunt per se prohibita.

2). Ex Instructione cit., ubi ex negata assistentia activa gravia incommoda timenda sunt, Ordinariorum arbitrio et conscientiae committitur ut aliquem ritum sacrum permittant; exclusa tamen semper Missae celebratione: quibus verbis excluditur non solum

---

(1) Formulae habentur pro Archidioec. Ultraj in *Collectio.... Documentorum* App. III; pro Dioecesi Harlem. in *Statuta* inde a prima Syn. Dioec. edita et in conventu prosynodali 13 Dec. 1886 confirmata cap. X.

(2) Instructio iussu Pii IX ad omnes Ordinarios data 15 Nov. 1858.

(3) Cfr. n. 672 sqq.

Missa « pro sponso et sponsa » sed etiam mere privata quae tamquam caeremoniale matrimonii complementum haberetur; ex resp. S. Off. 17 Ian. 1877.

Etiam sine speciali Ordinarii permissione, in legem non impingeret Parochus, si consensu manifestato quaedam hortatoria verba, non utique per modum concionis sed merae allocutionis dirigeret; vel si ad hoc rogatus benediceret eorum annulum, dummodo ne fiat tamquam complementum caeremoniale matrimonii, sed seorsim (1).

576. Pro matrimoniis mixtis, ubi etiamnum clandestine inita valent, (n. 672 sqq.). Quum ex iure communi ubicumque assistentia Parochi et testium non ad valorem ibi tamen ad licitam matrimonii celebrationem requiratur: hoc per se etiam matrimoniis mixtis applicandum erit. Quodsi tamen certo constat coram Magistratu civili iam verum consensum datum esse, *renovatio* consensus coram Parocho non est permittenda utpote aliena a mente et praxi Ecclesiae. Potius igitur quaeri potest an nupturientes, vel saltem pars catholica, moneri debeant ut verum consensum non praestent coram Magistratu civili, sed eum differant donec coram Parocho et testibus se sistant. Et affirmandum est si commode ita fieri potest. Sed saepe commode non fit, vel timendum etiam est ne pars acatholica postea vèl renuat vèl exigat ut haereticus quoque minister adeatur. Tunc itaque, quum de sola liceitate agatur, potius abstineatur a monitione et consulatur Ordinarius. Cfr. Feije n. 571 in nota.

577. I. Matrimonium mixtum *illicitum* si quis catholicus contracturus est, Parochus per se ab omni interventu abstinere debet.

II. *Idem* igitur dicendum est, *etsi* cautiones praestitae et dispensatio obtenta sit, *si* vèl nupturientes manifestarent suam voluntatem contrahendi etiam coram ministro haeretico tamquam tali, vèl Parochus *certo* nosset hanc pravam eorum intentionem; a fortiori si iam coram ministro haeretico contraxissent.

In nonnullis tamen regionibus S. Sedes, ad vitanda maiora mala: praecipue ne vèl invalide vèl coram ministro haeretico contrahatur, tolerat ut Parochus de iudicio Ordinarii etiam illicitis huiusmodi matrimoniis assistat.

Casu itaque occurrente Parochus recurrat ad Ordinarium, qui pro circumstantiis vèl resolvat vèl ipse S. Sedem consulat.

III. Quodsi nupturientes neque Parochum interrogent hac de re, neque pravum animum suum manifestent, et monitio certo

(1) Cfr. Vlaming n. 173; V. d. Burgt-Schaepman I, n. 282, 4°.

praevideatur non profutura, Parochus ad graviora mala vitanda silere et permissive se habere potest.

Nota. Dicta et dicenda *de adeundo ministro haeretico* intellige de eo adeundo *tamquam tali*, ut hic sc. tamquam minister sacris addictus matrimonio assistat et quasi Parochi munere fungatur. Aliud est si mere personam agat magistratus civilis coram quo, lege civili cogente, quasi matrimonium ineundum est. Aliud etiam foret si adiretur quidem ut, vel potius, quia minister religiosus, sed ita ut nulla hinc ritus haeretici professio habeatur aut colligatur: puta extra templum, in ipsius ministri domo, nullis sacris vestibus vel caeremoniis adhibitis; ita nempe ut quidquid ipse in casu peragat, civilis dumtaxat et politica gratulatio sit et censeatur. Sed cavendum scandalum, quod apud nos facile adesset.

578. I. Post factum *si* coram Parocho velint renovare consensum postquam *invalide* « praestitus iam fuerit *coram ministro haeretico,* idque publice notum sit vel ab ipsis Parocho notificetur, Parochus huic matrimonio non intererit, nisi servatis ut supponitur ceteroquin servandis, pars catholica facti poenitens, praeviis salutaribus poenitentiis, absolutionem a contractis censuris rite prius obtinuerit ». Instr. S. Off. 17 Febr. 1864, et 12 Dec. 1888. — Censura intelligitur, et pro foro externo praesumitur contracta, excommunicatio lata in fautores haereticorum.

II. Quodsi post matrimonium invalide contractum pars acatholica renuat praestare cautiones debitas, sed neque separatio moraliter fieri potest, tunc, dummodo pro parte catholica absit proximum perversionis periculum, et haec promittat ea quae ab ipsa promittenda sunt, dispensatio nihilominus obtineri potest. Si autem pars acatholica etiam renuat renovare consensum, recurri potest, positis ponendis, ad sanationem in radice.

III. *Si valide* sed illicite contraxerunt (1), eadem quae supra: praevia poenitentia, scandali reparatio et promissiones pro futuro exigenda sunt saltem a parte catholica ad hoc ut haec ad Sacramenta admitti possit. — « Utrum autem ad reconciliandum in foro quoque externo eos qui notorie haereticum ministrum adierint, sufficiat sola absolutio fori interni, controversum est. Praeplacet nobis, spectata praesertim praxi vigente (2) sententia iuxta quam

(1) Ita hodie contrahere possunt soli exempti vel excepti a Decreto *Ne temere;* cfr. n. 672 sqq.

(2) Nim. in Dioecesi Harlemensi. Sed alibi alia est praxis: ad quod in singulis regionibus est attendendum.

absolutio fori interni etiam quoad forum externum sufficit, quamdiu iudex fori externi, i. e. Episcopus, aliter non exigit ». Vlaming n. 175. Certo autem inquietandi non sunt qui post matrimonii celebrationem ad Sacramenta aliquando iam fuerunt admissi, maxime si id factum fuit a Sacerdote nuptiarum sacrilegarum non ignaro: in hunc sensum respondit S. Off. 18 Maii 1892. — *Si cautiones* debitae *omissae* fuerint, ex iure communi ad Episcopum recurrendum est ut etiam in foro externo praestentur cautiones, saltem a parte catholica; itàque declaravit S. Off. 12 Mart. 1881. Ubi tamen usus habet ut totum negotium reconciliationis a Confessario procuretur, resolvi posse videtur ut supra quoad absolutionem a censura resolvimus cum Vlaming quem cfr. n. 181.

IV. Idem quod supra sub III, respectu partis catholicae dicendum est, si post matrimonium coram Parocho contractum, iterum contraxerunt coram ministro haeretico; vel generatim si post matrimonium initum non implentur factae promissiones culpâ partis catholicae. Quodsi hanc in hypothesi vere poenituerit, etc., sed solummodo scandalum nondum reapse satis reparatum sit, tamdiu ad S. Communionem privatim solum vel alio in loco admitti potest.

Hac in re, i. e. in exigendis iis quae a parte catholica per se praestanda sunt, severior quidem generatim adhibenda est ratio agendi erga patrem catholicum — quum huic soli, ut plurimum ex lege civili competat usus potestatis parentum — quam erga matrem catholicam (1). Attamen esse possunt circumstantiae tales ut ex usu illius potestatis magis incommoda quam fructus exspectari queant: quare tunc neque nimis severe cum patre agendum est (2).

579. I. De francomuratoribus iuratis interrogatum respondit S. Off. 21 Febr. 1883: « Quod attinet ad matrimonium, in

(1) Cfr. Tom. II, n. 23.

(2) Ex Resp. S. Off. 8 Maii 1907 « Catholici qui cum acatholicis coram haeretico ministro qua tali nuptias contraxerunt, et in ejusmodi nuptiis vèl expresse consenserunt acatholicae prolium educationi, vèl eas de facto in haeresi educari fecerunt, ideoque censuram incurrisse dicendi sunt, si apoplexia tacti et sensibus destituti aut statim aut brevi post discesserint, Ecclesiae minime reconciliati et quin resipiscentiae signa unquam dedissent, donari nequeunt sepultura ecclesiastica et exequiis ».

quo una pars contrahentium clandestinis aggregationibus *notorie* adhaeret, donec Apostolica Sedes generale decretum hac in re ediderit, oportet ut Pastores caute et prudenter se gerant et debeant potius in casibus particularibus ea statuere quae magis in Domino expedire iudicaverint, quam generali regula aliquid decernere. Omnino vero excludatur celebratio Sacrificii Missae, nisi quando adiuncta aliter exigant ». — Et S. C. P. F. Instr. ad Episcopos Brasiliae 3 Iulii 1878: « In Matrimoniis eorum qui sectae massonicae adscripti sunt, *per se* sola ..... (1) assistentia absque Benedictione alioque ritu ecclesiastico permittitur, idque si ex denegata assistentia grave scandalum vel damnum oriatur (2) ».

Quamvis ergo leges ecclesiasticae de matrimoniis mixtis in rigore haec matrimonia non comprehendunt, tamen, ut advertit Ball.-Palm. n. 1113, ed. 3ª n. 736: « Hinc intelligitur quid Romana Sedes in hac re sentiat, et patet ipsam ab his connubiis abhorrere fere eodem pacto ac a matrimoniis mixtis cum haereticis. Et sane quae rationes valent contra matrimonia mixta atque exigunt iure naturae cautiones iam superius memoratas, eaedem et pro his pugnant matrimoniis ».

II. « Si nupturientium una pars est catholica, altera fide abiecta nulli sectae religiosae adhaeret, res deferenda est ad Episcopum, qui inspectis omnibus casus adiunctis permittere poterit, ut Parochus ..... (1) matrimonio intersit, dummodo cautum sit catholicae educationi universae prolis ». Noldin. n. 155, ex resp. S. Off. 25 Maii 1897.

Scholion. De Dissensu parentum et de lege civili matrimonium vetante.

580. I. Dissensus parentum 1° ex iure naturae, si *iustus* est, in quantum matrimonium illicitum reddat, vid. Tom. I, n. 399, II. 2° Ex iure ecclesiastico communi, *etsi iniustus* dissensus sit, existere nihilominus videtur, et certo penes nos ex Syn. Prov. Tit. IV, Cap. XIV existit prohibitio pro Parocho ne procedat inconsulto Episcopo.

(1) « Passiva » (« passive ») dicebatur; cfr. n. 575, II.

(2) Hodie generatim sequeretur nullitas matrimonii.

II. Ex iure civili nostro art. 146, coll. artt. 92-98, consensus parentum, eorumve qui parentum locum tenent, requiritur *ad valorem* seu firmitatem matrimonii minorennium; cfr. n. 570. — Maiorennes debent quidem parentum, non aliorum, consensum petere, id autem non ad valorem matrimonii.

Plures alii sunt casus quibus a matrimonio lege civili arcen- 581.
tur ii qui ex iure ecclesiastico nullo modo impediuntur. Praeterea generatim lex civilis art. 136 (1) vetat, idque sub poena — cod. poen. art. 449 (2) — ne ullum matrimonium ritu religioso celebretur antequam coram magistratu civili contractum illud esse probetur. Hinc oritur

Quaestio num fideles et Parochi possint tutâ conscientiâ, num forte debeant leges istas civiles negligere?

Resp. 1° *Per se* leges istae certo negligi possent, utpote quae, ut minimum dicamus, latae sint a potestate non competente.

2° Quia tamen hinc ex illarum legum neglectu gravissima damna timenda sunt tum ipsis coniugibus, tum proli nasciturae, tum Ecclesiae huiusque ministris; illinc vero eaedem leges, generatim saltem, non exigunt aliquid intrinsece mali: ideo *per accidens regulariter*, ut damna illa caveantur, et necessitas et obligatio est non contrahendi vel non admittendi ad matrimonium contrahendum, nisi servatis legis civilis praescriptis, atque adeo nisi praevie coram magistratu civili actus civilis emissus est. Idque monet quoque tum Syn. Prov. Ultraj. l. c., tum ipsa S. Poenitentiaria Instr. ad Episcopos Italiae 15 Ian. 1866.

---

(1) « Geene godsdienstige plegtigheden zullen vermogen plaats te hebben, voordat de partijen aan den bedienaar van hunnen eeredienst zullen hebben doen blijken, dat het huwlijk ten overstaan van den ambtenaar van den burgerlijken stand is voltrokken ».

(2) « De bedienaar van den godsdienst die, voordat partijen hem hebben doen blijken dat haar huwelijk ten overstaan van den ambtenaar van den burgerlijken stand is voltrokken, eenige godsdienstige plechtigheid daartoe betrekkelijk verricht, wordt gestraft met geldboete van ten hoogste driehonderd gulden. Indien tijdens het plegen van de overtreding nog geen twee jaren zijn verloopen sedert eene vroegere veroordeeling van den schuldige wegens gelijke overtreding onherroepelijk is geworden, kan, in plaats van de geldboete, hechtenis van ten hoogste twee maanden worden opgelegd ».

Attamen « fideles civile matrimonium contrahentes nihil aliud intendere possunt quam civilem caeremoniam peragere, qua matrimonio a se contrahendo vel contracto legitimi coniugii effectus concilient. Quodsi verum matrimonium coram magistratu civili inire intenderent graviter peccarent, nisi forte ea forent adiuncta in quibus matrimonia clandestina [supposito valore] licerent. In matrimonio mere civili — invalido — perseverantes habendi sunt ut in turpi concubinatu viventes et publici peccatores. Quare eorum filii habendi sunt ut illegitimi; matri post partum benedictio dari nequit; neuter ad Sacramenta admitti potest, donec vèl ab invicem separentur, vèl in forma canonica contrahant ». Gènicot n. 508, I.

3° Dari vero possunt casus quibus urgens cogit necessitas aliter agendi ac lex civilis praecipit, vel saltem contrahendi matrimonium non praemisso actu civili; puta si agitur de ineundo matrimonio vèl *conscientiae,* vèl *in extremis,* vèl necessario et sine mora contrahendo *ad peccata vitanda.* Tum itaque Parochus, si reapse matrimonium contrahendum erit, petat dispensationem in forma liturgica matrimonii. Qua ratione antea Parochus, quum mere passive se haberet, certo non impingebat in artt. 136 cod. civ. et 449 cod, poen. Neerl.; idque confirmabatur sententiâ Summae Curiae (1). Sed hodie, quum Parochus active intervenire debeat (2), *quaeritur* num idem aeque certo resolvi possit. Et pro nostro quidem iure *affirmandum* puto cum Schaepman (3). Nam revera ea quae ad valorem matrimonii requiritur assistentia Parochi, dici nequit religiosa caeremonia *(godsdienstige plechtigheid).* Licetque amplius praestat quam caeremoniam, quia active concurrit ad ipsum matrimonium perficiendum: hoc tamen lege non prohibetur; ita ut invocari etiamnum possit sententia citata Summae Curiae.

Pro regionibus ubi ipsa illa assistentia lege civili est prohibita, quaesitum est: « An et quomodo providere expediat casui quo Pa-

---

(1) 22 Iulii 1760. « Mitsdien behoort te worden nagegaan, niet wat volgens de voorschriften der Trentsche kerkvergadering ten aanzien van het *wezen* van het huwelijk is bepaald, maar welke plegtigheden daartoe behooren volgens het Rituale Romanum ». *Ned. Pas.* ed. anni 1895, II, pag. 482, n. 49.

(2) Cfr. n. 575, II, 1).

(3) Nota ad n. 248.

rochi a lege civili graviter prohibeantur quo minus matrimoniis fidelium assistant (1) nisi praemissa caeremonia civili, quae praemitti nequeat, et tamen pro animarum salute omnino urgeat matrimonii celebratio? » Ad quod S. C. C. respondit: « Non esse interloquendum »; 27 Iul. 1908, ad IX.

Hinc quaeritur ulterius, num forte locus sit applicandi Decreti cit. articulum VIII: « Si contingat ut in aliqua regione parochus locive Ordinarius, aut sacerdos ab eis delegatus, coram quo matrimonium celebrari queat, haberi non possit, eaque rerum conditio a mense iam perseveret, matrimonium valide ac licite iniri potest emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus ».

Sed communiter interpretes, non tamen omnes, negant; cfr. n. 667, I.

At negantes non improbabiliter, attenta magna matrimonii necessitate, applicare poterunt dicta n. 567, III de casu perplexo.

Quodsi res moram patiatur, petatur dispensatio quoad assistentiam Parochi. Secus vero pro casu quidem moribundi in concubinatu viventis Parochus ipse ex habituali subdelegatione Ordinarii potestatem dispensandi habere poterit, secundum dicenda n. 683, IV; et cfr. n. 663 sqq.

582. I. Resolves Officiales Status civilis *(ambtenaren van den burgerlijken stand)* generatim licite assistere matrimonio civili, quod dicunt, atque huius instrumentum legale conficere. Pariter et a fortiori testes ut plurimum licite interesse.

II. Quid vero si mere civiliter contrahere velint nupturientes, qui *verum* matrimonium vèl 1° *contracturi certo non sunt, etsi,* obtenta saltem dispensatione, *possent;* vèl 2° contrahere *ne possent quidem,* obstante impedimento in quo non dispensatur?

Resp. ad 1m. S. Poen. Instr. cit. respondit: « Officiales dirigendos esse iuxta regulas.... circa cooperatores traditas ». Nim. quum nupturientes in hypothesi valide contrahere possint, modo

(1) Observa lege Neerlandica hanc assistentiam, dummodo abstineatur a caeremoniis religiosis, non prohiberi. Nihilominus etiam apud nos forte erunt, qui timeant ne contrarium iudicatura sint Tribunalia nostra, acsi Parochus, quia active et ad ipsum matrimonium perficiendum concurrit, magis etiam contra legem agat, quam meram caeremoniam exercendo.

velint, cooperatio officialium per se non est nisi materialis. Ad iudicandum tamen de gravitate causae requisitae attendendum in casibus particularibus insuper est ad scandalum quod pro circumstantiis personarum et locorum maius minusve accedere potest. — « Addunt AA. magistratum, in casu impedimentii notorii, teneri ad commonendos nupturientes de nullitate actus quem posituri sint: sed, cum ad inutilem monitionem nemo teneatur, saepe ab ea excusabit obdurata nupturientium malitia ». Génicot n. 508, III.

Ad 2m. Multi in hac hypothesi cooperationem officialis censent formalem, adeoque absolute illicitam. Nec sine ratione, saltem si legislator civilis ponatur attingere velle ipsum matrimonium. Tunc enim assistentia officialis, si minus ex huius ipsius mente, tamen vi sensûs legis continere videtur approbationem actus intrinsece mali. Cui sententiae favent Responsa Romana, pro casu existentis impedimenti ligaminis data; sc. S. Officium bis, 11 Dec. 1850 et 27 Maii 1886 absolute respondit, non licere; et S. Poen. 28 Nov. 1883 respondit: « quaecumque tandem sint casûs circumstantiae, ipse non potest assistere, etiamsi exinde deberet suum officium dimittere ».

Dubitant tamen nonnulli an etiam in hac hypothesi cooperatio sit ex se materialis tantum, sed ad peccatum et scandalum graviora, maxime si supponatur impedimentum ligaminis, quum tunc legitimi matrimonii iura publice tribuantur adulterio: ita ut gravior causa ad excusandum requiratur. Ratio dubitandi est quod intentio legislatoris non necessario pervertit actum officialis, sed hic ab illius perversa mente abstrahere potest, dummodo communiter a civibus intelligatur officiales non intendere malum neque huiusmodi matrimoniis assistere nisi gravi causa coactos: quae conditio quoad nostrates officiales saltem catholicos satis verificatur. Probatur a pari ex liceitate emittendi actum civilem etiam ante verum matrimonium initum; ad quod, ut liceat, pariter abstrahi debet a perversa intentione legislatoris. Neque responsa Romana assistentiam in hypothesi diserte declarant intrinsece malam; ita vero intelligi possunt ut significent cooperationem in casibus et circumstantiis expositis talem esse ut nullâ causâ excusari possit. « Praeterea prima [decisio] agit de *missionariis,* non de *laicis;* altera

data est pro *Gallia mox post introductam legem divortii;* S. Poenitentiaria vero Episcopo *Italiae* respondit, ubi divortium in foro civili nondum viget, et novum matrimonium civile evidenter contractum est *post* matrimonium religiosum legitime celebratum; hinc in Gallia et Italia urgebat ratio *specialis scandali* et *periculi* », Wernz IV, n. 208, qui concludit: « probabilis est doctrina Santi, quem sequuntur Gasparri, Schnitzer, Hollweck, aliique ». Cfr. quoque pro eadem doctrina Card. Gennari (1) et Desmet n. 214.

Concludo advertendo cum Vlaming n. 197: « Qui quaestionem de absoluta illiceitate actus de quo agitur, per haec S. Sedis responsa nondum putet direptam, is tamen numquam, ad hoc rogatus, propria auctoritate consilium suum impertiatur sed omnino adeat Episcopum. Non vero rogatus utiliter plerumque silebit, ne eiusmodi officiales e bona sua fide eripiat ».

CAPUT SEXTUM.

DE IMPEDIMENTIS DIRIMENTIBUS IN SPECIE.

Impedimenta dirimentia apte dividuntur in tres classes, 583.
prout se habent 1° ex parte consensus: error, conditio, metus; vel 2° ex parte personae, ea nempe quae proprie inhabilitatem, absolutam vel relativam, inducunt, ut aetas, impotentia etc.; vel 3° ex parte formae: sola clandestinitas.

Quamquam eorum, quae sub 1°, ea sola proprie sunt impedimenta quae et in quantum iure *canonico* dirimunt matrimonium; et clandestinitas quoque minus poprie dicitur impedimentum; cfr. n. 564.

ARTICULUS I.

ERROR, CONDITIO (2).

Error hic intelligitur is qui est de persona compartis; errori 584.
de officiis seu obligationibus matrimonialibus applicanda sunt dicta de consensu matrimoniali.

(1) *Consultations de Morale* I, Consult. 41.
(2) Sporer. n. 4-12.

I. Irritat matrimonium, idque ipso iure naturae ob defectum consensus, error *substantialis*, sive antecedens sive concomitans, sive vincibilis sive invincibilis: consequenter *solus error* de ipsa persona compartis, quae nim. reapse est alia persona quam ea quacum contrahere quis intendit.

Huc pertinet quoque, adeoque et irritat matrimonium error *de qualitate* sed redundans in errorem de persona. Qui casus, ut adsit duo requiruntur: 1° ut qualitas illa sit ita alicuius personae propria ut illam a qualibet alia persona distinguat; 2° ut contrahens personam quacum contrahere intendat praecise per illam qualitatem cognoscat et apud se determinet.

II. Non irritat per se matrimonium error *accidentalis* seu de qualitate personae aliave circumstantia accidentali, etiamsi hic error sit antecedens vel etiam dolo compartis inductus. Ratio est: quamvis alii contractus onerosi hac ratione saltem rescindi possint, *bonum commune* prorsus exigit ut matrimonii valor per se non dependeat ab ulla quavis re accidentali. Dicitur *per se:* aliud namque est si qualitati consensus errantis est alligatus ut conditioni sine qua non.

III. *Per exceptionem ex iure canonico* matrimonium irritat error de conditione, *si* persona *libera* contrahit cum persona servili stricte tali seu mancipio, eius servitutem *ignorans*.

ARTICULUS II.

METUS (1).

585. **Metus** gravis, iniuste incussus ad extorquendum matrimonium certo hoc dirimit, iure saltem ecclesiastico. Num etiam *iurae naturae, controvertitur*. Multi probabiliter affirmant, praecipue quia secus irreparabilis inferretur iniuria, cum matrimonium, secus ac alii contractus, sit indissolubile. Plures alii probabiliter negant, quia ratio allata non convincit, ut patet ex casibus similibus: cogita matrimonium initum ex errore accidentali dolo vel fraude alterius inducto.

(1) Sporer n. 13-25.

Practica differentia ex hisce opininionibus sequitur pro matrimoniis infidelium. — Dicitur:

I. Metus gravis, *absolute* seu qui cadit in virum constantem; vel *respective*, sc. ad personam. Nec refert utrum quis malum timeat sibi ipsi an intime sibi coniunctis. 586.

Metum levem communiter dicunt non irritare matrimonium. Sunt quidem, etiam graves AA. qui, posito metum levem revera fuisse *causam contractus, ita ut hic sine illo metu initus non esset,* docent vel probabile putant matrimonium esse irritum. Ratio, quia quantum spectat ad ius naturae metus levis in hypothesi idem efficere debet ac metus gravis ob paritatem rationis; in iure autem canonico non negatur metum levem unquam nullum reddere matrimonium, sed ideo de solo metu gravi agitur, quia pro foro externo praesumit metum damni levis non fuisse causam contractus.

Verum opinio ista admittenda non videtur, nisi metus absolute levis supponatur reapse fuisse respective gravis, adeoque casus ponatur extra hypothesim metus levis. Nam ius ecclesiasticum satis certo ob solum gravem metum irritat matrimonium; et pro iure naturae accedit quod ista opinio bono communi non parum nociva foret; quodque in dubio standum est pro valore matrimonii, tum ob reverentiam Sacramenti, tum maxime intuitu boni communis.

Metus reverentialis, quem dicunt, quamvis per se seu natura sua levis tantum, saepe tamen *per accidens gravis* dicendus est, praesertim in puella, puta accedente timore gravis odii vel precibus importunis; cfr, Tom. II, n. 141.

II. Iniuste incussus, consequenter: extrinsecus et a libera causa. Iniustus dicendus est metus secundum alios si minitans non habet ius exequendi id quod minatur; secundum alios si non habet ius exigendi matrimonium per illam comminationem; secundum alios, et probabilius, in utraque illa hypothesi.

III. Ad extorquendum matrimonium: hoc requiritur ex communi sententia. Sunt tamen qui hoc negant, et sufficere dicunt ut metus iniustus fuerit vera causa, non mera occasio, matrimonii: quod probabile praecipue videtur in opinione ex qua matrimonium ob metum est iure naturae irritum.

Si metus non est incussus ad extorquendum matrimonium, neque a comparte aut ab aliquo quocum compars est moraliter coniuncta: puta si metum patiens ad evitandum malum imminens eligat matrimonium cum alio tertio; matrimonium neutro iure videtur irritum, quia tum non est iniuria reparanda (1).

Nota. Impedimentum hoc cessat sine dispensatione, non tamen nisi cessante causa metus.

ARTICULUS III.

RAPTUS (2).

587. **Raptus**, ut impedimentum matrimonii, definitur: violenta abductio mulieris invitae de loco tuto in alium ubi sub raptoris potestate detinetur, matrimonii ineundi causâ. — Dicitur:

I. Violenta. Omnes tamen admittunt *sufficere vim moralem* seu metum iniustum; cfr. IV.

II. Abductio. Censent alii requiri et sufficere abductionem in locum aliquantum distantem seu separatum, v. gr. de domo in domum, de via vel platea in domum; non vero sufficere abductionem ex uno cubiculo in aliud eiusdem domus; nisi domus esset amplissima et plurium familiarum domicilium (3). Alii censent neque sufficere abductionem in locum vicinum. Alii tandem putant sufficere meram detentionem violentam seu abductionem de *statu* tuto in statum etc. — Prima opinio est communior et videtur probabilior, quia conformior significationi verbi raptus.

Nihil refert utrum quis per se an per alium rapiat: quo casu qui rapit pro alio non videtur subiacere impedimento sed tantum aliis poenis; neque refert utrum raptor mulierem per se an per alium, vel penes se an penes alium in sua potestate detineat; S. C. C. 25 Iunii 1864 *Act. Ap. S. S.* T. I, pag. 23.

---

(1) Cfr. Tom. II, n. 140.
(2) Sporer n. 26-31.
(3) Cfr. Wernz n. 280, nota 26; Gasparri n. 627.

III. Mulieris — non viri — qualiscumque. Solum controvertitur de rapiente propriam sponsam quae sine iusta causa renuit contrahere matrimonium.

IV. Invitae. *Certo non oritur* impedimentum, si ipsa mulier nulla ratione decepta vel seducta voluerit abduci, ut libere contrahere cum abducente possit; idque etiamsi fiat invitis parentibus vel aliis sub quorum potestate est illa mulier constituta. — Contra, ex pluribus S. C. decisionibus (1) communiter, contra nonnullos, docent *oriri* impedimentum, etiamsi mulier consentiat sequi virum vel ab eo abduci sed fraude decepta vel dolosis sollicitationibus seducta ita ut ipsa non advertat serio se ad nuptias contrahendas adigi. Dicitur *raptus seductionis.*

V. Ubi sub raptoris potestate detinetur. Durat impedimentum quamdiu mulier manet sub potestate raptoris, etiam si ipsa mulier non advertat sibi libertatem esse ademptam, vel etiam libere consentiat in matrimonium; cfr. II in fine.

Nota. De sponsalibus, num eo tempore inita valerent, controvertitur utrinque probaliter.

VI. Matrimonii ineundi causa. Haec circumstantia ex communi requiritur, contra quosdam.

ARTICULUS IV.

AETAS (2).

588. **Aetas** ex iure canonico requiritur: pro maribus annus 14^{s}, pro feminis annus 12^{s} completus; cum hac tamen exceptione: *nisi malitia suppleat aetatem,* i. e. nisi simul cum discretione iure naturae requisita uterque habeat actualem potentiam ad copulam: qua de re iudicare Episcopi est (3).

---

(1) Vid. *Act. ap. S. S.* T. I; App. III pag. 54 sqq.

(2) Sporer n. 130-133.

(3) *Ex iure civili* nostro requiritur resp. annus 18^{s}, et 16^{s} completus: art. 86.

ARTICULUS V.

IMPOTENTIA (1).

589. I. **Impotentia**, ut est impedimentum dirimens matrimonii, distinguenda est a sterilitate. Utraque dici potest impotentia generandi, diverso tamen sensu: prior reddit copulam vel impossibilem vel ex natura sua necessario infecundam; posterior relinquit copulam possibilem, sed hanc reddit per accidens infecundam.

V. gr.: vir qui verum semen non habet, ut castratus; mulier vagina carens sunt prorsus impotentes; vir senex cuius semen verum quidem sed non prolificum est; mulier quae viri semen recipere quidem sed nihil retinere valet, sunt, ceteris adesse suppositis, steriles tantum.

Prior passim dicitur quoque impotentia coeundi — addito vel subintellecto: copulâ per se apta ad generationem — posterior impotentia generandi.

II. Prior itaque illa impotentia — non posterior seu sola sterilitas — si est antecedens simul et perpetua obstat valori matrimonii ipso iure naturae, quia eâ laborans tradere nequit comparti illud ius quod est primario essentiale matrimonii (2). Dirimit autem matrimonium cum *quacumque* persona si est *absoluta;* cum persona *determinata* solum si et cui est *relativa.*

Perpetua dicitur impotentia quae aut sine miraculo aut sine peccato aut sine mortis vel gravissimi saltem morbi periculo auferri non potest.

Quae diximus de differentia impotentiam inter et sterilitatem, generatim satis certa videri possunt, atque etiam satis clara quibus una ab altera distinguatur. « Generatim » dico, nam in determinatis casibus saepius difficile esse potest diiudicare utra, impotentia vera an sola sterilitas, reapse habeatur: quod tum resolvere medicorum magis quam theologorum est (3).

Nihilominus circa impotentiam ex parte mulieris est punctum valde controversum inter theologos: de qua controversia atatim n. sq.

---

(1) Sporer n. 121-130 et n. 134-139.

(2) Cfr. Tom. I, n. 412, II.

(3) Cfr. n. 591 Nota.

590. Causae impotentiae quae sint, deducendum est ex requisitis ad copulam perfectam: qua de re cfr. Tom. I, n. 410 sq.

Causae praecipuae itaque impotentiae sunt:

I. *Ex parte viri* 1° quia eunuchus seu spado est, carens testiculis vel hos ita contusos habens ut suo munere fungi non possint; 2° quia deest penis; 3° quia semen non in extremo pene sed prope huius radicem effunditur ita ut iniectio in vas feminale fieri nequeat; 4° quia vèl nimis debilis est, vèl contra nimis calidus ita ut totum semper semen effundat extra vas.

II. *Ex parte mulieris* 1° secundum omnes, totalis defectus vaginae vel huius totalis vel partialis in ipso introitu coarctatio vel clausura. Multae tamen coarctationes sine periculo per operationem dilatari possunt, vel etiam ipso copulae tentamine tolluntur. — Non improbabile videtur S. Alphonso, cum aliis, mulierem coniugatam verecundiae causa excusari ab omni operatione permittenda quae fieri non posset nisi per manus chirurgi; id tamen non placet aliis.

Praeterea in opinione plurium, quibuscum sentimus, contra plures alios 2° carentia vel atrophia ovariorum; 3° totalis vel fere totalis defectus uteri, vel huius atrophia; 4° deficiens aditus pervius seminis virilis ad ovulum. Quoad tres postremos casus ex parte feminae indicatos:

Nota 1°: quod antiquiores — qui putabant mulierem nil necessarii ad generationem conferre praeter potentiam recipiendi semen virile — nullum ex parte feminae casum impotentiae admittebant praeter primum ex indicatis, hoc necessarium erat consectarium eorum hac de re opinionis. Ex quo vero certo constat feminam ad generationem active suo modo concurrere tum per ovulum quod subministrat, tum generatim iis elementis, de quibus supra et Tom. I, l. c. diximus, idque aeque necessario ac virum: nulla iam ratio *theoretica* dari videtur aliter *iudicandi*, quoad potentiam vel impotentiam ad matrimonium, de femina quam de viro. Solum ex diversitate physicae constitutionis *practica differentia* sequitur quoad praesumptionem. Etenim tria ista, de quibus hic sermo est, cum sint interna et abscondita, femina semper praesumenda est capax generandi, donec de contrario certo constet.

Adversarii pro sua sententia argumentantur ex analogia inter foeminam ovariis carentem et vetulam quae *senilia* i. e., secundum ipsos, atrophica *ovaria* habet qualia, ut iidem dicunt, post aetatem criticam praesumuntur ex communiter contingentibus. Consequenter in nostra sententia dicunt talium feminarum matrimonium praesumi deberet obiective invalidum (1). — Sed nostrae sententiae fautores negant suppositum, asseruntque sola senectute ovaria etc. non ita exsiccari ut fiant omnino atrophica, vel certo non ita cito, sed summum paulatim. Atque adeo in nostra quoque sententia praesumptio stat pro obiectivo valore matrimonii (2).

Nota 2°. Ex quo S. Off. declaravit 3 Febr. 1887 ob carentiam utriusque ovarii, et 23 Iul. 1890 ob carentiam utriusque ovarii et uteri, matrimonium mulieris non esse impediendum, recentiorum nonnulli concludunt in utraque hypothesi non esse impotentiam quae matrimonium irritet. Sed immerito, ut nobis cum aliis videtur, et pro ratione

Observamus 1°: citata responsa S. Off. sunt solutiones casuum particularium; et neque solutionum motiva neque casuum peculiaria adiuncta ipsum S. Off. manifestavit; ita ut ad casus similes extendi non possint (3).

2°. Bucceroni (4) ait. « Neque vero ullo modo obstant notae responsiones S. Poen. et S. O. matrimonium non esse impediendum in casu excisionis ovarii et uteri. Nam, ut mihimetipsi declaratum est ab ipso Emo Cardinali S. O. Secretario, responsiones illae, ad particulares casus dumtaxat datae, supponebant posse adhuc per se in illis casibus sequi generationem, scilicet quatenus non fuisset perfecta et absoluta uteri et ovariorum excisio et absentia ». — Et nota non ita facile constare, saltem extra casum operationis Porro, quam dicunt, de perfecta excisione; praeterea esse feminas quae habent tertium, quasi supplementare ovarium.

---

(1) Gasparri ed. 3ª I, 583, coll. n. 567.

(2) « Ovaria non exsiccantur; pati tantum possunt processum atrophiae, quo fit ut paulatim degenerationem patiantur et functione propria *per se* destituantur. At quis potest affirmare quousque se extendat in ovariis haec degeneratio? Ovaria numquam cessant irrigari sanguine et nervorum actioni subiici.... Imo dici vere physiologice potest, donec mulier vivit, ovaria *posse* demun revivi-scere.... ob varias causas, quarum nonnullas Doctor Tilt enumerat ». Haec Antonelli II, n. 202. — Contra, Gasparri ed 3ª n. 567 in nota 2 post citatos nonnullos scriptores secundum quos « les ovaires s' atrophient, ainsi que l' utérus », addit. « Et ita porro alii unanimiter ».

(3) Cfr. Tom. I, n. 104, II, 2.

(4) *Theol. Mor.* ed. 4ª, II, n. 994, apud Antonelli II, n. 173.

Simile quid habet Wenz IV, n. 345, nota 34; qui eo putat confirmari explicationem hanc, quod in memoratis responsis applicata fuit, non *theoria* adversariorum, sed *doctrina plane certa*, vi cuius propter impotentiam *dubiam* matrimonium non est impediendum, si aliunde ex testimonio medicorum de illa *perfecta* carentia non *certo* constat.

Ad quae vide responsum Gaspari ed 3ª n. 578 in nota; qui censet S. C. quaestionem theoreticam intactam reliquisse et respondisse matrimonium non esse impediendum aut coniuges non esse inquietandos, ex principio reflexo ob dubium seu iuris seu facti, sed praesertim iuris, admissa probabilitate sententiae in favorem sterilitatis.

3° Pro nostra sententia citantur quaedam S. C. C. declarationes nullitatis matrimonii; praecipue: in *Salernitana* 21 Mart. 1863, in *Verulana* 24 Ian. et 22 Iun. 1871, in *Monasteriensi* 16 Dec. 1899.

Ad quas Gasparri (1), alterius sententiae fautor, annotat: « in omnibus his causis mulier non solum utero carebat, sed insuper vaginam habebat brevem et omnino occlusam; [sc. prope uterum] ideoque... Cum enim vagina sit organum ad instar flaccidi canalis ex utraque parte aperti, in casu veram vaginam defuisse dicendum est »; etc. — Sed 1°: defectus hic, sc. vaginae occlusio in fine eius interiori non impedit virum quominus semen in vaginam effundat. 2° Reapse fautores huius sententiae docent sufficere ut vaginae ostium apertum sit; qui videtur quoque fuisse sensus ipsius Gasparri (2): nunc autem eadem S. C. C. responsa citans docet non valere matrimonium « si mulier vaginam occlusam habet, *licet eius ostium apertum sit* ».

Ceterum cfr. dicta Tom. I, n. 417, IV.

591. III. *Impotentia relativa* ex discrepantia organorum generationis oritur.

IV. *Hermaphroditi* num possint contrahere, et secundum quem sexum, medicorum est pronuntiare.

Nota. Ipsi medici generatim monent impotentiam *perpetuam* et *certam* neque frequenter occurrere, neque facile probari. Cfr. de his omnibus Capellmann, *Medicina pastoralis*.

592. *Ante factum,* qui dubitat de sua potentia, matrimonium inire non potest nisi re diligenter investigata: quod si iudicio medicorum spes probabilis potentiae est, licet, *monita comparte,* sub

(1) *Tract. Can. de Matrim.* ed 3ª, I, n. 605.

(2) Vide quae scripsit ed. 2ª n. 512 et 529 sq.

conditione matrimonium inire. — *Post factum* potest suam potentiam experiri: ad quod in Iure canonico conceditur triennium pro casu frigiditatis; id autem AA. ad alios quoque casus dubios extendunt, idque quamvis causa non sit ad iudicem delata.

593. Confessarius poenitentem coniugatum certo vel probabiliter *impotentem ut plurimum in sua bona fide,* tum quoad valorem matrimonii tum quoad liceitatem copulae tentandae, relinquere debebit.

Si certo constat de impotentia irritante matrimonium, et poenitens non est in bona fide, statim est instituenda separatio a thoro; sed non licet privata auctoritate instituere separationem perpetuam a cohabitatione, minus etiam ad alias nuptias transire.

Si dubia est impotentia, ut plerumque est, coniuges per se obligantur inquirere prudenter veritatem, sed quoad hanc quoque obligationem saepius sunt in bona fide, in eaque plerumque relinquendi. Confessarius vero non poterit inquirere nisi per interrogationes easque valde moderatas: quare ut plurimum res dubia manebit. Tum 1° si coniuges noscuntur ita dispositi ut libenter vellent separari, matrimoniumque nullum declarari, res ad Episcopum est deferenda. Hodie huiusmodi casus dummodo constet matrimonium non esse consummatum, solvi solent per dispensationem in matrimonio rato, idque non praemisso triennio probationis, quod ultimo a S. C. C. praescriptum est anno 1817. 2° Secus, seu in casibus ordinariis, parum in praxi servit illud triennium de quo supra; nam eo elapso plerumque dubium perseverabit. Sed neque opus est: quia enim in dubio standum est pro valore matrimonii, consequenter neque prohibendus est usus matrimonii. Confessarius itaque in hac hypothesi semper prudenter tacebit de limitatione ad triennium; cfr. Tom. I, 417 et 423, II.

ARTICULUS VI.

LIGAMEN. (1).

594. **Ligamen** est vinculum matrimonii iam valide contracti, quo durante non potest aliud matrimonium valide iniri. Est impedimentum iuris divini naturalis et positivi.

(1) Sporer n. 49-52.

595. Ut licite aliud matrimonium iniri vel permitti possit, requiritur moralis certitudo de solutione prioris matrimonii.

Parochus, si certus sit de morte prioris coniugis, novo matrimonio assistere potest sine recursu ad Ordinarium; si quavis ratione dubitet, semper ad Ordinarium recurrere debet. Extra casum quo mors in ipsa Parochia accidit, Parochus vix sufficientem certitudinem habebit, nisi vèl per documentum authenticum — exaratum sc. ex regestis Parochiae vel Xenodochii vel Militiae vel etiam a Gubernio civili loci, in quo, ut supponitur, persona obierit — vèl per testes duos, iuratos, fide dignos, et qui de facto proprio deponant, defunctum cognoverint, ac sint inter se concordes quoad locum et causam obitus aliasque substantiales circumstantias. — Quae probationes si desint, quamvis aliae quoque tamquam sufficientes admittuntur, plerumque tamen Ordinarii, non Parochi, erit iudicare de sufficiente certitudine. Probationes autem mere negativae, ut sola absentia quantumvis diuturna, in Iure canonico, secus ac in iure civili, numquam solae sufficiunt. Cfr. Instr. S. Off. 6 Maii 1868.

ARTICULUS VII.

VOTUM. ORDO (1).

596. **Votum** intelligitur solemne castitatis valide emissum in Religione a S. Sede approbata.

Per exceptionem matrimonium contrahendum dirimit quoque professio votorum *simplicium* emissa *in Societate Iesu.*

Multi pariter excipiunt votum castitatis emissum *ab uxore quae libere consensit ut vir sacros Ordines susciperet:* contra alios, quorum opinio adhuc satis probabilis visa est S. Alph. n. 812; Cfr. Wernz n. 395.

597. **Ordo** intelligitur sacer, qui probabilius immediate non solum vi voti annexi, dirimit matrimonium, idque probabilius in Ecclesia quoque Orientali. De eo qui ex metu gravi suscepisset Ordinem, non conveniunt AA.

(1) Sporer n. 39-48.

598. Utrumque satis certo dirimit matrimonium solo iure ecclesiastico; verum S. Pontificem in utroque impedimento posse dispensare prorsus certum est.

ARTICULUS VIII.

DISPARITAS CULTUS (1).

599. **Disparitas cultus** intelligitur stricte dicta, ea nim. quae intercedit inter baptizatum et non baptizatum. Ut *dirimens*, est impedimentum solius iuris ecclesiastici, consuetudine inducti, vigens tamen ubique, etiam in ecclesiis nuper in regionibus ethnicorum fundatis ubi nondum fuit consuetudini locus. — In quantum est impedimentum *impediens*, et de modo illud, obtenta dispensatione, celebrandi valent dicta de mixta religione.

Singularis quidam *effectus* dispensationis super hoc impedimento est commemorandus, quem S. C. Inq. 3 Mart. 1825 hisce verbis proponit: « Ecclesia dispensando cum parte catholica super disparitate cultus, ut cum infideli contrahat, dispensare intelligitur ab iis etiam impedimentis, a quibus exempta est pars infidelis, ut inde huius exemptio propter contractus individuitatem communicata remaneat et alteri ». — Quod tamen non est intelligendum de iis quoque impedimentis, a quibus Ecclesia *de facto numquam*, dispensat, neque de impedimentis *soli* parti catholicae propriis, v. gr. de voto castitatis. Minus etiam idem applicari potest dispensationi concessae super impedimento *mixtae religionis*. Wernz n. 510 i. f. coll. n. 40, VII.

600. I. In dubio de Baptismo, sive dubitatur de ipsa collatione num facta sit sive de valore Baptismi collati, sive dubio iuris sive facti, sive de alterutrius sive de utriusque Baptismo, sive de matrimonio contrahendo sive de iam contracto agitur, semper servit haec, quae ex pluribus S. Sedis Responsis deducitur, regula: *Baptismus in ordine ad matrimonium validus censetur*.

II. Si mere ignoratur num Baptismus collatus fuerit necne, ex Resp. S. O. 1 Aug. 1883 praesumptione res definienda est, atque Baptismus 1° *non est praesumendus* si pars vel partes acatholicae parentes habuerint ad sectam pertinentes quae Baptismum respuit vel non confert nisi adultis, vel parentes habuerint qui, dum in vivis essent, professi sunt se nolle ad ullam sectam,

(1) Sporer n. 115 sq.

pertinere; 2° *praesumendus est* si parentes pertinuerint ad sectam, quae Baptismum habet necessarium vel in qua saltem ordinarie pueris administratur, iidemque parentes in sua secta zelosi fuerint; item si unus tantum parentum in tali secta zelosus fuerit, isque in educatione primas habuerit partes, neque alter coniux cognoscatur collationi Baptismi fuisse positive contrarius; 3° *recurrendum est ad S. Sedem* in aliis casibus quibus magis dubia sunt praesumptionis fundamenta, expositis omnibus adiunctis.

III. Si postea certo constet non vel non rite esse collatum Baptismum qui valide collatus censebatur vel praesumebatur, ad quaestionem num matrimonium nihilominus valide contractum sit:

1° *Alii negant* secundum regulam ex qua praesumptio cedere debet veritati (1).

2° *Alii affirmant,* quia consuetudo, quae hoc impedimentum induxit, hos casus non respiciebat (2);

3° *Alii solum affirmant* pro casu quo matrimonium est initum vèl 1) cum dispensatione in mixta religione; quia tacite et implicite contenta censetur dispensatio in disparitate cultus; vèl 2) inter duos qui certo catholici reputabantur: ob rationem supra datam (3).

Prima sententia saltem multo probabilior, aliarum vero argumenta non sat fundata videntur. Nam quoad consuetudinem, si verum est quod de ea dicitur, dicendum ex mente Ecclesiae impedimentum, sicut quoad loca (4) ita etiam quoad casus, latius extendi quam vi primaevae consuetudinis urgeret; dispensatio autem, nisi de alia mente Ecclesiae constet, tantum valet quantum sonat (5).

---

(1) Cfr. Wernz IV, n. 507; Schaepman I, n. 133ª.

(2) Cfr. Gasparri ed. 3ª, I, n. 686 sqq.

(3) Cfr. Lehmkuhl II, n. 752.

(4) Cfr. n. pr.

(5) De Becker ed. 2ª pag. 238; qui allegat Resp. S. C. P. F. 11 Maii 1900, ex quo secundum Instructionem S. Officii 5 Iunii 1889, Episcopus matrimonii nullitatem declarare potest, si, matrimonio iam contracto, evidenter constat de existentia impedimenti disparitatis cultus.

ARTICULUS IX.

COGNATIO SPIRITUALIS (1).

Cognatio triplex dirimit matrimonium: *spiritualis, legalis* et *naturalis* seu consanguinitas.

601. I. **Cognationem spiritualem** contrahunt ex Tridentino baptizans vel confirmans et patrini cum baptizato vel confirmato huiusque patre et matre. Est impedimentum solius iuris ecclesiastici. — Non eam contrahunt patrini inter se, neque baptizans vel confirmans cum patrinis.

II. Conditiones requisitae ut reapse contrahatur, sunt: 1° ut minister Sacramenti et susceptores sint ipsi baptizati, utque susceptores confirmandi sint ipsi confirmati; 2° ut susceptores gerant intentionem tale obeundi officium: consequenter ut habeant usum rationis; non vero requiritur sive intentio sive scientia cognationis contrahendae; 3° ut susceptores tangant eum cuius susceptores agunt; 4° ut susceptores *in Baptismo* sint ex numero designatorum, saltem si qua designatio facta est — ad Confirmationem haec conditio non spectat; 5° ut Sacramentum reapse seu valide administretur — ex suppletione caeremoniarum Baptismi non oritur.

602. Ad 2m. 1. Per alium potest quis suscipere munus patrini. Quo casu non procurator sed mandans contrahit cognationem. Requiritur autem ut mandans *antea* munus patrini acceptaverit, utque aliquo modo delegaverit suum procuratorem: quod posterius pariter per alium fieri posse videtur; sufficere v. gr. videtur si sciverit et tacite saltem voluerit a parentibus vel Parocho designatum iri eum qui ipsum repraesentaret; cfr. Vlaming n. 264.

2. Si erret *suscipiens* quoad personam suscepti, 1° certo tamen contrahit cognationem si velit agere patrinum infantis praesentis, cuiusvis est, 2° *secus,* probabilius negatur.

603. Ad 3m, Tactum physicum requiri dicendum est ex pluribus Declarationibus S. C. C. — Sufficere videtur tactus momen-

(1) Sporer n. 86-98.

taneus digiti vel manus. Qui tactus fieri debet vèl dum Sacramentum confertur, vèl immediate post, quod sufficere videtur ex Declar. S. C. C. 20 Dec. 1653 — immediate ante, non ita certo sufficit. — Suscipere infantem de manu alterius quam baptizantis, puta de manu obstetricis vel matrinae, per se non sufficit; probabiliter, non certo, sufficit si hoc continuato actu et destinato consilio fiat.

Ad 4m. 1. *Si unus* saltem pro munere patrini fuerit *desi-* 604.
gnatus, qui non designati tangunt baptizatum certo non contrahunt cognationem.

2. Si plures designati fuerint quam Conc. Trid. permittit, omnes designati probabilius ex quibusdam resolutionibus S. C. C., cognationem contrahunt, *nisi* sciatur qui primi fuerint *designati.*

Alii distinguunt num designati successive an omnes simul baptizatum *tetigerint:* si prius, censent solum contrahere cognationem primus vir et prima mulier qui tangant, non alios; si posterius, Suarez probabile dicit neminem, alii docent omnes contrahere cognationem. Cfr. Feije n. 422.

3. *Si nemo designatus* fuerit et plures tangunt baptizatum, alii omnes alii neminem contrahere cognationem dicunt, prout negant vel affirmant restringens Decretum Trid. hunc casum comprehendere: utrumque probabile.

Nota. Designatio spectat ad parentes, vel ad ipsum baptizandum si est adultus, et his negligentibus ad Parochum. Designatio fit Parocho, vel Sacerdoti illius loco baptizanti, cuius est reiicere eos quos non licet in patrinos assumere; qui iuste a Parocho reiiciuntur non sunt patrini nec contrahunt cognationem, licet reliqua ad susceptorum munus necessaria praestiterint; Feije n. 419 et alii. — Postremo dictum negat Palmieri Tom. IV, Tr. X, S. V, n. 87, ed. 3a n. 774.

Ad 5m. 1. In Baptismo privato non tantum ipsum bapti- 605.
zantem — de quo communiter hoc affirmant — sed etiam *patrinos,* si adhibiti fuerint, contrahere cognationem dicendum videtur; nam ita S. C. C. casum particularem resolvit 17 April. 1603, dubium generale autem 5 Mart. 1678.

2. In Baptismo conditionato 1° si dubium de collatione vel valore prioris Baptismi est *negativum*, ita ut nulla probabili ratione rite administratus credi possit, ex communi sententia contracta censetur cognatio, quia tota psaesumptio stat pro valore praesentis Baptismi, 2° Si dubium *potitivum* habeatur:

1). Alii resolvunt, durante dubio ex neutro Baptismo oriri cognationem vel impedimentum, nisi ad utrumque eaedem personae concurrerint; detecta autem postea certitudine de alterutrius Baptismi valore, ex eo, non ex altero, haberi impedimentum; id tamen non nocere si forte matrimonium iam contractum est: quia impedimentum dubium impedimentum nullum (1).

2). Alii censent statim vèl ex uno vèl ex altero Baptismo oriri impedimentum, prout vèl prior vèl posterior valet (2).

3). Putamus distinguendum esse: priorem opinionem applicari posse si dubium est *iuris;* alteram vero applicari debere si dubium est *facti;* pro ratione vide n. 568, II.

606. Duplex vel multiplex impedimentum cognationis spiritualis oritur 1° *ex Sacramento* duplicato, v. gr. si quis eumdem in utroque Sacramento suscepit (3), vel èt baptizavit et confirmavit; 2° *ex subiecto* multiplicato, in diversis tamen generationibus, puta si quis parentem et prolem — unam an plures, hoc nihil refert — susceperit vèl in Baptismo vèl in Confirmatione; 3° *ex munere* duplicato, uti si quis eumdem èt baptizavit vel confirmavit, èt suscepit (per procuratorem). Possunt etiam plures multiplicationis causae concurrere. Potuit tandem uterque nupturiens causam cognationis cum altera parte ponere (4).

607. Notandum patrinos saepe eligi ex consanguineis et affinibus: quapropter quum viduus vel vidua matrimonium inire vult cum consanguineo vel affini, facile inter eos existere potest etiam cognatio spiritualis.

---

(1) Gasparri ed. 3ª n. 835; Wernz n. 489.
(2) Schaepman n. 172, I°; Vlaming I, n. 261; De Becker ed. 2ª pag. 220.
(3) Quamquam hoc non licet: n. 103, 5°.
(4) Cfr. Schaepman n. 174.

ARTICULUS X.

COGNATIO LEGALIS (1).

608. **Cognatio legalis** est propinquitas personarum ex adoptione proveniens. Adoptio autem est personae extraneae in filium vel nepotem *legitima* assumptio; estque duplex: *perfecta,* speciali nomine adrogatio dicta, qua persona extranea sui iuris ita transit in potestatem et familiam adoptantis ut acquirat omnia iura filii legitimi et fiat haeres necessarius adoptantis; et *imperfecta* qua persona extranea non sui iuris in filium vel nepotem admittitur, non tamen transit in familiam et potestatem adoptantis, cuius propterea neque fit haeres necessarius, licet ei succedat ab intestato. Ita ex iure civili romano.

Adoptio perfecta illa constituit impedimentum dirimens matrimonii *ex iure ecclesiastico,* quod nim. recepit quoad hoc ius romanum; idque 1° in linea recta inter adoptantem et adoptatum huiusque descendentes tempore adoptionis in eius potestate existentes; 2° in linea transversa inter adoptatum et descendentes adoptantis legitimos qui et quamdiu in eius potestate existunt; 3° per modum affinitatis inter adoptantem et uxorem adoptati, item inter adoptatum et uxorem adoptantis. Impedimenta 1^{m} et 3^{m} sunt perpetua, 2^{m} cessat cessante adoptantis patria potestate in filios.

Imperfecta adoptio probabilius non inducit impedimentum.

Ubi iura recentiora adoptionem admittunt, impedimentum oriri dicendum est si in ea essentialia perfectae adoptionis Romanorum servantur; huius autem essentiale hoc unum videtur ut adoptatus transeat in familiam et potestatem adoptantis. Secus probabiliter saltem negatur. — Apud nos adoptio non amplius existit.

ARTICULUS XI.

CONSANGUINITAS (2).

609. **Consanguinitas** seu cognatio naturalis est vinculum sanguinis inter personas quae per carnalem generationem vel una ab

(1) Sporer n. 85.
(2) Id. n. 65-70.

altera vèl coniunctim ab eodem stipite proximo descendunt. — Tria in consanguinitate sunt consideranda:

I. Stipes est illa persona a qua descendunt aliae ut a communi principio proximo. Dicitur « proximo », ne omnes homines dicantur consanguinei. Plerumque stipitem communem constituunt duae personae simul, sc. parentes; quandoque una sola persona si haec nempe ex pluribus personis prolem habet.

II. Linea est series personarum ab uno stipite descendentium.

Linea recta est series personarum quarum una ab altera descendit, sive immediate sive mediate. Haec dicitur *ascendentalis* vel *descendentalis,* seu ascendentium vel descendentium, prout cogitatur ascendendo a genitis ad genitores, vel descendendo a genitoribus ad genitos.

Linea collateralis, obliqua, transversa, est series personarum quae non una ab altera sed omnes a communi stipite proximo descendunt. Haec dicitur *aequalis* vel *inaequalis* prout duo consanguinei eodem vel diverso graduum numero a communi stipite distant.

III. Gradus est mensura distantiae unius personae ab altera in eadem linea.

610. Regulae computandi gradus consanguinitatis *secundum ius ecclesiasticum* sunt:

I. In linea recta tot sunt gradus quot sunt generationes; seu tot quot personae, una dempta sc. stipite.

II. In linea collaterali *aequali* tot sunt gradus quot personae in *una* serie, dempto stipite; seu tot quot generationes in *una* serie.

III. In linea collaterali *inaequali* tot sunt gradus quot personae in *longiori* serie, dempto stipite; seu tot quot generationes in *longiori* serie. Nam *gradus remotior trahit ad se propinquiorem.*

Ius civile neerlandicum in linea collaterali computat generationes *utriusque* seriei.

Nota. Ad consanguinitatem et impedimentum inde oriens nihil refert utrum ii de quibus agitur duas simul personas, genitorem *et* genitricem, an unam solam, genitorem *vel* genitricem habeant communem stipitem; neque utrum legitime an illegitime nati sint.

Quo iure et quo gradu matrimonium dirimit consanguinitas? 611.

Resp. I. Iure naturae *certe* dirimit *in primo gradu lineae rectae* ex omnium fere sententia. Controvertitur de ulterioribus gradibus lineae rectae ac de primo gradu lineae collateralis. In hisce autem casibus dubiis Ecclesia numquam dispensat (1); quoad *infideles* vero matrimonii valor est dubius: quare si post initum inter sic coniunctos matrimonium uterque vel alteruter ad fidem convertitur, privata auctoritate non sunt separandi, sed pro solutione dubii adeunda S. Sedes.

II. Iure ecclesiastico *in linea recta in quovis gradu* dirimit, ut constat ex Resp. Nicolai I. ad Bulgaros; *in linea collaterali* usque ad gradum quartum inclusive: quodsi nupturientium unus intra quartum alter ultra quartum, puta quinto gradu a communi stipite distat, non existit impedimentum; cfr. n. pr. III.

Invenitur gradus consanguinitatis conficiendo schema genealogiae. *Si cognitus est stipes* communis, scribas huius nomen in charta, et infra eum hinc inde nomina descendentium usque dum pervenias ad sponsos. — *Si ignotus est stipes,* primo scribas nomina sponsorum, dein supra utrumque nomina ascendentium donec pervenias ad stipitem communem. Pono schema usque ad quartum gradum utriusque lineae; quod proin continet schemata cuiusvis gradus pro matrimonio prohibiti: 612.



Henricus et Rosa consanguinei sunt in quarto gradu lineae collateralis aequalis; Henricus et Bertha in quarto gradu lineae collateralis inaequalis: id autem exprimitur hoc modo: consanguinei sunt *in quarto gradu mixto cum tertio,* vel: *in quarto gradu tangente tertium,* vel: *in tertio et quarto gradu* potius quam: in quarto et tertio gradu; cfr. n. 710, Nota.

(1) Cfr. nota ad n. 568, I et n. 681, II.

Nota 1° ex Statutis Dioecesanis Neerlandiae: quoties *ab Episcopo pro foro externo* dispensatio petitur super consanguinitate aut affinitate, *addi debet* accuratum atque bene distinctum *schema* genealogiae; in quo *stipes eiusque compars, et in singulis generationibus tum maritus tum uxor, omnesque personae* arbori inscriptae *nomine et cognominibus* describendae sunt.

2° Si aliunde non habeatur notitia sufficiens, unde detegi gradus consanguinitatis possit, inspiciantur libri baptismorum et matrimoniorum.

613. **Duplex vel multiplex consanguinitas** habetur, si vel uterque sponsus ad duplicem stipitem communem ascendit, vel uterque aut alteruter duplici vel multiplici via ascendit sive ad unum sive ad duplicem stipitem communem.

614. Prima causa multiplicitatis est, quod prolem quis habet ex persona sibi consanguinea: et haec sola causa est quoties ex *uno* stipite multiplicitas oritur.



Uterque bis distat in tertio gradu a communi stipite, semel per lineam paternam et semel per lineam maternam.



Petrus ad communem stipitem ascendit semel in gradu secundo. Catharina vero semel in linea paterna in gradu tertio; per matrem autem semel in quarto et semel in tertio.

II. *Duplex stipes.*



Per patrem suum Cornelia est cum Iosepho consanguinea in secundo gradu aequali lineae collateralis ex stipite Petro; per matrem vero in tertio gradu aequali lineae collateralis ex stipite Ioanne.

In schemate dato n. 612 pone Mattheum et Annam matri- 615.
monio iunctos et procreasse Gerardum et Bertham; habes casum olim controversum sed resolutum a S. Off. 11 Mrt. 1896, ex quo in hypothesi Henricus et Rosa dicendi sunt consanguinei tum in secundo gradu aequali ex stipite Mattheo-Anna tum in duplici quarto gradu aequali ex stipite Ioanne. Quocirca

Regula haec servit: *non attenditur* ulterior stipes, etsi intra quartum gradum, *si per unam eamdemque* personam ad eum ascendatur; *attenditur si per plures, licet easdem,* personas ascendatur.

En casus in quo quaeri non debet duplex consanguinitas ex duplici stipite communi: obstantibus hinc regula mox data, illinc vero regula: gradus remotior — in casu quintus: nam aliud foret si esset quartus — trahit ad se propinquiorem.



616. Secunda causa multiplicitatis est, quod personae inter se consanguineae prolem procrearunt ex personis inter se consanguineis.



Mattheus et Sophia consanguinei sunt in duplici gradu aequali lineae collateralis ex duplici stipite communi.

617. Tertia causa multiplicitatis est, quod prolem quis habet ex pluribus personis inter se consanguineis.



618. Plures causae multiplicitatis concurrere etiam possunt; v. gr. 1ª et 2ª:



Concurrunt 1ª et 3ª:



Omnes tres causae concurrunt:



Concurrere non possunt secunda et tertia causa sine prima.

Modus certo detegendi omnem consanguinitatem 619.
quae inter sponsos existere potest, est, ut conficiatur utriusque sponsi genealogia per omnes ascendentes, tam patres quam matres ad quartum gradum inclusive; dein applicentur hae regulae:

1ª Personae quarum nomen in utraque genealogia occurrit, sunt singulae stipes communis sponsorum, consequenter singulae causa unius saltem consanguinitatis; observato tamen patrem et matrem communes unum facere stipitem.

2ª Quoties eiusdem personae nomen in eadem genealogia recurrit, toties multiplicatur consanguinitas, quia totidem viis ad illum stipitem ascenditur, observata tamen regula supra data n. 615.

ARTICULUS XII.

AFFINITAS (1).

I. **Affinitas** est propinquitas quae ex copula carnali perfecta 620.
oritur inter alterum et consanguineos alterius; seu inter virum et consanguineos mulieris quam cognovit et vice versa; Cfr. Tom. I, n. 412, III. Est impedimentum, saltem generatim, *solius iuris ecclesiastici,* probabilius etiam in primo gradu lineae rectae ex copula licita.

II. Affinitas *ex copula matrimoniali* dirimit matrimonium *ad quartum* gradum utriusque lineae inclusive; ex copula *fornicaria* solum ad secundum gradum utriusque lineae inclusive. Ita proba-

(1) Sporer n. 71-82.

bilius et communius docent, contra alios qui censent in linea recta affinitatem ex copula etiam fornicaria dirimere in quovis gradu; item restrictionem a Conc. Trid. factam affinitatis ex copula fornicaria ad secundum gradum respicere solum lineam collateralem.

III. De affinitate *ex consummato matrimonio invalido* controvertitur: alii semper extendi ad quartum gradum, alii semper restringi docent ad secundum gradum, alii illud prius si coniugum saltem alteruter fuit in bona fide, vel si adest species seu figura veri matrimonii in foro externo, secus hoc posterius sentiunt; primae et magis tertiae opinioni favet Resp. S. C. C. 3 Dec. 1667. Prima tamen opinio videtur probabilior; secunda vero parum probabilis.

Practice ut plurimum aderit saltem impedimentum publicae honestatis; secus casu ultra secundum gradum occurrente impedimentum habeatur ut dubium vel consulatur S. Sedes.

IV. Si matrimonium fuit invalidum *ob non servatam formam,* item controvertitur; probabiliter non oritur impedimentum nisi ad secundum (1).

621. Regula I. Affinitas non parit affinitatem; sed solum est inter *copulatum* et *consanguineos compartis* copulae; unde et illud: affinitas non egreditur copulatos. Hinc,

1° Consanguinei viri et consanguinei mulieris non sunt affines inter se.

2° Affinitas esse nequit inter duas personas quarum neutra umquam copulam habuit cum persona alteri consanguinea.

3° Affinitas non contrahitur cum reciprocae partis affinibus.

Resolves: duo fratres ducere possunt duas sorores, vel unus matrem alter filiam; item pater et filius, matrem unus, alter filiam; filius ex priori patris matrimonio matrem vel sororem, vel etiam filiam ex priori matrimonio suae novercae; vitricus uxorem privigni; fratris et sororis coniuges superstites possunt inter se matrimonium inire; potest quis successive ducere duorum fratrum viduas. — Contra, qui copulam habuit cum duabus sororibus vel consobrinis, vel cum matre huiusque filia, nullam harum ducere potest; sponsus qui fornicatus est cum sponsae suae consanguinea in primo vel secundo gradu non potest sponsam suam ducere.

---

(1) Cfr. Wernz IV, n. 433.

Regula II. Qua linea et quo gradu consanguinitatis quis iunctus est viro, eadem linea et eodem gradu affinitatis iunctus est mulieri; et vice versa. 622.

Quum ergo determinari debet affinitas inter nupturientes, conficiatur arbor consanguinitatis indicans lineam et gradum consanguinitatis inter sponsam et huius consanguineam quam sponsus cognovit, vel inter sponsum et huius consanguineum quocum sponsa copulam habuit.

Fieri potest ut sponsi sint consanguinei simul et affines. V. gr. 623.



Sponsi sunt consanguinei in tertio gradu mixto cum secundo lineae collateralis; affines vero in secundo gradu tangente primum lineae collateralis, quia eo gradu et linea consanguineae fuerunt Bertha et Titia.

Duplex vel multiplex affinitas et exinde impedimentum oritur 1° ex copula habita cum pluribus personis comparti consanguineis; 2° ex copula habita cum persona dupliciter vel multipliciter comparti consanguinea; 3° ex copula ab utroque habita cum persona alteri parti consanguinea. Multiplicari praeterea potest eo quod diversae ex causis indicatis concurrunt. Dici potest oriri 4° ex eo quod cum eadem persona comparti consanguinea habita est copula tum illicita tum licita; sed haec multiplicati vinculi causa non est necessario in supplica dispensationis exprimenda. — Non vero oritur ex iteratione copulae vel licitae vel illicitae cum eadem persona. 624.

ARTICULUS XIII.

PUBLICA HONESTAS (1).

Publica honestas est propinquitas personarum orta ex sponsalibus vel ex matrimonio rato. Solo *iure ecclesiastico* consti- 625.

(1) Sporer n. 54-63.

tuit impedimentum. Contrahitur autem ab utroque sponso vel coniuge cum consanguineis, sive legitimis sive illegitimis alterius partis; non cum affinibus. Manet impedimentum etiam solutis sponsalibus vel matrimonio. Multiplicari impedimentum dicendum videtur ut de affinitate dictum est n. pr. 1° – 3°; quamquam AA. communiter solum primam ex indicatis causis commemorant.

626. I. Ex sponsalibus ortum impedimentum restringitur *ad primum gradum* utriusque lineae.

II. Requiritur autem ut *sponsalia* non tantum sint certa sed etiam *valida et absoluta;* vel, si sub conditione suspensiva inita fuerint, ut conditio sit impleta vel revocata. — *Quid* itaque si *ante* conditionem suspensivam impletam oriatur inter sponsos impedimentum matrimonii; v. gr. quia sponsus copulam habuit cum sorore sponsae; si dein ille *post* impletam conditionem cum dicta sponsae sorore contrahat matrimonium; estne hoc validum, an vero obstat impedimentum honestatis? Saltem probabiliter videtur validum, propter vim impedimenti affinitatis in valorem sponsalium; cfr. n. 505.

Nota. In opinione quae tenet conditiones sponsalibus adiectas pro foro externo accipiendas esse sicut in matrimonio, fieri potest ut sponsalia in eo foro censeantur absoluta et consequenter sufficientia ad inducendum impedimentum, quamvis hoc pro foro interno non existat.

627. I. Ex matrimonio rato ortum impedimentum extenditur *ad quartum gradum* inclusive utriusque lineae.

II. Etiam ex matrimonio invalido oritur, *dummodo* tamen non sit invalidum ex defectu consensus.

628. I. Non oritur itaque 1° certo, si defuerit consensus iure naturae requisitus, quavis ratione; cfr. Cap. III et IV; 2° *ex communi,* si ob metum, et *probabiliter* generatim si ob vitium consensus solo etiam iure ecclesiastico invalidum est matrimonium, puta ob errorem quoad conditionem servilem, ob raptum.

Nota. Ob aetatem si solo iure ecclesiastico matrimonium est invalidum, dummodo in eo servata fuerit forma ecclesiastica ad valorem requisita, impedimentum oritur sicut ex sponsalibus, *nisi* haec a contrahentibus fuerint positive exclusa,

II. Neque oritur 1° *certo* ex matrimonio *civili* invalido ob non servatam formam: ita ex Decr. Leonis XIII 7 Apr. 1879 pro locis ubi Decretum « *Tametsi* » est promulgatum; idem consequenter hodie resolvendum de omni matrimonio *civili* invalido vi Decreti « *Ne temere* »; 2° *probabiliter* generatim ex matrimonio invalido *ob clandestinitatem;* qui casus semper fuit controversus, hodie vero non immerito plures censent AA. opinioni neganti multum roboris accessisse ex cit. Decr. Leonis XIII: id enim quod declaratum est de frequentiore matrimonii clandestini specie, cum ratione ad alias quoque species ex mente S. Sedis extenditur.

III. Neque oritur unquam hoc impedimentum *in praeiudicium prioris sponsi vel sponsae, si* stantibus in suo vigore prioribus sponsalibus matrimonium cum alia persona comparti sponsalium consanguinea est contractum; ex cap. un. de sponsalibus in 6°. Et immerito, opinor, hanc iuris exceptionem multi restringunt ad casum matrimonii invalidi ob ipsum impedimentum honestatis ortum ex istis sponsalibus. Imo probabiliter neque distinguendum puto inter matrimonium validum et invalidum. Textus namque Iuris sic habet: « Ex sponsalibus... *etiamsi* consanguinitatis, affinitatis... aut alia *quavis ratione* sint nulla... oritur efficax... non autem ad praecedentia dissolvendum impedimentum ».

Nota pro praxi. Si matrimoniuum fuit etiam consumma- 629.
tum, quamvis ex communi, contra paucos, maneat impedimentum honestatis, in supplica tamen dispensationis sufficit ut exprimatur affinitas; cfr. n. 715, 2.

ARTICULUS XIV.

CRIMEN (1).

Ex duobus criminibus, adulterii et coniugicidii, in tribus, vel 630
quatuor (2), casibus sub certis conditionibus oritur hoc impedimentum *iure ecclesiastico*, ita consulere fidei coniugali et vitae

(1) Spores n. 99-114.

(2) Ex coniugicidio hi casus dicuntur: *neutro patrante* (Casus I et II), *utroque patrante* (Casus III), *alterutro patrante* (Casus IV).

coniugum reosque punire atque publicum moralitatis ordinem tueri intendente. Qui finis attendendus ad iudicandum de conditionibus iure requisitis, etsi non ita clare expressis.

Casus I et II.

Solum adulterium cum matrimonii promissione vel attentatione.

631. I. **Adulterium** verum sit oportet, sc. alteruter saltem complex vero seu valido matrimonio iunctus sit.

II. Formale ex utraque parte, idque ita ut ab utroque complice *uni eidemque matrimonio* iniuria fiat, i. e. uterque complex scire debet saltem alterutrius, sed unum idemque, matrimonium. Quare si uterque est coniugatus, non quidem requiritur ut utrique utriusque matrimonium sit notum, sed neque sufficit ut uterque solum sciat se esse coniugatum.

III. Consummatum seu aptum per se ad generationem; cfr. Tom. I, n. 412, III.

632. I. **Promissio** matrimonii externa sit et acceptata; probabiliter non sufficit alterius partis silentium.

II. Vera; non sufficit desiderii vel propositi manifestatio; et seria, non ficta, ex sententia communiori; atque probabiliter, etsi contra communiorem, etiam mutua.

III. Absoluta, vel huic aequivalens, puta ut conditio sit vera, vel si suspensiva sit, ex sententia communiori et probabiliori requiritur ut ante obitum coniugis sit impleta.

IV. De matrimonio post mortem coniugis ineundo; secus enim non daretur ansa captandae mortis coniugis, quae est ratio impedimenti. In foro autem externo talis censetur fuisse intentio promittentium, nisi contrarium probetur.

V. Probabiliter requiritur ut vèl uterque promittens sciat alterutrius matrimonium, vèl ut post acceptam hanc notitiam promissio sit expresse vel saltem satis certo confirmata, puta ut vi promissionis factae adulterium sit commissum.

633. **Attentatio** matrimonii non refert quo modo fiat, num publice an clandestine vel etiam, ex sententia communi, mere civiliter; num inter personas, abstrahendo ab impedimento ligaminis, habiles an inhabiles: modo *serio* agatur, semper sufficit.

Proinde hoc impedimentum incurrunt omnes illi, qui post validum matrimonium obtinent divortium civile et deinde aliud civile matrimonium contrahunt et consummant.

Coniunctio praeterea inter adulterium et promissionem vel attentationem matrimonii requiritur haec, ut *simul extiterint* vivente coniuge, imo ex communiori, *vivente eodem coniuge.* Hinc non oritur impedimentum, si promissio vel attentatio praecesserit adulterium, sed ante illud fuerit revocata; neque si stante uno matrimonio adulterium sit commissum et temporo secundi matrimonii promissio fiat complici illius adulterii. 634.

Nihil autem refert utrum adulterium antecedat promissionem vel attentationem an vice versa; neque utrum eodem circiter tempore accidant an unum elapso intervallo etiam longo post alterum.

Promissionis vel attentationis revocationem patrato iam adulterio factam nihil efficere, patet.

Casus III.

Solum coniugicidium.

Requiritur I. mutua viri et mulieris machinatio in mortem cuiusvis coniugis, physica vel moralis. Sufficit quaevis moralis machinatio, modo efficaciter in mortem influxerit, puta efficax consilium vel consensus; contra, non sufficit ratihabitio vel approbatio iam factae caedis. 635.

II. Mors vere secuta ex machinatione ista, non ex alia causa, v. gr. ex medicorum incuria vel imperitia, vel ex negligentia ipsius vulnerati.

III. Conspiratio ex intentione matrimonii cum complice ineundi. Necesse non videtur ut haec intentio ab utroque complice habeatur: quia hoc neque litterâ neque fine legis requiritur. At requiri et sufficere videtur ut intentio unius sit alteri manifestata — puta per munera, familiaritates etc. — nec ab eo reiecta.

Casus IV.

Adulterium cum coniugicidio.

Requiritur I. adulterium ut n. 631 expositum est. 636.

II. Coniugicidium *ab alterutro* adulterii complice patratum seu machinatum, ut n. pr., etsi inscio vel invito altero, et mors vere secuta *ex illa machinatione,* ut ibid.

III. Machinatio ex intentione matrimonii cum adulterii complice ineundi. Probabiliter nonnulli requirunt ut intentio ineundi matrimonium cum complice adulterii sit aliquo modo manifestata.

IV. Coniunctio haec ut utrumque fiat stante eodem matrimonio. Non improbabiliter aliqui requirunt ut *adulterium praecedat occisionem,* i. e. machinationem physicam.

637. **Duplex vel multiplex** impedimentum oritur 1° si una ex supradictis hypothesibus verificatur quoad diversa matrimonia; 2° si plures ex dictis hypothesibus verificantur quoad unum vel 3° quoad diversa matrimonia; 4° si cum adulterio concurrit tum promissio tum attentatio; 5° si, adulterio ad impedimentum constituendum concurrente, uterque coniugatus est et alter alterius matrimonii tempore adulterii conscius. — Sunt qui in casibus 4° et 5° putant solum accedere circumstantiam necessario exprimendam. At, dummodo omnes casûs circumstantiae exponantur, semper sufficit.

638. **Ignorantes** etiam impedimentum hoc *contrahere affirmant* communiter, praesertim antiquiores; quia principaliter est inhabilitas statuta propter publicam indecentiam tali matrimonio propriam (1). *Probabiliter negant* non ita pauci, iique graves AA., maxime inter recentiores: quia ipsa inhabilitas statuta est in poenam, secundum omnes. Atqui ignorantia excusat a poena vindicativa extraordinaria. Quodsi prioris sententiae patroni reponunt, rationem poenae esse secundariam tantum: imprimis haec assertio, maxime si ratio habeatur historiae impedimenti criminis, minus fundata videtur; praeterea videant ipsi quo iure « haud improbabilem » dicant sententiam quae tenet ignorantiam excusare ab irregularitate ex delicto, quae secundum eosdem « nequaquam primo et per se statuitur ut poena delicti, sed tamquam inhabilitas mere prohibens ob reverentiam sacri ministerii », et solum secundaria et accessoria ratione simul est poena vindicativa » (2).

---

(1) Cfr. Wernz IV, n. 522, Schmalzgr. l. IV, tit. 7, n. 58 sq.

(2) Cfr. Wernz II, n. 96 cum nota 6, 101 cum nota 48; Schmalzgr. l. V, tit. 37, n. 104 sqq.

Casu itaque occurrente impedimentum ut dubium haberi potest, praecipue post factum; ante, si nihil obstet, consultius petitur dispensatio. Ceterum ad posteriorem sententiam

Nota 1°. Ignorantia, ut excuset, in *utraque* parte requiritur (1), excepto casu quarto in quo impedimentum directe afficit partem adulteram-coniugicidam, adeoque huius solius ignorantia consideranda est (2).

2°. Sententia haec in casibus *occultis* tantum inservire potest: quia in foro externo scientia iuris praesumitur, donec oppositum probetur (3).

De infidelibus. I. *Si uterque* adulter vel machinans mortem coniugis *est infidelis,* numquam oritur impedimentum, licet postea convertantur. **639.**

II. *Si unus* complex est *fidelis, alter infidelis,* et 1° fidelis ea posuit quae impedimentum inducunt, hoc existit; secus vero si infidelis ea posuit; 2° oritur impedimentum ex mutua machinatione.

III. Si unum ex iis quae ad impedimentum requiruntur, contigit in infidelitate, alterum vero post Baptismum, impedimentum non oritur, excepto, si promissio vel attentatio matrimonii contigit in infidelitate, sed in ea post Baptismum perseverantes adulterantur.

In praxi adverte huius impedimenti contracti suspicionem prudentem ingerere posse i. a. illos qui durante priori matrimonio adulteria commiserunt, praesertim si pluries cum eodem complice; qui brevi post mortem coniugis cum famula vel famulo, aliave eiusdem domus vel familiae persona contrahere cupiunt; etc. Interrogari tales possunt qua de causa tam cito velint contrahere, an satis deliberaverint, an de eo iam cogitaverint vel locuti fuerint ante coniugis mortem, an fides data, familiaritas habita. etc. an forte mors coniugis desiderata etc. Opportunam interrogandi occasionem quandoque praebent rumores de impedimento eiusve causa posita sparsi. Theol. Mechl. N. 84. **640.**

(1) Cfr. n. 566. II, 3, 1°.
(2) Cfr. Gasparri ed. 3ª n. 748.
(3) Cfr. Haine IV, qu. 117.

ARTICULUS XV.

CLANDESTINITAS; UBI DE DECRETO: NE TEMERE.

§ I. — *Promulgatio et vis decreti.*

641. **Textus**: epilogus Decreti: « Praesens decretum legitime publicatum et promulgatum habeatur per eius transmissionem ad locorum Ordinarios: et quae in eo disposita sunt ubique vim legis habere incipiant a die solemni Paschae Resurrectionis D. N. I. C. proximi anni 1908 ».

642. **Explicatio.** I. Lex itaque haec astringit omnes quos legislator obligare intendit (1), idque ubivis terrarum. Quare opus non est quaerere num haec lex sit localis an personalis; sed potius quoad exemptos vel exceptos quaeri poterit, num exemptio vel exceptio sit personalis an localis: qua de re suis locis.

II. Notetur tempus a quo viget hoc Decretum, et quousque consequenter viguit Decretum Conc. Trid. « *Tametsi* »; nim. 19 Aprilis 1908 (2). Nam saepesaepius, primis maxime secuturis annis, ad illam diem attendendum erit ad diiudicanda sponsalia et matrimonia vigente anteriore legislatione contracta.

III. Verba Decreti citata exhibent promulgationem huius legis proprie dictam. Ea quae sequuntur, agunt de divulgatione; adeoque ad legis vim obligandi non requiruntur; sed praecepti instar addita sunt: « Interim vero omnes locorum Ordinarii curent hoc decretum quamprimum in vulgus edi, et in singulis suarum dioecesum parochialibus ecclesiis explicari, ut ab omnibus rite cognoscatur ».

643. **Differentia anterioris legislationis** (3). I. Ut Decretum « Tametsi », quo clandestinitas statuebatur impedimentum dirimens, vim suam exereret, atque in nonnullis locis (4) etiamnum exerat requiritur:

(1) Cfr. n. 672.

(2) Pro regionibus Sinensibus: 11 Aprilis 1909; ex concessione 29 Febr. 1908.

(3) Sub hoc titulo hic et ad alios novae legis articulos ea maxime notabimus, quae ad valorem matrimoniorum antea initorum pertinent: alia ut plurimum omissuri.

(4) Ubi nim. non viget Decretum *Ne temere*; cfr. n. 674 et 676.

1. Ut fuerit saltem semel, quod sufficit, publicatum; idque 1° *de mandato Ordinarii;* non sufficit publicatio facta a Parocho sine Episcopi mandato; 2° *tamquam Decretum Concilii* Trid., ita ut non sufficiat publicatio Decreti alicuius Synodi particularis, quamvis omnino conforme foret Decreto Trid.; S. C. C. 2 Dec. 1628; 3° *translatum* in lingua quam populus intelligit; S. C. C. 30 Mart. 1669.

Nota. *Si dubia* est publicatio Decreti, ex praxi S. Sedis *praesumitur* facta *si* in Parochia iam diu fuerit Decretum observatum tamquam Decretum Conc. generalis vel Rom. Pontificis. Quodsi vero certo constet de publicatione non facta, num sola haec observantia sufficiat, controvertitur.

2. Pro singulis Parochiis requiritur ut in ipsa Parochia fuerit publicatum, utque triginta dies a die primae publicationis effluxerint. — Invaluit autem praxis Decretum publicandi etiam in quasi-parochiis et in missionibus: idque sufficere respondit S. Off. 13 Nov. 1883, quoad missiones et quasi-parochias Americae.

Nota 1°. Quum Parochia in qua publicatio locum habuit, dein dividitur in duas, in nova Parochia opus non est nova publicatione.

2°. Ex praxi S. Sedis quum Parochiae in qua obligat Decretum, adiungitur locus in quo nondum obligabat, hic liber est a Decreto nisi nova promulgatio fiat, idque de mandato Ordinarii. Et quum Parochiae in qua non obligat, adiungitur locus in quo obligabat, hic remanet Decreto ligatus.

II. Generatim Decretum « Tametsi » non fuit promulgatum adeoque non viguit in regionibus infidelium et iis quae ante annum 1564 a fide catholica iam defecerant, uti Anglia, Scotia, Dania, Norvegia, Suecia, primitivae Borussiae provinciae, pleraeque provinciae Helvetiae, et pleraeque provinciae Statuum Unitorum Americae Septentrionalis.

III. **In Neerlandia** 1. quoad catholicos inter se contrahere volentes constat Decretum Trid. ultimis temporibus saltem ratione publicationis praesumptae, *ubique viguisse.*

2. Quoad haereticos dubium quod diu exstiterat, sustulit Benedictus XIV Const. *Matrimonia* 4 Nov. 1741, declarando *matrimonia clandestina* ineunda vel inita in locis, pro quibus suam edidit Declarationem, inter haereticos vel inter partes haereticam unam catholicam alteram esse valida(1).

(1) In nova legislatione acatholici — in sensu Decreti *Ne temere* — inter se contrahentes diserte declarantur non ligari: quocirca res eodem redit ac sub Declaratione Benedictina. Sed matrimonia mixta iterum cadunt sub iure novissimo; cfr. n. 672 sqq.

Comprehenduntur Declaratione Benedictina loca quae tempore Declarationis editae erant sub dominio Foederatorum Ordinum, et ea ad quae postea fuit extensa; itaque.

1° Archidioecesis Ultraiectensis universa, excepto forte *Wehl* prope Doetinchem.

2° Dioecesis Harlemensis tota.

3°. Dioecesis Buscoducensis; *exceptis:* Boekel, Deemen, Dennenburg, Deursen, Herpen, Huisseling, Overlangel, Ravenstein, Reek, Schayk, Uden, Velp, Volkel, Zeeland, Haren, Macharen, Megen, Teeffelen, Bokhoven, Gemert, Handel, Luiksgestel, Boxmeer cum pago S. Antonii, et forte etiam Oeffelt.

4° Dioecesis Bredana integra.

5° *In* Dioecesi *Ruremundensi,* auctoritate scriptorum nixi diceremus comprehendi solam urbem Traiectum ad Mosam cum suburbio S. Petri; reliqua vero ibi loca privilegium Declarationis videri vèl numquam habuisse vèl ex incognita aliqua causa amisisse. At ipse Episc. Rurem. paulo post editum Decretum *Ne temere* in litteris ad Sm. Pontificem datis i. a. exposuit in 40 fere locis suae Dioecesis eousque viguisse Declarationem Benedictinam. Praeterea ex § 4 Declarationis valida etiam fuisse videntur matrimonia haereticorum et mixta contracta inter personas, *quarum utraque pertinebat ad militares copias,* quae in Limburgia erant in praesidiis. Cfr. Vlaming n. 495, 4°; V. d. Burgt n. 277 sq.; Feije n. 321.

3. Ex Resp. S. Off. 6 Apr. 1859 ad Episc. Harlem. sub nomine haeretici comprehendebantur ad effectum matrimonii 1° illi qui catholice baptizati a pueritia nondum septennali in haeresi educati erant ac haeresim professi; 2° qui non tam in haeresi quam ab haereticis educati erant, nulla sc. aut vix ulla haereticae doctrinae instructione accepta, et culto non frequentato, licet aliquoties participato; 3° qui adhuc pueri in manus haereticorum incidentes haereticae sectae adiuncti erant; 4° Apostatae ab Ecclesia catholica ad haereticam sectam transeuntes; 5° qui nati et baptizati ab haereticis adoleverant quin ullam solemnem haereseos professionem emisissent, ac veluti nullius religionis etc. Cfr. n. 675, II.

4. Iansenistae nostrates, ex quo quoad plura haeretice sentiunt, eo ipso videri possunt Declaratione comprehendi. Haec tamen ratio non convincit; cfr. dicendum sub IV. Attamen ex Rescr. S. C. P. F. 1 Iun. 1809 eorum matrimonia inter se vel cum catholica parte bona fide clandestine contracta erant dissimulanda seu *pro validis habenda* et Iansenistae conversi causa matrimonii bona fide contracti non inquietandi; tunc tantum, quando in casu particulari specialia dubia occurrebant, ad S. Sedem recurrendum erat. Cfr. dicta sub 2.

IV. Ratio Declarationis Benedictinae haec *videtur* — eam namque ipsa non indicat — quod iam tempore promulgati

Decreti Trid. haeretici apud nos separatam societatem cum propriis coetibus constituebant, adeoque promulgatio facta eorum coetus non afficiebat. Hinc, cum sit Declaratio, non dispensatio, merito videri poterat applicanda etiam aliis regionibus pro quibus eadem exstabat ratio. Attamen huius *applicationis iudicium reservatum* erat S. Sedi. Nihilominus matrimonia clandestina ibi contracta inter haereticos vel cum parte catholica, propter probabilitatem saltem aliquam valoris, neque privata auctoritate tamquam certo nulla habenda erant.

V. 1. Lex Tridentina certo localis erat, et qua talis ligabat omnes qui contrahebant in loco ubi lex vigebat, etiam ibi non domiciliatos vel domiciliatos in loco ubi lex non vigebat. Ratio quia lex ex intentione Ecclesiae erat universalis; praeterea quoad contractus locus regit actum.

2. Erat etiam *saltem ex parte* personalis, sc. ita ut domiciliatos in loco ubi vigebat, ligaret etiam in loco ubi non vigebat, *si cum fraude* eo perrexerant, i. e. unico vel principali fine ibi clandestine contrahendi. Hoc sensu intelligi potest id quod dicitur in Instr. S. Off. 14 Dec. 1859: « legem Tridentinam adaequate loquendo localem et personalem esse ».

3. Num simpliciter personalis esset dicenda, controvertitur, utrimque probabiliter.

Dubie validum itaque *per se* foret matrimonium quod v. gr. duo catholici nostrates *peregre* existentes in Anglia ibidem clandestine *inter se* contraxissent; *certo nullum* vero tantum *si cum fraude* eo perrexissent.

VI. 1. In loco exempto *certo valide* contrahebant clandestine quicumque ibi habebant saltem quasi-domicilium; nec refert utrum, necne, in loco non exempto domicilium haberent et retinerent; item non refert utrum, necne, domicilium vel quasi-domicilium in loco exempto acquivissent animo ibi clandestine contrahendi; neque obstabat animus postea, puta post sex menses habitationis, redeundi ad locum domicilii.

2. Exemptio *alterutrius tantum* partis communicabatur *alteri* parti: ita statuente iure positivo ob individuitatem contractus. Ideo in locis comprehensis Declaratione Benedictina mixta matrimonia clandestina aequiparabantur contractis inter haereticos. Item

v. gr. nostrates etiamsi catholici clandestine contrahebant valide in Anglia cum ibi domiciliatis; haeretici in loco domicilii proprii non exempti clandestine valide contrahebant in loco Declaratione Benedictina comprehenso cum haereticis ibi domiciliatis.

3. Vagi 1° ligabantur Decreto Tridentino iis in locis ubi lex incolas obligabat; 2° non ligabantur ubi non obligabat incolas, et sufficiebat ut alteruter contrahentium vagus esset (1)

§ II. — *Statuitur impedimentum dirimens.*

644. **Textus.** « III. Ea tantum matrimonia valida sunt, quae contrahuntur coram parocho vel loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato, et duobus saltem testibus, iuxta tamen regulas in sequentibus articulis expressas, et salvis exceptionibus quae infra n. VII et VIII ponuntur ».

Pro explicatione et differentia anterioris legislationis vide dicta n. 641 sqq. et cfr. n. 663 sqq. Quinam veniant nomine Parochi vide n. 512.

§ III. — *Conditiones validae assistentiae.*

645. **Textus.** « IV. Parochus et loci Ordinarius valide matrimonio adsistunt,

1° a die tantummodo adeptae possessionis beneficii vel initi officii, nisi publico decreto nominatim fuerint excommunicati vel ab officio suspensi;

2° intra limites dumtaxat sui territorii: in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum valide adsistunt;

3° dummodo invitati ac rogati, et neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum ».

646. **Explicatio.** Conditio 1ª: « A die tantummodo etc. ».

I. Attendenda distinctio: 1° *Si beneficium est annexum officio,* requiritur ut praevie *realis beneficii possessio* capta sit. Porro Episcopi realiter instituuntur per exhibitionem litterarum Aposto-

(1) Hodie regula ista, de qua sub 2, abrogata est. Praeterea nullus locus — ratione loci — exemptus est; nisi aliquatenus excipiantur Germania et Hungaria quoad matrimonia mixta, cfr. n. 676, II.

licarum in Capitulo; Parochi vero vèl per introductionem corporalem (installationem), vèl ex consuetudine dioecesana die ab Episcopo designata possessionem sine ea solemnitate proprio facto aggrediuntur (1).

2° Si agitur de Parocho vel loci Ordinario *sine* proprie dicto *beneficio* (2), nominatus valide assistit *a die officii iniit.* Officium autem iniri potest assistendo alicui matrimonio (3).

II. *Percussores clericorum* etiam notorii ex hoc solo non privantur iure valide assistendi; neque suspensi solum vèl ab ordine vèl a iurisdictione, vèl a beneficio.

III. Neuter hac facultate privari potest auctoritate S. Pontificis inferiore, cfr. n. 511, IV, 2.

Differentia anterioris legislationis. Antiquo iure Paro- 647.
chus (4), etiam beneficiarius, valide assistebat a die quo parochia ei erat collata et ab eo acceptata, etsi nondum possessionem cepisset, nisi tamen praedecessor adhuc possessionem retinebat, vel lex aut consuetudo dioecesana aliter ferebat. Et valide coram eo contrahebatur, quamdiu officio parochiali seu titulo non erat privatus, etiamsi esset excommunicatus vel suspensus etiam publico decreto et nominatim; *excepto* si esset haereticus publicus et declaratus.

Conditio 2ª. « intra limites dumtaxat sui terri- 648.
torii: in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum valide adsistunt ».

Ordinarii et Parochi facultas hinc restringitur, illinc vero non modicum extenditur.

---

(1) S. C. C. ad Archiep. Olomuc., 2 Mart. 1908 hac de re interrogantem, rescripsit: « Nomine possessionis hic intelligi illum actum, qui sive institutio corporalis sive inthronizatio, sive installatio, sive aliter nuncupetur, tamen semper id efficit, ut institutus in beneficium exinde adipiscatur liberum exercitium potestatis, suo officio adnexae ». *Nouv. Rev. théol.* 1909 pag. 488.

(2) De notione beneficii cfr. canonistas.

(3) Ceterum consulantur statuta dioecesana, in quibus ad dubia tollenda nonnumquam providetur per facultatem neo-parochis vel deservitoribus concessam assistendi *tamquam delegati ab Ordinario.*

(4) Hic et in sequentibus saepe solum dicimus de Parocho, quia relate ad hunc res est magis practica. Generatim autem idem dicendum est de loci Ordinario, nisi ex natura rei vel ex iure positivo aliud sequatur.

I. Restringitur: nam non possunt valide assistere matrimoniis ne suorum quidem subditorum extra proprium territorium, i. e. extra dioecesim aut parochiam vel quasi-parochiam (1).

II. Ampliatur: *intra proprium territorium* competentes sunt non tantum quoad matrimonia suorum subditorum, sed et aliorum quorumcumque; ita ut, quod *ad valorem* attinet, nulla amplius ratio sit habenda domicilii vel quasi-domicilii

III. Relate ad Parochos de quibus n. 512 sub II diximus, S. C. C. 1 Febr. 1908 resolvit ut sequitur:

« VII. Ubinam et quomodo cappellani castrenses, vel parochi nullum absolute territorium nec cumulative cum alio parocho habentes, at iurisdictionem directe exercentes in personas aut familias, adeo ut has personas sequantur quocumque se conferant, valide matrimoniis suorum subditorum adsistere valeant ».

« Ad VII. Quoad cappellanos castrenses aliosque parochos, de quibus in dubio, nihil esse immutatum ».

1. Horum itaque competentia est mere personalis seu restricta quidem ad illas personas sibi subditas, non vero ad ullum territorium.

2. Haec competentia est quidem exclusiva competentiae Parochi loci, vel cum eadem cumulativa prout erat ante hoc Decretum; per se tamen non exclusiva, propter generaliter statutum hac § 2 huius art. (2).

« VIII. Ubinam et quomodo parochi qui territorium exclusive proprium non habentes, cumulative territorium cum alio vel aliis parochis retinent, matrimoniis adsistere valeant ».

« Ad VIII. Affirmative in territorio cumulative habito ».

Horum ergo omnium in isto territorio competentia universalis est pro omnibus.

« IX. Ubi et quomodo parochus, qui in territorio aliis parochis assignato nonnullas personas vel familias sibi subditas habet, matrimoniis adsistere valeat ».

---

(1) Haec tamen restrictio non est eousque extendenda ut non possit valide assistere in domibus et ecclesiis Regularium exemptorum. Monasterium enim, licet *ratione personarum* exemptum, non tamen censetur a dioecesi avulsum, et proinde remanet in dioecesi atque in parochia.

(2) Cfr. dictum supra hoc n. sub II.

« Ad IX. Affirmative, quoad suos subditos tantum, ubique in dicto territorio, facto verbo cum SS^mo ».

Huius proin competentia in alieno territorio partim territorialis partim personalis est, sc. relate ad illas solas personas vel familias, et in solo sed etiam toto illo territorio. — Neque exclusa videtur competentia Parochi proprii illius territorii.

« X. Num cappellani seu rectores piorum cuiusvis generis locorum, a parochiali iurisdictione exemptorum, adsistere valide possint matrimoniis absque parochi vel Ordinarii delegatione ».

« Ad X. Affirmative pro personis sibi creditis, in loco tamen ubi iurisdictionem exercent, dummodo constet ipsis commissam fuisse plenam potestatem parochialem ».

Quamvis S. C. horum Rectorum competentiam non ita clare atque ac IX restringit, mens tamen videtur eadem, sc. restringendi, ita ut neque in ipsa domo seu loco pio, cuius sunt Rectores, matrimoniis aliorum quam sibi creditorum, neque extra dictum locum, etsi in ipsa Parochia, matrimoniis sibi creditorum assistere valeant.

Neque haec competentia excludere videtur illam Parochi loci (1).

649. **Differentia anterioris legislationis.** Antea Parochus, non territorii qua talis, sed contrahentium saltem alterutrius proprius — i. e. Parochus in cuius Parochia vel quasi-Parochia alteruter saltem habebat domicilium vel quasi-domicilium — matrimonio, ut valeret, assistere per se vel per delegatum et debebat et poterat sive intra sive extra suum territorium.

650. Conditio 3^a: « dummodo invitati ac rogati, et neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum. »

Requisita ad validum modum assistendi ad tria reducuntur:

I. Invitati ac rogati. Minister sacer (2) debet ab utraque vel alterutra parte invitari ac rogari, sive expressis verbis sive saltem implicite; S. C. C. 28 Mart. 1908, ad IV.

Implicite rogant Parochum ii qui se ipsi praesentant in ordine ad explenda ea quae futurum matrimonium respiciunt; vel ultro coram eo comparent ad matrimonium ineundum.

(1) De his omnibus cfr. Vermeersch op. cit. n. 35 et 39; Besson in *Nouv. Rev. théol.* anni 1808, pag. 289 sqq.

(2) De aliis testibus nil novi decernitur; cfr. n. 653.

Sunt qui sufficere putant etiam invitationem mere interpretativam, ex. gr. si Parochus partes ex improviso ad se vocat et ultro eorum consensum requirit et excipit. Hoc autem in dubium vocari potest; cum ubi voluntas mere interpretativa est, ibi reapse nullus sit voluntatis actus, consequenter in casu nulla invitatio (1).

II. Neque vi neque metu gravi constricti. Intelligitur metus gravis ab extrinseco incussus in ordine ad assistentiam matrimonialem. Et cum lex non distinguat, plerique aestimant non referre utrum metus *iuste* an *iniuste* incutiatur. Ipsa lex pro casu assistentiae a proprio Parocho iniuste denegatae satis providit statuendo ut quisque Parochus cuicumque matrimonio valide et ex proportionata causa etiam licite assistere possit.

Certo autem non obstat fraus vel metus levis; cfr. n. 653.

III. Requirant excipiantque contrahentium consensum. Requiritur ergo ut Parochus active celebrationi matrimonii interveniat. Ad valorem indifferens est, utrum haec consensus requisitio fiat verbis, signis, nutu vel scriptura.

651. Ad tramites huius statuti (art. IV § 3°) reducenda sunt decreta Sedis Ap. in quibusdam casibus solam assistentiam passivam permittentis (2). Ita expresse S. C. C. 27 Iul. 1908 ad Qu. III: « An vi decreti *Ne temere* etiam ad matrimonia mixta valide contrahenda ab Ordinario vel a Parocho requirendus et excipiendus sit contrahentium consensus »? resp.: « Affirmative servatis ad liceitatem, quod ad reliqua, praescriptionibus et instructionibus S. Sedis.

652. **Differentia anterioris legislationis.** Antea, ut matrimonium *valeret,* non requirebatur ut Parochus esset invitatus vel rogatus; neque obstabat quod invitus, vi vel metu coactus assisteret; et semper sufficiebat assistentia passiva seu praesentia talis, de qua n. sq.

Scholion. De testibus generatim deque eorum praesentia.

653. I. Testes, qui praeter ministrum sacrum adesse debent, *ad valorem* sufficiunt qualescumque modo rationis usum habeant, et testari possint de contracto matrimonio. Quoad liceitatem et con-

(1) Cfr. Ojetti *In ius antepianum* etc. n. 78; Schaepman n. 221.
(2) Cfr. n. 575.

venientiam advertatur ad scandalum vitandum atque ad reverentiam actui tantopere gravi et sancto debitam.

II. Omnium testium, qui adesse debent, non excluso ministro sacro, praesentia, ut valeat matrimonium, debet esse

1° Simultanea, quia de uno eodemque actu oportet ut fidem facere illi omnes possint.

Sufficeret tamen — secus ac ad valida sponsalia — si coram omnibus testibus primo solus sponsus, deinde absente sponso sola sponsa consensum exprimeret.

2° Moralis, ita ut advertant et intelligant, saltem ex circumstantiis, matrimonium contrahi, et inter quas personas contrahatur. Sufficit autem, praeterquam quoad ministrum sacrum ex novissimo iure, ut sive visu sive auditu percipiant quid agatur, et personas contrahentes vèl cognoscant vel saltem postea recognoscere possint.

Hinc assistere sufficienter potest qui vèl surdus vèl caecus tantum, non vero qui surdus simul et caecus est.

Excipitur: nisi affectassent non intelligere, i. e. nisi ideo non viderint, non andierint, nec intellexerint, quia noluerunt videre etc. Constat ex pluribus resolutionibus S. C. C., idque sub vigore decreti « tametsi », quoad ipsum etiam Parochum.

3° Formalis *ex parte ipsorum contrahentium,* i. e. ut a contrahentibus *adhibiti fuerint* tamquam testes matrimonii, seu ut ipsi, implicite saltem, voluerint uti eorum praesentia ad contrahendum. Haec conditio sub antiquo iure ex communi sententia requirebatur saltem respectu Parochi; quoad alios testes dissentiunt A.A. Sed quoties relate ad Parochum requisita, sive novo sive antiquo iure, adsunt, etiam alii testes formaliter praesentes esse seu adhiberi, ex implicita saltem contrahentium intentione, censeri possunt.

Quoad testes non qualificatos consentiunt A.A. valori non obstare quod adsint inviti, vi adducti, fraude decepti, casu praesentes, quid aliud agentes v. gr. confabulantes, convivantes etc., vel quod protestentur se nolle praesentes esse matrimonio. — Idemque olim erat de Ministro sacro; cfr. n. 650 sqq.

§ IV. — *Conditiones licitae assistentiae.*

Textus. « V. — Licite autem adsistunt, **654.**

1° constito sibi legitime de libero statu contrahentium, servatis de iure servandis;

2° constito insuper de domicilio, vel saltem de menstrua commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii.

3° quod si deficiat, ut parochus et loci Ordinarius licite matrimonio adsint, indigent licentia parochi vel Ordinarii proprii alterutrius contrahentis, nisi gravis intercedat necessitas quae ab ea excuset.

4° Quoad *vagos*, extra casum necessitatis, parocho ne liceat eorum matrimoniis adsistere, nisi re ad Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam adsistendi impetraverit.

5° In quolibet autem casu pro regula habeatur, ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi aliqua iusta causa excuset ».

Explicatio. Conditio 1ª; « constito etc. »; cfr. n. 543.

655. Conditio 2ª: « constito insuper de domicilio, vel saltem de menstrua commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii ».

I. 1. **Domicilium** acquiritur facto habitationis in quodam loco cum animo ibidem *perpetuo* manendi; « perpetuo » intellige non absolute sed simpliciter, i. e. manendi nisi aliqua causa avocet. Locus intelligitur Parochia, non Dioecesis; cfr. n. 335, II.

Utrumque simul requiritur, sc. voluntas et factum; utroque autem concurrente acquiritur *primo habitationis die*. Neque acquisitum amittitur nisi per discessum actualem cum animo non redeundi, sc. utroque pariter simul cuncurrente.

Retinetur ergo 1° tempore absentiae, etiamsi per plures annos quis abest a loco domicilii, si non abierit animo non revertendi, modo teneat animum redeundi; 2° etiamsi quis statuerit relinquere domicilium, quamdiu reapse non reliquit.

Declarari potest animus perpetuo manendi non verbis tantum sed et factis; v. gr. eo quod quis familiam traduxit, maiorem bonorum partem transtulit etc. *In dubio*, ex habitatione decennali inducitur praesumptio animi perpetuo manendi, ita ut aliis coniecturis opus non sit.

2. **Duo domicilia simul** quis habere potest, sc. habitando per aequale fere tempus in duabus Parochiis: v. gr. degendo hieme in civitate, aestate ruri. In qua hypothesi contrahere quis potest *coram utrovis Parocho* quem elegerit.

3. Liberi retinent *domicilium parentum,* vel tutoris, saltem *donec* ei renunciaverint modo supra dicto sub 1; neque amittitur vel ei renunciatum praesumitur eo solo quod ad maiorennitatem pervenerunt. — *Ubi* autem *ex iure civili minorennes* necessario sequuntur *domicilium* parentum vel tutorum, uti in Neerlandia (1), plerique censent idem esse pro iure canonico. Sunt tamen qui putent minorennes pro iure canonico èt acquirere proprium domicilium et renunciare posse parentum domicilio; cfr. Vlaming n. 492.

II. **Menstrua commoratio** in loco matrimonii substituitur quasi-domicilio, quod in hoc negotio plene est suppressum (2); S. C. C. 28 Mart. 1908, ad V. Dicitur:

1° Menstrua. Mensis intelligitur vèl quodcumque spatium 30 dierum, e. g. a die 1 Ian. ad 30^{m}; vèl sumi potest secundum aestimationem calendarii, e. g. per mensem Februarii; a die 20 Febr. ad 19 Mart. Sufficit autem ultimam mensis diem incoeptam esse, quum in favorabilibus dies coepta pro completa habeatur.

2° Commoratio. Ad quam praeter nudum factum habitationis nulla specialis intentio ab initio habita permanendi per mensem requiritur.

Commoratio haec quibuscunque *diurnis* absentiis non interrumpitur e. g. si operarius regulariter diem transigat in officina sita extra paroeciam, modo in dicta paroecia pernoctet. Talis enim communi aestimatione dicitur habitare in paroecia.

Absentia autem unius alteriusve diei videtur negligi posse neque obstare quominus post elapsos 30 dies mensis dicatur moraliter completus. Quod cum Gennari (3) valere arbitramur etiamsi quis recessisset animo non amplius in locum revertendi. — At si breves huiusmodi absentiae saepius iteratae fuerint, parochus consultius ab assistentia abstinebit donec dies praetermissi suppleti fuerint ad commorationem 30 dierum complendam.

---

(1) Ex art. 78, ubi simile statutum habetur relate ad constitutos sub curatela:.... « Minderjarigen volgen de woonplaats van dengene hunner ouders, die de ouderlijke magt over hen uitoefent, of van hunnen voogd; meerderjarigen, die onder curatele zijn gesteld, die van hunnen curator ».

(2) Quasi-domicilium, a quo *valor* matrimonii saepius antea pendebat, et quod alias etiamnum generatim facit parochianum, pariter duo simul requirit: *habitationem* in quodam loco *cum animo* ibidem permanendi *per maiorem anni partem. Sufficit* tamen ex communi sententia, fundata in Instr S. Off. 7 Iunii 1867, animus permanendi *per ipsos sex menses,* non ultra. Itemque ex eo primo die, quo ista duo simul concurrunt, iudicandum est acquisitum fuisse: ex eadem Instr.

(3) *Monitore Eccles.* vol. XX (1908) pag. 90.

3° In loco matrimonii. Domicilium necessario acquiritur mediante ultima societatis divisione seu paroecia; commoratio haberi potest sive *in paroecia,* sive, ut probabilius dicendum videtur, immediate *in dioecesi;* sunt tamen qui relate ad Dioecesim aliter sentiunt (1). Hinc Ordinarius probabiliter licite matrimonio assistit, si alterutra pars per integrum mensem fuerit commorata in dioecesi, etsi in diversis paroeciis; certo autem parochus si commoratio per mensem protracta fuerit intra paroeciam et etiamnum perduret.

656. Conditio 3ª: « quod si deficiat [tum domicilium tum menstrua commoratio], ut parochus et loci Ordinarius licite matrimonio adsint, indigent licentia parochi vel Ordinarii proprii alterutrius contrahentis, nisi gravis intercedat necessitas, quae ab ea excuset ».

I. Deficientibus domicilio et menstrua commoratione utriusque contrahentis in loco matrimonii, necessaria est *licentia* Ordinarii vel parochi proprii alterutrius contrahentis. Consulto adhibetur vox *licentia,* non vero delegatio. Nam parochus quicumque intra proprium territorium valide assistit, quin unquam ad hoc indigeat, ut antea, delegatione (2) alterius parochi.

II. Parochus proprius cuius est licentiam dare intelligitur, proprius domicilii vel menstruae commorationis alterutrius partis. Quoniam vero ex § 5 huius art. de regula generali matrimonium coram parocho *sponsae* iniri debet, dicendum videtur licentiam potuis ab ipso quam a parocho sponsi esse petendam. Modo tamen alterutrius saltem licentia adsit, sive expressa, sive tacita, sive rationabiliter praesumpta, peccatum grave non committitur.

III. Gravis necessitas excusat a licentia petenda, e. g. quando partes quamprimum proficisci deberent a loco ubi contrahere intendunt, vel si ex dilatione notabile incommodum subire deberent, aut matrimonium civile immineret etc. Huius gravis necessitatis iudex est parochus in cuius paroecia contrahitur.

Si tamen gravi etiam causa aliqua exstante licentia tempestive

(1) Cfr. Desmet n. 73; Vermeersch n. 59.

(2) *Improprie dicta,* quum parochus et Ordinarius matrimoniis assistendo nullam iurisdictionem exerceant.

obtineri possit ab alterutrius Ordinario vel parocho proprio, ea prius erit impetranda.

Monet Card. Gennari (1) in praxi ad praecavendas lites expedire ut parochus aliquam probationem oralem vel scriptam sibi comparet circa existentiam praefatae causae, pro casu quo alter parochus de iure proprio laeso forsan protestetur.

Conditio 4ª: «Quoad vagos, extra casum necessitatis parocho ne liceat eorum matrimoniis adsistere, nisi re ad Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam adsistendi impetraverit». 657.

I. Vagi intelliguntur ii qui habitualiter tales nec domicilium nec menstruam commorationem in loco matrimonii habent. Quare in rigore iuris non tenetur parochus adire Episcopum pro licentia obtinenda, quoties pars quae alioqui solet esse habitualiter vaga, *per mensem* in ipsius territorio habitaverit. Eruitur ex claro textu § 2 art. V, quo menstrua commoratio quoad effectus aequiparatur domicilio.

Hac § 4 probabiliter non comprehenduntur momentanee vagi, ii nempe qui nuper relicto priore domicilio aliud quaerunt et interim in quopiam territorio obiter consistunt. Cum enim lex Trid. qua continetur sanctio ne quis absque Ordinarii licentia matrimoniis vagorum assistat, non comprehenderet nisi vere vagos seu vagabundos, neque satis appareat utrum legislator voluerit hac § art. V vere novam legem promulgare quae ad omnes quoscunque vagos se extendat, an vero tantum Conc. Tridentini sanctionem confirmare, probabiliter a praefato decreto sicut antea hi eximi possunt. Liberum ergo parocho est horum matrimonio absque Ordinarii licentia assistere, etsi nondum per mensem in paroecia habitaverint.

II. Quaer. Utrum regula de petenda Ordinarii licentia servanda sit etiam in casu quo alterutra solum pars sit vaga?

Resp. Affirmative. Patet *ex fine* intento, scl. praecavendi matrimoniorum nullitatem. Non potest contrarium erui ex art. V. § 2, ubi ad licitam assistentiam competens declaratur parochus, in cuius territorio *alterutra* solum pars habeat domicilium vel menstruam commorationem, etiamsi altera pars sit vaga. Quibus verbis mere enuntiatur licite per se non contrahi nisi coram parocho *proprio*. Sed propterea nondum excluditur obligatio parochi etiam proprii recurrendi in aliquo casu ad proprium *suum* Ordinarium, uti § 4 statuitur pro matrimoniis vagorum.

(1) *Breve Commento*, ed. 6ª, pag. 34.

Quod si vagus contrahere velit in loco ubi hic et nunc moratur cum parte quae alibi habet domicilium vel menstruam commorationem, parochus non tenetur praeter licentiam proprii Ordinarii vel sacerdotis ab eodem delegati (§ 4) exquirere etiam consensum parochi vel Ordinarii proprii alterius partis non vagae iuxta § 3. Ratio est quia ex mente art. V, § 3, quoties *saltem una pars* coram parocho *proprio* contrahit, non requiritur licentia alterius parochi aut Ordinarii. Atqui vagus quocunque in loco contrahit habet parochum loci *uti proprium*. Cfr. Gennari in *Monitore Eccles.* l. c.

658. Conditio 5ª: « In quolibet autem casu pro regula habeatur, ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi aliqua iusta causa excuset ».

Non requiritur causa gravis sed sufficit quodlibet rationabile motivum utilitatis vel convenientiae (1).

De iure communi non videtur tradi verum *praeceptum* neque rationabili causa exstante praevie petenda est *licentia* parochi sponsae. *Utrumque* tamen ex iure particulari imponi potest, ut in nostro Conc. Prov. Ultrai. p. 180.

§ V. — *De delegatione et de Sacerdote delegato.*

659. **Textus.** « VI. — Parochus et loci Ordinarius licentiam concedere possunt alii sacerdoti determinato ac certo, ut matrimoniis intra limites sui territorii adsistat.

Delegatus autem, ut valide et licite adsistat, servare tenetur limites mandati et regulas pro parocho et loci Ordinario n. IV et V superius statutas.

660. **Explicatio I.** Quamdiu Parochus ipse assistere potest, valide quoque alterum delegare potest. Ratio est, quia neque assistentia neque delegatio haec est actus ordinis vel iurisdictionis, sed mere actus testis qualificati. — Dari potest per mandatum sive speciale, quod solam hanc assistentiam, sive generale, quod plures functiones, inter quas hanc assistentiam, comprehendit.

(1) Iustam reputabimus causam si parochus sit frater sponsi, si ratio quaedam seria adsit cur sponsa matrimonium contrahere exoptet extra propriam paroeciam, et ita porro. De Becker *Nova Legislatio*, p. 40.

Mandatum generale habent ii quibus sive ab Ordinario sive a Parocho integra cura Parochiae committitur. Differt a licentia generali speciali mandato data, de qua infra.

Quoad Sacellanos in singulis Dioecesibus videndum est num iis commissa sit generalis facultas ministrandi omnia Sacramenta; et si quidem, num in ea censeatur comprehensa assistentia matrimonialis.

II. Licentia — intelligitur praecipue ea quae speciali mandato et pro determinato matrimonio datur — debet esse

1° Reapse data, et hoc sensu *expressa,* ita ut non sufficiat praesumpta vel interpretativa, vel silentium ex mera tolerantia. — *Sufficit tacita,* quum sc. Parochus praesens et sciens non contradicit etsi facile posset.

Valet licentia data *ex metu,* vel *dolo* obtenta — modo licentiae concessio non sit alligata veritati precum ut conditioni sine qua non — vel cui *error* causam dedit modo error non fuerit quoad ipsos contrahentes.

2° Nota delegato. Plures, contra alios (1) excipiunt casum, quo assistens vel ipse licentiam petiit vel saltem petitionis conscius est.

Non videtur requiri proprie dicta *intimatio,* sed sufficere notitia etiam casu accepta, dummodo certa: est contra multos qui hanc licentiam nimium aequiparae videntur cum delegata iurisdictione.

Revocatio licentiae datae, ut valorem matrimonii impediat, oportet ut fuerit delegato nota ante nuptias celebratas.

Num expiret morte delegantis, *si* haec est *nota* delegato et *res integra,* controvertitur: pendet ex eo num licentia dicenda sit gratia facta an facienda. *Negantium* doctrinam practice *tutam* opinatur Feije n. 297, 7°; Cfr. Wernz n. 180, IV.

Valide, sed *illicite,* assisteret Sacerdos, cui licentiam Parochus dedit, Ordinarius negavit vel etiam se subtrahere declaravit.

I. Delegari nequit nisi sacerdos, isque sub iure novo determinatus et certus, expresso eius nomine, vel officio quod obtinet, vel aliter clare indicando personam. **661.**

Invalida foret delogatio his verbis concepta: Delego aliquem ex vicariis paroeciae N., vel sacerdotem quem partes elegerint.

Ast valeret delegatio si parochus ad assistendum deputet omnes suos vicarios parochiales, idque sive pro aliquo matrimonio determinato, sive pro omnibus generatim (2), quae in paroecia contrahi debent. Ratio est

(1) Quae ab hisce citantur Respp. S. C. C. 5 Dec. 1626 et 15 April. 1628. solum probant *meram ignorantiam* non sufficere.

(2) « Utrum ad valide et licite matrimoniis adsistendum, ad tramitem art. VI decreti, requiratur semper delegatio specialis, an vero sufficiat generalis »?

Resp.: « Quoad delegationem nihil esse immutatum, excepta necessitate eam faciendi sacerdoti determinato et certo, ac restrictam ad territorium delegantis », S. C. C. d. 27 Iulii 1908.

quia sacerdotes sunt determinati et certi. Per verba enim sacerdoti determinato et certo legislator non intendit excludere delegationem plurium sacerdotum sed delegationem personae indeterminatae (1).

II. Delegatus solum intra limites territorii eius qui delegavit valide assistere potest. Ablata enim ab Ordinario et parocho vi art. IV, § 2 facultate assistendi matrimoniis suorum subditorum *extra fines territorii,* consequens erat ut eam neque alteri concedere valerent.

Nota. Si cui parocho aut Ordinario fieret facultas assistendi matrimonio intra proprium ipsorum territorium, non esset delegatio, sed mera *licentia,* de qua art. V, § 3.

III. Ut matrimonium coram sacerdote delegato valide et licite ineatur, hic servare debet tum limites mandato forsan appositos, tum regulas pro parocho et loci Ordinario art. IV et V statutas.

Requiritur itaque ut non sit nominatim excommunicatus aut ab officio suspensus, ut libere consensum exquirat etc. — Inquisitio tamen de statu libero potius spectat ad *delegantem* quam ad delegatum. Neque ea quae partes erga Parochum iam praestiterunt, opus videtur ut erga delegatum repetantur, uti invitatio ad assistendum.

IV. Sacerdotes delegati, sicut ante decretum, subdelegare ad casum particularem 1° *certo non possunt* si ad determinatum vel ad determinata matrimonia sunt delegati, *nisi* haec facultas sit expresse addita; 2° *certo possunt* delegati ad universitatem *causarum,* puta quibus non sola assistentia omnibus matrimoniis sed *omnia negotia matrimonialia* commissa sunt. — Illi autem quibus *tota animarum cura* loco Parochi absentis etc. gerenda est commissa, delegare possunt ut ipsi Parochi, etiam generaliter. 3° *Controvertitur* de delegatis ad universitatem *casuum* solummodo: probabilius videtur negandum; cfr. Vlaming n. 518 *b.*

Nota ad 1m et 3m. Ut casibus non praevisis consulatur, generatim expedit ut licentiae assistendi addatur facultas subdelegandi.

Putat Card. Gennari (2) simplici sacerdoti delegato concedi non posse facultatem subdelegandi, nisi sub hac conditione, quod sacerdotes subdele-

(1) Cfr. Vermeersch n. 67; Gennari p. 37.

(2) Pag. 37; *Monitore Eccles.* vol. XX. (1908) p. 86.

gandi sint a parocho vel ab Ordinario designati: secus enim delegatio aequivalenter fieret personis incertis et indeterminatis, quod vetat art. VI. — Alii autem de hac restrictione tacent, vel etiam, ut Vermeersch (1), necessitatem illius designationis expresse negant. Hanc sententiam in praxi tuto sequimur, cum facultas subdelegandi antea potius diceretur delegatio complurium (2), quam delegatio indeterminatae personae, quae sola vetatur, imo iam in superiori legislatione erat illicita, licet non semper invalida; cfr. Wernz. l. c.

Dummodo igitur *subdelegatio* non fiat nisi *sacerdoti determinato* et *certo,* nihil obstat quominus cum delegatione coniungatur etiam generalis facultas subdelegandi. Cfr. Verm. l. c.

Differentia anterioris legislationis. I. Ad n. pr. I. et II: 662.
1. Antea valebat quoque delegatio facta Sacerdoti a partibus eligendo,

2. Praeterea data valebat *per se* quoad subditos delegantis etiam extra huius territorium, *nisi* nempe licentia conditioni contrariae expresse fuisset alligata.

II. Ad n. pr. III. Differentiae hic notandae deducuntur ex dictis relate ad Parochum.

§ VI. — *De utroque casu excepto.*

Punctum I. — *Casus periculi mortis.*

Textus. « VII. — Imminente mortis periculo, ubi 663.
parochus, vel loci Ordinarius, vel sacerdos ab alterutro delegatus, haberi nequeat, ad consulendum conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis, matrimonium contrahi valide ac licite potest coram quolibet sacerdote et duobus testibus ».

Explicatio. In casu extraordinario quilibet sacerdos etiam 664.
excommunicatus vitandus valide potest matrimonio assistere, positis his conditionibus:

I. Immineat mortis periculum: non mortis articulus sed periculum ex qualicunque causa, v. g. ex infirmitate, ex vulnere inflicto, ex bellico conflictu, ex operatione chirurgica subeunda, periculosa navigatione.

(1) Num. 67.
(2) Cfr. Wernz. t. IV, n. 180. III b).

II. Parochus vel Ordinarius vel delegatus haberi nequeat. Defectus temporis ad hoc requisiti est quaestio facti, morali, non mathematico iudicio pensanda. Non requiritur certitudo, sed sufficit vera probabilitas aut dubium rationabile.

Ad haec non sunt adhibenda media extraordinaria, utendo v. g. via telegraphica aut telephonica. Recursus autem per litteras medium ordinarium censetur.

III. Causae propter quas in his adiunctis quilibet sacerdos valide et licite assistit, duae enumerantur:

1. Ad consulendum conscientiae. Casus praecipui sunt concubinatus, matrimonium civile vel pravae relationes quae separationem difficilem reddunt. Et etiam sepositis peccatis carnis quoties serium conscientiae motivum matrimonium suadeat, v. g. si per matrimonium damnum alteri illatum melius repararetur vel odium inter familias cuius alterutra pars est causa, efficacius posset extingui. Lex enim inter hos aliosque praecedentes casus non distinguit. Ita Vermeersch (1), Leitner (2), Schaepman (3). — Contra De Becker (4) aliosque.

Sententia ista confirmatur Responso S. C. de Sacr., quae ad dubium: « Utrum facultas... valeat dumtaxat pro concubinariis; an etiamsi non agatur de concubinariis, sed alia adsit causa ad consulendum conscientiae et (si casus ferat) legitimationi prolis? respondit: *Negative* ad primam partem, *affirmative* ad secundam ». 16 Aug. 1909.

2. Ad consulendum (si casus ferat) legitimationi prolis. Dicitur *si casus ferat,* nam subsequenti matrimonii celebratione non legitimatur proles spuria, seu inter cuius parentes tempore conceptionis, nativitatis et intermedio non potuit propter impedimentum dirimens subsistere validum matrimonium. « Neque videmus rationem sufficientem agnoscendi hanc extraordinariam sacerdotis competentiam ob solam rationem quod, postea, filii isti spurii facilius fortasse obtinerent rescriptum legitimationis ». De Becker, p. 33 cum communi sententia.

---

(1) Num. 73.

(2) Die Verlobungs-und Eheschlieszungsform nach dem Decrete *Ne temere,* 5e Aufl. p. 48.

(3) Num. 230.

(4) Pag. 33.

Fatetur tamen Vermeersch l. c., quem sequuntur Schaepman l. c. et Choupin (1), se non repugnare benignae iuris interpretationi, quae huic exceptioni locum esse putat etiam ob solam spem facilius dein obtinendi a Principe rescriptum legitimationis. Licet haec opinio proli adhuc magis favorabilis valde arrideat, aegre tamen cum verbis decreti componi posse videtur.

665. I. **Pro differentia anterioris legislationis** nota hanc iuris communis dispositionem esse prorsus novam.

II. Ceterum *praesenti articulo* immutata mansit disciplina vigens circa facultatem dispensandi Ordinariorum in casu concubinatus aut matrimonii civilis Decreto 20 Febr. 1888 concessam, de qua n. 683, IV, vi cuius *parochus delegatus* (cfr. n. cit.) urgente necessitate etiam si opus est a testium praesentia dispensare valet. Sed cfr. mox dicendum sub III.

III. Novissimo Decreto per S. C. de Sacramentis 14 Maii 1909 S. P. Pius X declarare dignatus est « ac decernere, quemlibet sacerdotem, qui ad normam art. VII decreti *Ne temere* imminente mortis periculo, ubi parochus vel loci Ordinarius vel Sacerdos ab alterutro delegatus haberi nequeat, coram duobus testibus matrimonio adsistere valide ac licite potest, in iisdem rerum adiunctis dispensare quoque posse super impedimentis omnibus etiam publicis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, excepto sacro presbyteratus ordine et affinitate lineae rectae ex copula licita ». — Observa hanc facultatem non restringi ad casus matrimonii civilis vel concubinatus.

Quid vero si casus art. VII adest quidem, sed neque testes haberi possunt? Putamus novissimam concessionem ita accipi posse ut quilibet sacerdos tunc dispensare quoque possit super praesentia testium: est enim extensio facultatis Decreto 20 Febr. 1888 concessae; haec autem talem potestatem comprehendit (2).

---

(1) Les Fiançailles et le Mariage, n. 60.

(2) Idem sentit Gennari *Monitore* 1909 pag. 473. Besson in *Nouv. Rev. théol.* 1909, pag. 472 nonnihil dubitat, resolvitque: *Stante dubio iuris,* le mariage paraitrait valable. Il serait du reste sage de soumettre ultérieurement le cas au Saint-Siège. — Vermeersch *Periodica* tom. V pag. 38 sq. aliud sentit; non tamen repugnat quin benigniori opinioni sufficiens tribuatur probabilitas iuris ut, si opus fuerit, secundum eam agatur. Magis absolute contradicit Th. V. d. Acker in *Ned. kath. Stemmen* 1909 pag. 336. Negantium ratio est quod facultas dispensandi conceditur « in iisdem rerum adiunctis » etc. Verum in ipso Decreto

Praeterea si in casu extremo sacerdos aliter quam per matrimonium aeternae saluti concubinarii moribundi prospicere satis secure nequeat, neque testes acciri aut sine gravissimo infamiae periculo acciri possint, in his adiunctis sententia nonnullorum Doctorum (1) opinantium legem ecclesiasticam per epikeiam cessare ne quis pereat, id saltem efficit ut nullam reprehensionem incurrat sacerdos, qui in his angustiis positus extremum illud remedium tentaverit (2). Nisi potius dicas hodie hac epikeia minus opus esse.

Quid autem si adest Parochus vel delegatus? Num etiam hic in casu dispensare potest sicut Sacerdos non delegatus? Attentâ litterâ Decreti videri potest negandum; quia diserte supponitur absentia Parochi vel delegati; ita ut hic dispensare non posset nisi secundum tenorem Decreti 20 Febr. 1888 (3). Contrarium tamen aeque probabile videtur; pro qua sententia (4) merito advertit Vermeersch (5): « Nonne in ipso parocho agnoscere licet sacerdotem simplicem, et quando parochus nihil potest qua talis, nonne tunc quasi simplex sacerdos, iisdem quibus simplices sacerdotes facultatibus instructus, adesse videtur? ».

Punctum II. Casus deficientis testis qualificati.

666. Textus. « VIII. — Si contingat ut in aliqua regione parochus locive Ordinarius, aut sacerdos ab eis delegatus, coram quo matrimonium celebrari queat, haberi non possit, eaque rerum conditio a mense

---

Ne temere alia quidem adiuncta, puta imminentis mortis periculi et deficientis Parochi vel delegati, habent vim conditionis sine qua non concessae facultatis assistendi; adiunctum vero testium praesentium potius supponitur; neque enim illo Decreto tollitur huius praesentiae necessitas; novissimum autem Decretum a facultate dispensandi excipit duo tantum impedimenta, non vero impedimentum clandestinatis.

(1) Cfr. n. 567 II et III; Gennari *Monitore Eccles.* vol. XX. (1908) p. 177 sqq.; Alberti p. 21; Ballerini ad Gury II n. 840, cum aliis.

(2) De lege civili, gravi adiecta sanctione poenali, prohibente quominus *solemnitates religiosae* fiant ante celebrationem civilem matrimonii cfr. Cod. Civ. art. 136; Cod. Poen. art. 449, et supra n. 581.

(3) Ita sentiunt Besson op. cit. l. c.; A. B. in *Le Canoniste* 1909 pag. 500 sq.; V. d. Acker op. cit. pag. 339.

(4) Quam ut certam tradit Gennari in *Monitore eccl.* 1909 pag. 161 et 290, ex quo cit. Decretum S. Off. iam haberi debet ut prorsus abrogatum neque iam opus est certiorem facere S. Officii Congregationem in casu de quo n. 683, IV, Nota 5.

(5) Op. cit. l. c. pag. 39.

iam perseveret, matrimonium valide ac licite iniri potest emisso a sponsis formali consensu coram duobus testibus ».

Explicatio. Dicitur I. in aliqua regione, non in aliquo casu, quia lex respicit communem aliquam necessitatem (1). Vox *regio* attento spiritu decreti intelligenda est sensu latissimo, ita ut regionis nomine veniat sive provincia, sive civitas, sive etiam oppidum aut pagus aut pars unius valde amplae paroeciae, quales v g. in America habentur (2). Nec necesse est, addit Verm. l. c. ut frequens ibi fuerit populus. Paucae familiae quae ibi vivant, beneficio regionis uti poterunt. 667.

Si cui in tali regione constituto *per accidens* sit copia adeundi sacerdotem, neque hic a beneficio legis excluditur: est enim *locale*, atque adeo omnes ibi commorantes eo uti possunt (3).

Sunt qui putent in sensu Decreti impotentiam *in aliqua regione* non esse eamdem ac impotentiam *communem* omnibus ibi habitantibus; atque adeo sufficere quoque impotentiam quae ex se in dicto sensu non est communis, dummodo eius causa tali regioni sit tribuenda, v. gr. impotentiam ex lege civili prohibente religiosam matrimonii celebrationem ante impletum actum quem dicunt matrimonium civile; cfr. n. 581, 3°. Hanc opinionem propugnat Ojetti (4), eique « aegre deneganda foret *solida probabilitas* », ait Desmet (5), qui ad Resp. S. C. C. 27 Jul. 1908, ad IX: « Non esse interloquendum » annotat: « Quod responsum non aufert probabilitatem sententiae propositae.... Voluerint forsitan Em. Patres omittere formalem approbationem dictae interpretationis [artículi VIII Decreti *Ne temere*], ne videantur arma suppeditare ad eludendam legem civilem ». Cum Besson (6) concedimus quidem distinctionem esse fundatam; at si quaeratur num hic sit sensus Decreti, potius sententiae communi adhaeremus.

(1) Pro casibus particularibus specialem dispensandi facultatem consecuti sunt Ordinarii Sinenses:

« An et quomodo annuendum sit petitionibus Ordinariorum Sinensium qui ob peculiares illius regionis conditiones postularunt... 2° dispensationem a praesentia parochi et quandoque etiam testium, sive in matrimoniis ex dispensatione contrahendis a baptizatis cum non baptizatis, sive in matrimoniis inter catholicos, qui sub paganorum potestate sunt constituti »?

Resp. « Concedendam esse iisdem Ordinariis facultatem dispensandi a forma substantiali matrimonii pro casibus tantum verae necessitatis, cum potestate hanc facultatem etiam habitualiter subdelegandi missionum rectoribus; facto verbo cum SSmo ».

(2) Cfr. Vermeersch, n. 76; Heiner *Das neue Verlöbnis und Eheschliessungsrecht* etc. pag. 51.

(3) Cfr. Vermeersch l. c.; Schaepman n. 232.

(4) *In Ius Antepianum et Pianum* etc. n. 122.

(5) Op. cit. n. 69, 1°, b); cfr. n. 232, 2°, b).

(6) *Nouv. Rev. Theol.* anni 1908, pag. 735.

II. Parochus vel delegatus haberi non possit: quod intellige *moraliter loquendo*, quando scl. fideles non sine gravi difficultate aut periculis adire sacerdotem absentem possent. Non sufficit ergo solum *factum absentiae* menstruae, quod confirmatur responso S. C. C. d. 27 Iul. 1908, ad V (1).

III. Ea rerum conditio a mense perseveret. Mensis eodem vario modo computari potest quem supra n. 655, II, 1° annotavimus. Non interrumpitur ratione *momentanei, inopinati* et fidelibus *prorsus incogniti* transitus Ordinarii vel Parochi aut delegati per aliquem locum. S. C. C. d. 27 Iul. 1908, ad VI.

Mense elapso datur facultas celebrandi coram duobus testibus, etsi parochus sciatur proxime adventurus.

Vera obligatio petendi postea benedictionem nuptialem iisdem coniugibus non est imposita.

IV. Pro differentia anterioris legislationis nota: iam 1 Iulii 1863 S. Off. declaraverat, impotentiam quae sit communis in aliquo loco excusare a Decreto Tridentino quoad praesentiam parochi dummodo per spatium mensis tutus non sit ad parochum accessus. Fatendum tamen erat normam hanc in praxi non levibus difficultatibus et dubiis obnoxiam esse, cum valor matrimonii dependeret a praevisione plus minusve probabili impotentiae per mensem duraturae. Melius itaque nova lex statuit unice attendi debere ad factum, utrum reapse per mensem iam duraverit ea rerum conditio ut in aliqua regione proprius sacerdos haberi non possit.

Ad §§ II-VI Appendix I. — *De registratione matrimoniorum.*

668. **Textus.** « IX. — § 1° Celebrato matrimonio, parochus, vel qui eius vices gerit, statim describat in libro matrimoniorum nomina coniugum ac testium, locum et diem celebrati matrimonii, atque alia, iuxta modum in libris ritualibus vel a proprio

(1) « An in locis dissitis, ad quae missionarius singulis mensibus non venit — in quibus tamen, si peteretur, haberi posset, et vel ad eum aut ad alium missionarium, qui sit parochus in sensu decreti, absque gravi incommodo possent accedere sponsi — matrimonia contracta sine missionarii seu parochi praesentia retinenda sint uti valida ». *Resp.* « Negative ».

Ordinario praescriptum; idque licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit.

§ 2° Praeterea parochus in libro quoque baptizatorum adnotet, coniugem tali die in sua parochia matrimonium contraxisse. Quod si coniux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se, sive per curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in baptismi librum referatur.

§ 3° Quoties matrimonium ad normam n. VII aut VIII contrahitur, sacerdos in priori casu, testes in altero, tenentur in solidum cum contrahentibus curare, ut initum coniugium in praescriptis libris quam primum adnotetur».

669. **Explicatio.** Celebrato matrimonio duplex annotatio facienda praescribitur: altera in libro matrimoniorum secundum legem Trid. et Rit. Rom., altera in libro baptismorum.

Ad § 1. Descriptio in libro matrimoniorum fieri debet a *parocho* vel ab eo qui *eius vices gerit.* Per haec posteriora verba intelligi potest sive is qui habet mandatum generale ad officia parochialia exercenda vel saltem ad assistendum matrimoniis, sive ille qui ex peculiari causa electus est a parocho ad matrimonia describenda.

Decretum non exigit sicut Rit. Romanum, ut parochus *propria manu* subscribat. Quare inscriptio materialis alteri committi potest onerata tamen conscientia parochi.

Statim describat, absque mora. Quae quidem obligatio nonnullis visa est post diem sub gravi urgere; alii ut Vermeersch (1), Alberti (2) biduum vel triduum concedunt.

Ad § 2. Parochus etiam in libro baptismorum in margine notare debet coniuges tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse. Si uterque vel alteruter coniux in alia paroecia baptizatus fuerit, tenetur de inito matrimonio parochum baptismi vel

(1) Num. 79.

(2) *Commentarium in recens decretum S. C. C.* etc. ed. 4ª, pag. 25.

per se vèl per curiam episcopalem, propriam nempe vel parochi qui baptizavit, certiorem reddere, ut ille in libro baptismorum matrimonium consignet.

In praxi perutile esset si parochus notitiam initi matrimonii transmittens attestationem litterarum acceptarum exquireret, qua securiòr reddatur de legis impletione.

Satis consentiunt AA. legem faciendi vel curandi hanc inscriptionem graviter obligare, cum agatur de re quae nostro tempore maximae utilitatis fore perspicitur ad praecavendas fraudes et pericula nullitatis matrimoniorum. Habito enim extracto *datae recentioris* a libro baptizatorum facilius constare deinde poterit de statu libero partium relate ad novum matrimonium.

Quamobrem non omittat parochus a sponsis quorum status liber non satis apparet exquirere fidem scriptam et authenticam suscepti baptismi et quidem recentem; ex hoc enim fraus, si adforet facile detegitur.

Ad § 3. Sub hac § inspicitur casus extraordinarius, quo ex art. VII aut VIII vèl simplex sacerdos vèl solum duo testes matrimonio adstiterint. In priore casu ipse sacerdos cum contrahentibus, in altero testes cum contrahentibus, iique in utroque casu in solidum curare tenentur ut initum coniugium in praescriptis libris quamprimum notetur.

Debent igitur vèl nuntium mittere, vèl curare ut certiores reddantur de peracta denuntiatione. *In praxi* saepe expediet aut necessarium erit, ut parochus loci, ubi initum est matrimonium, in se assumat onus monendi parochum baptismi, itàque alios omnes obligatione monendi exoneret.

Appendix II. — *Sanctio poenalis.*

670. **Textus.** « X. — Parochi qui heic hactenus praescripta violaverint, ab Ordinario pro modo et gravitate culpae puniantur. Et insuper si alicuius matrimonio adstiterint contra praescriptum § 2 et 3 num. V, emolumenta « stolae » sua ne faciant, sed proprio contrahentium parocho remittant ».

671. **Explicatio I.** Poenae in contravenientes parochos aliae sunt ferendae, aliae latae sententiae. Illae decernuntur ar-

bitrio proprii Ordinarii pro modo et gravitate culpae in qualibet transgressione commissae. — *Poena* vero *latae sententiae,* quae absque ulla alia sententia incurritur, consistit in privatione emolumentorum stolae, non propter quamlibet transgressionem, sed propter violationem § 2 vel 3 art. V, quibus interdicitur quominus parochus assistat matrimoniis eorum, quorum neuter in loco matrimonii habeat domicilium vel menstruam commorationem, nisi accedat licentia parochi vel Ordinarii alterutrius partis vel gravis causa ab ea licentia excusans.

Parochus proprius illicite assistens contra § 5 eiusdem articuli, qua parocho *sponsae* prae aliis ius assistendi vindicatur, summum poenis *ferendae* sententiae est obnoxius.

Nomine *emolumentorum stolae* tantum veniunt ea quae parocho qua tali, i. e. ut testi qualificato debentur, non comprehenso pinguiore stipendio missae nuptialis, si quod forte acceperit. Si autem emolumenta stolae cum eleemosyna missae cumulata fuerint, Episcopi est iudicare quaenam portio sit restituenda.

II. Quaer. Cuinam contrahentium parocho iura stolae in casu sunt restituenda?

Resp. Substantiae huius obligationis satisfit restituendo cuicunque ex parochis propriis. — Si tamen quaeratur quid melius respondeat *iuris intentioni,* dicemus emolumenta ei potius deberi parocho, coram quo matrimonium fuisset celebrandum. Et quia matrimonium ex regula generali coram parocho sponsae iniri debet, ordinarie hic erit aliis praeferendus, parochus domicilii primum, dein parochus menstruae habitationis. Quodsi ex circumstantiis specialibus constaret matrimonium fieri debuisse coram parocho sponsi, huic potius, eodem qui supra ordine servato, iura stolae restituantur.

III. Corollarium. Hac lege poenali implicite *abrogata* censetur *poena suspensionis,* quam Trid. (Sess. XXIV, c. 1 de ref. matr.) tulit contra eum qui alterius parochiae sponsos sine proprii parochi licentia matrimonio iungere aut benedicere ausus fuerit. Legislator enim si eam adhuc vigere vellet eam hoc loco silentio non praeteriisset.

§ VII. — *De subiecto legis.*

Textus. « XI. § 1°. Statutis superius legibus tenentur 672.
omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex

haeresi aut schismate conversi (licet sive hi, sive illi ab eadem postea defecerint), quoties inter se sponsalia vel matrimonium ineant.

§ 2°. Vigent quoque pro iisdem de quibus supra catholicis, si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis, etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus, sponsalia vel matrimonium contrahunt; nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum.

§ 3°. Acatholici sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahunt, nullibi ligantur ad catholicam sponsalium vel matrimonii formam servandam ».

673. **Explicatio.** Hoc articulo recensentur personae, quae novae legislationi subiacent. Porro vèl agitur de sponsalibus et matrimoniis catholicorum inter se, vèl de sponsalibus et matrimoniis mixtis, vèl de sponsalibus et matrimoniis acatholicorum. Hinc triplex §.

Ad § 1. Catholici inter se contrahentes huic decreto subsunt. Quinam vero in ordine ad praesentem legem clandestinitatis veniant nomine catholicorum, decretum indicat his verbis: *Omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi, licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint.* Uno verbo, catholici habentur quotquot aliquo momento membrum Ecclesiae catholicae fuerunt, sive baptismo in Ecclesia catholica recepto, sive proprio facto seu conversione ad fidem catholicam. Huc itaque pertinent:

1° Baptizati in Ecclesia catholica. Vulgari acceptione intelliguntur ii qui ipso baptismo ad Ecclesiam catholicam pertinere demonstrantur. Tales imprimis sunt adulti ex propria ipsorum voluntate in ordine ad Ecclesiam catholicam baptizati; deinde qui ex parentum horumve alterutrius, vel tutoris voluntate ad ecclesiae catholicae fontes deferuntur; tales etiam qui ex parentibus catholicis oriundi a laico in necessitate sunt baptizati. Tales contra non erunt quos ministellus haereticus sive schismaticus ex voluntate parentum (sive hi acatholici fuerint sive etiam catholici) baptizavit. Vermeersch n. 87.

Dubia, seu potius *neganda* videtur pertinentia ad Ecclesiam

catholicam ex baptismo, si hic conferretur quidem in ordine ad Ecclesiam catholicam v. g. ab ancilla catholica, sed *illicite* et *invitis* parentibus. — Cfr. Verm. l. c.

Si tamen Baptismus collatus est a ministro ecclesiastico ad hoc deputato, puta a Parocho loci vel de huius licentia, baptizatus videtur catholicis accensendus.

2° Ex haeresi vel schismate conversi ad Ecclesiam catholicam et quidem *facto proprio,* vèl formali haeresis abiuratione, vèl actibus religionis qui sufficienter manifestant animum adhaerendi Ecclesiae. Non sufficit v. gr. conversio parentum ad hoc ut etiam filii censeantur conversi.

3° Desertores: intelliguntur omnes qui postquam semel ad Ecclesiam catholicam pertinuerint postea ab eadem defecerint omni religioni valedicendo aut alicui sectae sese addicendo.

674. I. **Exceptio.** Catholicos Orientales huic legi non subiacere constat ex declaratione S. C. C. d. 1 Febr. 1908 ad I. Ratio est quia ex immemorabili consuetudine Orientales immunes sunt ab omni statuto mere disciplinari, nisi Pontifex explicite in suis constitutionibus etiam ipsos comprehendere voluerit (1).

Ad quaestionem vero utrum ad eosdem decretum extendere expediat, respondit eadem S. C. C. ibid. ad II: *Ad S. Congregationem de Prop. Fide.* Huic Congregationi proinde facta est facultas decernendi num, quando, et quomodo decretum catholicis rituum orientalium applicare conveniat.

Exceptio habenda ets personalis, ita ut Orientalis ubique locorum eadem fruatur, Latinus autem nullibi.

II. Quaer. Valetne matrimonium si catholicus ritus orientalis non servata forma decreti *Ne temere* contraheret cum catholico ritus latini?

Respondit S. C. C. d. 28 Mart. 1908 ad I.: Negative — Quo responso confirmatur quod iam ex § 2 huius art. inferebant AA., *ex toto abrogatum* esse principium illud iuris positivi (2), quod dicebant «individuitatis contractus» (cfr. n. 643, VI, 2) vi cuius una pars exempta in anteriori legislatione alteri parti suam

(1) Cfr. *Collectanea S. Congr. de Prop. Fide,* ed. 1ª n. 113 et 1999.

(2) Cfr. hac de re Wernz t. IV; n. 40.

communicabat exemptionem. In cuius locum substituta est haec regula principiis naturalibus apprime conformis: *Quoties una pars legi est obnoxia, indirecte et altera pars eadem lege obstringitur.*

675. Ad § 2. I. Catholici contrahentes cum acatholicis formam decreti servare tenentur. Hoc statuto disciplina vigens quoad matrimonia mixta funditus est immutata. Ex temporibus enim Benedicti XIV, qui testatur(1) se innixum principio individuitatis contractus edidisse suam celebrem declarationem de valore matrimoniorum mixtorum in Hollandia, receptum erat per modum adagii partem exemptam (acatholicam) alteri parti suam communicare exemptionem (cfr. n. 643, VI, 2). Verum in praesenti lege contrarium principium sancitum est, et nisi *utraque pars* a lege eximatur, matrimonium clandestine initum erit invalidum. Quare matrimonia inter partem catholicam et acatholicam sive baptizatam sive non baptizatam etiam post obtentam dispensationem non effugiunt dispositionem novi decreti.

II. Ex § 1 huius art. XI magnam immutationem subiit notio acatholici prouti anno 1859 tradita fuerat Episcopo Harlemensi; cfr. n. 643, III, 3, ubi quinque personarum acatholicarum classes enumerantur. Hodie enim exceptis iis qui quinto loco (2) nominantur, reliqui sunt, utpote *catholice baptizati,* vel *desertores,* in ordine ad clandestinitatem pro catholicis habendi. — Eamdemque normam negata dispensatione etiam *pro Germania* valere declaravit S. C. C. d. 1 Febr. 1908 ad V et VI.

Dictum est normam a decreto statutam valere in ordine ad clandestinitatem, nam in aliis partibus iuris matrimonialis, v. g. quoties agitur de petenda dispensatione in mixta religione adhuc valet regula Episcopo Harl. tradita.

Applicando principia hucusque exposita intelligitur quomodo solvi debeat sequens

Casus. Bertha nata est ex matrimonio mixto atque curante matre catholica a parocho catholico baptizata. Post duos annos moritur

(1) *De Synodo dioecesana,* l. VI, c. 6, n. 12.

(2) Quoad eos qui non tam in haeresi quam ab haereticis educantur, ac haeresim profitentur, etc. de quibus 2° loco, in ordine ad clandestinitatis legem videndum erit, utrum forsan aliquando ad Ecclesiam catholicam pertinuerint necne.

mater Berthae, quae deinceps ab infantili aetate a patre acatholico in haeresi educatur. Tandem Bertha vult nubere Cleto protestanti.

Quaer. An in casu sit matrimontum duorum acatholicorum vel matrimonium mixtum? Et consequenter, an matrimonium istud tamquam duorum acatholicorum subtrahatur decreto *Ne temere;* vel potius eidem obnoxium sit quasi matrimonium catholici cum acatholico? Si applices normam Episcopo Harl. traditam, habebis matrimonium duorum acatholicorum, nam sponsa a pueritia nondum septennali in haeresi educata est. — Hodie autem standum est tenore art. XI. § 1, ex qua catholici reputantur omnes in Ecclesia catholica baptizati. Atqui Bertha fuit catholice baptizata. Matrimonium itaque cum Cleto protestante est quasi matrimonium mixtum, quod non valebit, nisi servata forma decreti.

Si autem Bertha vellet nubere cum iuvene catholico, parochus non potest resolvere tale matrimonium secundum novam legem habendum esse tamquam duorum catholicorum et proin non indigere dispensatione in mixta religione. In ordine enim ad petendam dispensationem adhuc valet regula tradita, ex qua qui a pueritia in haeresi educantur tamquam acatholici sunt habendi.

Exceptio. Sponsalia et matrimonia catholicorum cum acatholicis subsunt decreto *Ne temere;* nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum. Multum disputatum fuit inter AA., utrum his verbis comprehenderetur quoque Declaratio Benedictina (de qua cfr. n. 643 III et IV), an vero fuerit abrogata, utpote mera declaratio, non vero statutum seu dispensatio. Tandem S. Congregatio interrogata decrevit d. 1 Febr. 1908 ad IV: Comprehendi tantummodo Constitutionem *Provida:* non autem comprehendi alia quaecumque decreta, facto verbo cum SS. et ad mentem (1). 676.

Itaque in posterum, sublatis tum declaratione Benedictina, tum aliis quibuscunque declarationibus et dispensationibus, solum in

(1) « Mens est ut scribatur Episcopis Germaniae, ut perpendere velint graviora incommoda quae proveniunt ex matrimoniis mixtis: et hinc supplicare SS^mo ut tempore opportuno abrogare Constitutionem *Provida* dignetur ». *Il Monitore*, 1909 pag. 204.

imperio Germanico etiam nunc matrimonia mixta clandestina valide iniri poterunt vi Const. *Provida*, d. 8 Ian. 1906 (1), atque in regno Hungariae vi extensionis constitutionis citatae (2).

II. Haec exceptio non extenditur etiam ad *sponsalia*, neque ad matrimonia inter partem baptizatam *et non baptizatam*, atque ex nova declaratione d. 28 Mart. 1908, ad II, valet tantum pro natis in Germania ibidem matrimonium contrahentibus, nullo respectu habito sive originis, sive domicilii.

Privilegii restrictio utramque partem afficit, ut resolvit S. C. de Sacr. 18 Iun. 1909; nim. ad dubia:

« I. Num responsum S. C. C. diei 28 Martii 1908 ad II: « Exceptionem valere tantummodo pro natis in Germania ibique matrimonium contrahentibus », ita sit intelligendum, ut in quovis casu ambo coniuges debeant esse nati in Germania, seu respective in regno Hungariae.

II. An post extensionem Constitutionis *Provida* ad regnum Hungariae, Germaniam inter et Hungariam, quoad validitatem clandestinorum mixtorum matrimoniorum, reciproca relatio habeatur, ita ut duo coniuges nati ambo in Germania matrimonium mixtum clandestinum valide ineant etiam in regno Hungariae, et viceversa, nati ambo in regno Hungariae, valide contrahant clandestino quoque modo in Germania.

---

(1) « Matrimonia mixta in quibusvis Imperii Germanici provinciis et locis etiam in iis quae iuxta Romanarum Congregationum decisiones vi irritanti capitis *Tametsi* certo hucusque subiecta fuerunt, non servata forma Tridentina iam contracta, vel (quod Deus avertat) in posterum contrahenda, dummodo nec aliud obstet canonicum impedimentum, nec sententia nullitatis propter impedimentum clandestinitatis ante diem festum Paschae huius anni legitime lata fuerit et mutuus coniugum consensus usque ad dictum diem perseveraverit, pro validis omnino haberi volumus, idque expresse declaramus, definimus atque decernimus ». — Const. *Provida*.

(2) S. C. de Sacram. 19-23-27 Febr. 1909, approbante Pio X, qui « insuper coniugia mixta post publicationem Decreti *Ne temere* in regno Hungariae hucusque contracta, non servata eisdem Decreti forma, dummodo nullum aliud dirimens impedimentum obstet, pro validis habenda esse voluit idque expresse declaravit ». — « Sous le nom de Hongrie il faut entendre non seulement la Hongrie proprement dite, avec la Transylvanie, mais encore les provinces annexées ». Alex. Tauber in *Le Canoniste* anni 1909 pag. 389 sqq.

III. Num saltem natus in Germania cum nato in regno Hungariae mixtum matrimonium valide ineat sive in Germania sive in regno Hungariae». S. C. respondit: «Ad I. Affirmative. Ad II. Negative. Ad III. Negative».

Ad § 3. Acatholici sive baptizati, sive non baptizati inter se contrahentes nullibi ligantur ad catholicam sponsalium vel matrimonii formam servandam. 677.

Animadvertendum tamen nullam insimul concedi dispensationem in aliis impedimentis: itaque non valeret matrimonium clandestinum acatholici baptizati cum acatholico *non baptizato*, nisi praevie sublatum fuerit impedimentum dirimens disparitatis cultus. Idem resolve de aliis impedimentis.

Ad § 1, n. 674 I, et § 3. Exemptio pariter locum habet, si personae diversis titulis *exemptae* inter se contrahant; v. gr. pars catholica ritus orientalis cum parte acatholica. 678.

Differentia anterioris legislationis. I. Antea acatholici reputabantur, qui tempore matrimonii ineundi ad Ecclesiam catholicam non pertinebant. 679.

II. Ex individuitate contractus antea deducebatur partem exemptam libertatem suam communicare comparti ligatae.

III. Acatholici baptizati antea per se subiacebant legi.

Scholia ad art. de clandestinitate.

I. Matrimonium clandestinum et validum, ut in foro externo ab Ecclesia recipiatur, probandum est. Deficientibus probationibus, puta si clam initum sit atque adeo desint testes et documenta authentica, matrimonium non recipitur nisi *uterque* coniux illud affirmet, *et* vèl aliud matrimonium publice contractum non supervenerit, vèl hoc posterius probetur certo irritum. 680.

II. Matrimonium conscientiae seu secretum, ut iniri possit, Episcopus ob gravem causam permittere potest sub quibusdam conditionibus, de quibus Bened. XIV in Const. *Satis vobis*. — Si res moram non patitur, puta si agitur de occulto concubinario moribundo, videtur Parochus procedere posse sine dispensatione.

CAPUT SEPTIMUM.

DE DISPENSATIONE IMPEDIMENTORUM.

ARTICULUS I.

DE POTESTATE DISPENSANDI.

681. **Summus Pontifex** iure proprio dispensare *potest* in omnibus impedimentis iuris mere ecclesiastici; *non potest* in impedimentis iuris naturalis vel divini positivi; quoad haec posteriora quaenam potestas dispensandi vel declarandi ipsi a Deo concessa sit, ex traditione et praxi colligendum est. Tum hac potestate tum praxi S. Sedis attentis, impedimenta, hoc respectu, apte dividi possunt in quatuor classes.

I. Non potest dispensare S. P., praeterquam in defectu consensus substantialis, in impedimentis proprie dictis *iuris divini*, saltem generatim secundum mox dicta.

II. Numquam dispensat in impedimentis de quibus *controvertitur* num sint iuris divini; neque vel vix umquam in *coniugicidio publico, raptu* vel *Presbyteratu.*

III. Raro dispensat et difficulter in *aetate, disparitate cultus* extra loca missionum, *clandestinitate* saltem in casibus particularibus et ad contrahendum matrimonium, *voto solemni* et *Ordine sacro.*

IV. Saepius dispensat in reliquis.

682. Organa per quae S. Pontifex solet dispensare, sunt;

I. S. C. de Disciplina Sacramentorum dispensat *pro utroque foro simul* in impedimentis natura sua vel facto *publicis.*

Ad stylum Curiae quod attinet, in sequentibus supponimus, donec aliud notum fiat, hanc S. C. servare stylum qui olim vigebat in Dataria.

II. S. Poenitentiaria dispensat *pro foro interno* in impedimentis occultis, et quandoque etiamsi natura sua publica sunt.

III. S. Officium dispensat in mixta religione et disparitate cultus. Ad dubium VI: «Utrum Congregatio pro negotiis rituum

orientalium valeat etiam in posterum concedere dispensationes matrimoniales mixtae religionis ac disparitatis cultus». S. C. Consistorialis 12 Nov. 1908 respondit: «Affirmative, excepto tantummodo privilegio Paulino, quod pertinet ad Congregationem S. Officii».

IV. S. C. de Prop. Fide quaslibet dispensationes matrimoniales *utriusque fori* procurat (1) pro locis sibi subiectis seu missionum. Pro foro interno tamen etiam in his locis recurri potest ad S. Poenitentiariam.

683. **Episcopi** quasi-ordinaria potestate dispensare possunt

I. In impedimentis dubiis, quod praecipue intellige de dubio facti; cf. n. 499, II.

II. In impedimentis occultis in casu urgentis necessitatis, quo sc. neque ad S. Sedem recurri, neque matrimonium sine scandalo vel infamia aliove gravi damno differri potest.

III. In impedimentis occultis quae contracto iam matrimonio deteguntur, pluribus tamen positis conditionibus de quibus Bened. XIV *de Syn.* l. IX, C. II.

Nota. Dictis sub II et III raro locus est, ob Ordinariorum facultates delegatas.

IV. Ex Decreto 20 Febr. 1888 dispensare possunt sive per se sive per ecclesiasticam personam sibi benevisam, aegrotos in gravissimo mortis periculo constitutos, *quando non suppetit tempus* recurrendi ad S. Sedem, super impedimentis quantumvis pubblicis et, ex decisione S. Off. 23 Apr. 1890, etiam super occultis matrimonium iure ecclesiastico dirimentibus, *excepto* sacro *Presbyteratus* ordine et *affinitate* lineae rectae ex copula licita proveniente. Quocirca

---

(1) Non ipsa concedit; nim ex Const. *Sapienti* 6, 4, «ad peculiares alias Congregationes deferat quaecumque... attingunt... matrimonium». — Supplica dirigitur ad ipsum S. Pontificem: «Beatissime Pater», expeditur ad Em. Cardinalem Praefectum S. C. P. F.

Ad dubium II: «Utrum Congregatio de Propaganda, ob peculiaria adiuncta Moderatorum dioecesum et missionum in longinquis regionibus Indiarum, Tonkini, Sinarum, Iaponiae, Australiae, Oceaniae aliisque huiusmodi, etiam in posterum concedere possit Episcopis, Vicariis Apostolicis, Praefectis vel Moderatoribus missionum *formulas* facultatum, quarum plures matrimonium respiciunt «S. C. Consistorialis 12 Nov. 1908 respondit: «Affirmative, re tamen agitata et composita cum S. C. de Sacramentis».

Nota 1. Facultas haec adhiberi solum potest casu quo aegroti matrimonium civile inierunt vel alias *in concubinatu* vivunt; ex ipso Decreto, et Resp. S. Off. 17 Sept. 1890. — Sufficit tamen ut aegrotet alteruter, etiamsi impedimentum non hunc ipsum sed alteram partem directe afficiat; S. Off. 1. Iul. 1891.

2. Facultas comprehendit clandestinitatis impedimentum. Unde iam ante Decr. *Ne temere* poterat Parochus ab Episcopo habitualiter delegatus in sua parochia vèl coniungere non suos sed extraneos inibi casu existentes, dispensando a praesentia Parochi proprii, ad quem nullimode valeret haberi recursus; vèl etiam coniungere suos sed sine testibus pariter dispensando ab eorum praesentia, cum omnino non essent qui testium munere fungi possent; S. Off. 13 Dec. 1899. — Sub vigore vero Decreti cit. iam non est distinguendum inter parochianos et extraneos; cfr. n. 645, 2° et 648, II.

3. Non comprehendit mixtae religionis impedimentum, utpote mere impediens; S. Off. 18 Mart. 1891.

4. Hanc facultatem Ordinarii possunt subdelegare *habitualiter Parochis* tantum, sed pro casibus in quibus desit tempus ad ipsos Ordinarios recurrendi et periculum sit in mora. S. Off. 1 Mart. 1899. — Parochi intelliguntur omnes qui actu curam animarum exercent; quare etiam administratores temporanei Parochiarum et deservitores; sed excluduntur vice-parochi et capellani; S. Off. 23 Apr. 1890.

5. Mens fuit, « ut si quando, quod absit, necessitas ferat, ut dispensandum sit cum iis qui sacro Subdiaconatus aut Diaconatus ordine sint insigniti, vel solemnem professionem religiosam emiserint, atque post dispensationem et matrimonium rite celebratum convaluerint, in extraordinariis huiusmodi casibus Ordinarii de impertita dispensatione S. Officii Congregationem certiorem faciant; et interim omni ope curent, ut scandalum, si quod adsit, eo meliori modo quo fieri possit removeatur, tum inducendo eosdem, ut in loca se conferant, ubi eorum conditio ecclesiastica aut religiosa ignoratur, tum si id obtineri nequeat, iniungendo saltem eisdem spiritualia exercitia aliasque salutares poenitentias, atque eam vitae rationem, quae praeteritis excessibus redimendis apta

videatur, quaeque fidelibus exemplo sit ad recte et christiane vivendum ». Cfr. n. 665, II et III.

Delegata potestate dispensant *Episcopi* et Vicarii Apo- 684.
stolici vi facultatum quinquennalium, aliarumque quae ad aliquod tempus vel pro certu casuum numero ipsis conceduntur. De quibus notanda occurrunt sequentia:

I. In concedendis dispensationibus Episcopi sequi debent praxim S. Sedis quoad causas dispensandi.

II. Non possunt Episcopi dispensare quum plura impedimenta cumulantur, *nisi* id expresse iis indultum sit. Quae tamen prohibitio cumulandi solum *respicit* 1° impedimenta *dirimentia publica* concurrentia, et 2° concursum impedimenti *dirimentis cum impediente reservato S. Sedi;* S. Off. 18 Aug. 1897: quo utroque casu Episcopus nihil dispensare potest, sed omnium impedimentorum dispensatio a S. Sede est impetranda; cfr. n. 718.

III. Episcopus potestate etiam delegata dispensare potest cum iis quoque qui solum quasi-domicilium in Dioecesi habent; S. Off. 22 Nov. 1865; item cum vagis actu in Dioecesi morantibus; non autem cum *peregrinis,* ex communi sententia, contra paucos quorum opinio difficulter componitur cum tenore Indultorum requirentium ut Episcopus iis tantum utatur cum subditis suis (1).

Si Indulto contrarium non exprimatur, uti eo poterit Episcopus etiam extra suam Dioecesim existens, et licet subditus, quem dispensat, extra illam sit. Si vero addatur: « nec illis facultatibus uti possit extra suae Dioecesis fines » vel similis clausula — talis autem clausula facultatibus quinquennalibus addi solet — iis uti tantum poterit erga suos subditos qui tempore quo dispensandi sunt in propria Dioecesi commorantur, quamvis tamen ipse extra illam degat. S. Off. 2 Maii 1877 et 19 Ian. 1881.

IV. Ex Decreto 24—26 Nov. 1897 facultates omnes speciales *habitualiter* a S. Sede Episcopis aliisque locorum Ordinariis concessae non suspenduntur vel desinunt ob eorum mortem vel a

(1) Cfr. Génicot, ed. 4ª, n. 523, 3°. Neque, sine nova S. Sedis declaratione, videtur Episcopi potestas extendi posse ad eos qui mensiiem tantum commorationem in Dioecesi, non autem quasi-domicilium habent; cfr. n. 541, III, Nota.

munere cessationem, sed ad successores Ordinarios transeunt ad formam et in terminis Decreti 20 Febr. 1888 quoad dispensationes matrimoniales. Cfr. n. 729.

V. Ad Qu. « An possit Episcopus dioecesanus subdelegare absque speciali concessione suis Vicariis Generalibus aut aliis ecclesiasticis viris, generali modo, vel saltem pro casu particulari facultates ab Apostolica Sede sibi ad tempus delegatas »? S. Off. 14 Dec. 1898 respondit:

« Affirmative, dummodo in facultatibus non prohibeatur, neque subdelegandi ius pro aliquibus tantum coarctetur; in hoc enim casu servanda erit adamussim forma rescripti (1) ».

ARTICULUS II.

DE CAUSIS DISPENSANDI.

685. Causa iusta ad valorem dispensationis semper, practice saltem, requiritur, quia sine ea Superior vèl non intendit, vèl, si potestate delegata tantum gaudeat, neque potest dispensare (2).

Distinguuntur causae: I. Aliae sunt finales quae efficaciter movent seu sufficiunt, et sine quibus dispensatio vèl nequaquam vèl in alia forma seu sub quibusdam conditionibus et limitationibus concederetur; aliae impulsivae quae solae non sufficiunt, et quibus sublatis dispensatio tamen in eadem forma concederetur.

II. Aliae sunt honestae, aliae infamantes. Posteriores si occultae sunt, exponi nequeunt pro foro externo sine consensu oratorum.

III. Aliae dicuntur canonicae, quae stilo Curiae Romanae receptae sunt; aliae non canonicae.

Causae canonicae 16 referuntur in Instr. S. C. de P. F. 9 Maii 1877; ex qua praevie

(1) Aliud est si Episcopo commissa tantum est executio dispensationis a S. Sede concessae: qua de re agitur infra n. 729; haec nim. executio subdelegari nequit nisi secundum terminos Decreti 20 Febr. 1888. In hunc quoque sensum respondit S. Off. 1 Iun. 1904.

(2) Cfr. tamen n. 705, II.

Nota 1°. « Unam aliquando causam seorsim acceptam insufficientem esse sed alteri adiunctam sufficientem existimari ».

2°. In ipsa Instr. cit. causae recensitae tamquam receptae dicuntur « *communiores potioresque* ». Ergo etiam aliae allegari possunt.

Practice itaque iuvabit in supplica enumerare quaecumque profutura credi possunt.

Causae canonicae ex Instr. cit. sunt: 686.

I. « Angustia loci sive absoluta sive relativa (ratione tantum oratricis), cum sc. in loco originis, vel etiam domicilii, cognatio feminae ita sit propagata ut alium paris conditionis, cui nubat, invenire nequeat, nisi consanguineum vel affinem; patriam vero deserere sit ei durum ».

1. *Angustus* dicitur locus qui non ultra 1500 catholicos continet. Subinde tamen propter *altiores oratricis qualitates* angustia loci admittitur pro locis etiam amplioribus; exprimendus tamen tunc est, saltem approximative, numerus virorum eiusdem qualitatis in loco existentium.

2. *Locus* intelligitur *originis* nisi aliud expresse dicatur. Quare si locus habitationis seu domicilii differt a loco originis, hoc omnino exprimatur, addito praesertim utrum parentes quoque locum originis oratricis reliquerint, et utrum alteruter tantum an vero uterque locus sit angustus.

Nota. Plura hic et in sequentibus notantur exprimenda in supplica, non tam absolute ad valorem, quam ad praecavendum ne in rescripto occurrat clausula quae faciat ut dispensatio fulminari nequeat nisi denuo scribatur et rescribatur.

Si orator non est ex eodem loco oriundus vel non habitat ibidem, hoc quoque exprimatur.

Quoad locum habitationis opportune etiam exprimitur sitne domicilii an quasi-domicilii; in utraque autem hypothesi requiritur ut habitatio sit notabilis et satis firma; imo quasi-domicilium solum non sufficit, si oratrix alibi per modum domicilii habitat. Si autem iure quidem habeat alibi domicilium, ubi tamen de facto non habitat, allegari quidem posse quasi-domicilii loci angustia videtur, non tamen omissa illius domicilii mentione.

Locus hic non intelligitur parochia vel civilis communitas, sed quaelibet agglomeratio habitantium ab aliis agglomerationibus vicinis satis distincta; ita ut unus locus plures parochias, una parochia plura loca complecti possit. Quodsi talis agglomeratio èt nomine èt facto sit a vicinis distincta, non officit quod parum ab aliis distat. Secus, puta si agitur de suburbio, requiritur ut tertia circiter parte leucae ab urbe vel pago distet: deducitur ex Resp. Datariae Ap. ad S. C. C. 8 Mart. 1884. Praeterea quoad distantiam attendenda etiam est difficultas viarum.

3. « Cum in loco . . . invenire nequeat ». Non ergo impeditur haec causa, etsi ex alio loco haberi posset.

4. « Alium *paris* conditionis ». Id late accipitur: de statu, aetate, opibus, moribus, etc.

Supponitur oratrix esse ex honesta familia; quodsi infamiae aliqua ratio existat, hoc erit exprimendum.

5. « *Invenire nequeat* ». Quod satis verificatur, si *nunc* a nemine loci incola paris conditionis in matrimonium rogatur, licet antea rogata fuerit. Si tamen ex sola animi levitate plures huiusmodi olim recusaverit, hoc consultius saltem exprimitur.

Quodsi unus alterve tantum paris conditionis eam roget hoc exprimatur; at S. Sedes nihilominus facile dispensabit.

6. « Ratione tantum *oratricis* ». Haec causa nempe *plerumque non sufficit* si existat ex parte *solius viri.*

687. II. « Aetas feminae superadulta, si sc. 24^{m} aetatis annum iam egressa hactenus virum paris conditionis cui nubere possit, non invenit. Haec vero causa non suffragatur viduae quae ad alias nuptias convolare cupiat ».

1. Si etiam ultra 24^{m} annum sit notabilis excessus aetatis, expedit ut vera aetas exprimatur, quo facilius dispensatio obtineatur (1).

2. Etiamsi nulla praecesserit virum inquirendi diligentia, vel oratrix ex alio loco virum paris conditionis habere potuerit vel possit, haec causa nihilominus allegari potest. Hodie sc. cer-

(1) Aetatem tamen supra annum 40^{m} nonnulli dicunt non haberi per se sufficientem causam. Unde sequeretur hoc in supplica necessario exprimendum esse. Cfr. Pompen *Tr. de dispensationibus* etc. n. 35, Nota 1.

tum est, sufficere *si certo constet de aetate superadulta;* S. Poen. 5 Apr. 1902.

3. « *Haud suffragatur* », i. e. non sufficit pro vidua; sed cfr. causa V.

III. Deficientia aut incompetentia dotis, si nempe femina non habeat actu tantam dotem ut extraneo aequalis conditionis qui neque consanguineus neque affinis sit, nubere possit in proprio loco, in quo commoratur. Quae causa magis urget, si mulier penitus indotata existat, et consanguineus vel affinis eam in uxorem ducere aut etiam convenienter ex integro dotare paratus sit ». 688.

1. « *Dotis* » nomen non stricte de regimine dotali, sed late accipitur de bonis fortunae quibus onera matrimonii ferantur.

2. « Actu », etsi habeat spem certam postea habendi dotem competentem; puta quia habet parentes divites, qui tamen actu filiam non sufficienter dotent, neque ad id secundum legem civilem cogi possint; item indotata vel minus sufficienter dotata dicitur mulier, cui in actu matrimonii assignantur bona, sed vel non sufficientia, vel intricata, cfr. causa sq.; vel si assignatio post obitum tantum parentum effectum suum sit habitura.

3. « Aequalis conditionis ». Hinc insufficiens non habetur dos, quae sufficit habendo viro aequalis conditionis, quaeque tantum est incompetens spectatis divitiis illius quocum impedimentum existit.

In proprio loco; cfr. n. 686 sub 3 et 5.

4. « Ducere aut dotare ». Perinde est utrum bona oratoris suppleant doti quae oratrici deest, an vero tertia persona, ad id alias non obligata, ei offerat dotem sub conditione si nubat tali personae.

5. « Causa magis urget ». Maiori huic favori videtur etiam locus esse, si vir locupletioris fortunae mulierem, pro qua ceteroquin allegari haec causa potest, ducere velit in uxorem sub regimine communionis bonorum: quae tamen circumstantia exprimatur.

IV. « Lites super successione bonorum iam exortae vel earumdem grave aut imminens periculum. Si 689.

mulier gravem litem super successione bonorum magni momenti sustinet, neque adest alius qui litem huiusmodi in se suscipiat propriisque expensis prosequatur, praeter illum qui ipsam in uxorem ducere cupit, dispensatio concedi solet; interest enim reipublicae ut lites extinguantur. Huic proxime accedit alia causa, sc. Dos litibus involuta, cum nim. mulier alio est destituta viro cuius ope bona sua recuperare valeat. Verum huiusmodi causa nonnisi pro remotioribus gradibus sufficit ».

690. V. « Paupertas viduae quae numerosa prole sit onerata, et vir eam alere polliceatur. Sed quandoque remedio dispensationis succurritur viduae ea tantum de causa quod iunior sit atque in periculo incontinentiae versetur ».

Expedit ut exprimatur numerus et generali modo aetas filiorum, praesertim si plures sint et iuniores. Aliae non raro circumstantiae concurrunt, quibus crescit dispensandi ratio, uti quod vidua est infirma, iunior, orbata parentibus (1).

691. VI. « Bonum pacis ... extinctio gravium inimicitiarum, rixarum et odiorum civilium. Haec causa adducitur ad extinguendas inimicitias quae inter contrahentium consanguineos vel affines ortae sint, quaeque matrimonii celebratione omnino componerentur, vel quando inter contrahentium consanguineos et affines inimicitiae graves viguerint, et licet pax inter eos inita iam sit, celebratio tamen matrimonii ad ipsius pacis firmationem maxime conduceret ».

1. Inimicitiae supponuntur aliunde quam ex causa matrimonii exortae. Nomine autem inimicitiarum *etiam lites* de rebus magni momenti allegari possunt.

2. Huc reduci quoque posse videtur *evitatio* litium vel inimicitiarum quae timentur et matrimonii celebratione praevenirentur.

3. Crescit huius causae vis si de familiis agitur quarum pax publico etiam bono prospicit.

692. VII. « Nimia, suspecta, periculosa familiaritas, necnon cohabitatio sub eodem tecto, quae facile impediri non possit ».

---

(1) In S. Poenitentiaria admittitur etiam *aetas florens* (25 an.), *aetas iunior* (30 an.), aut aetas provectior, si periculum est incontinentiae. Circumstantia viduitatis exprimenda est. Gasp. ed. 3ª, n. 357 in nota.

Secundum plerosque etiam *cohabitatio* supponitur *saltem suspecta; verum* ex collatione huius causae cum nona potius deducendum videtur hanc causam magis niti ideoque ponderari peccandi periculo quam ipsâ iam infamiâ; cfr. Vlaming n. 352.

VIII. « Copula cum consanguineo vel affine vel alia persona impedimento laborante praehabita, et praegnantia ideoque legitimatio prolis, ut nempe consulatur bono prolis ipsius et honori mulieris, quae secus innupta maneret ». 693.

1. Hanc causam passim AA. interpretantur de copula publice nota vel saltem verisimiliter divulganda. Nihilominus etiam copula occulta allegari potest, si mulieris intersit ut nubat ei quocum peccavit, puta ne detrimentum, iurgia et inimicitiae inter oratorum familias, scandala oriantur, ut ulteriora incontinentiae pericula praecaveantur.

2. « Innupta maneret », adde: vel virum paris conditionis non inveniret.

IX. « Infamia mulieris ex suspicione orta quod illa suo consanguineo aut affini nimis familiaris cognita sit ab eodem, licet suspicio sit falsa, cum nempe, nisi matrimonium contrahatur, mulier graviter diffamata vel innupta maneret, vel disparis conditionis viro nubere deberet, aut gravia damna orirentur ». 694.

X. « Revalidatio matrimonii quod bona fide et publice, servata Tridentini forma, contractum est, quia eius dissolutio vix fieri potest sine publico scandalo et gravi damno, praesertim feminae. At si mala fide sponsi nuptias inierunt, gratiam dispensationis minime merentur, sic disponente Conc. Trid. ». 695.

In casu malae fidei hodie facilius quam olim dispensatio conceditur, praesertim prole iam nata et civili matrimonio contracto.

XI. « Periculum matrimonii mixti vel coram ministro acatholico celebrandi ». Unde « non modo gravissimum fidelium scandalum, sed etiam timor perversionis et defectionis a fide taliter agentium . . . maxime in regionibus ubi haereses impune grassantur » — Hinc dicitur quoque *periculum fidei.* 696.

Periculum debet esse peculiare, non commune tantum, saltem ut habeatur causa *finalis;* et indicandum est unde constet periculum istud existere.

697. XII. « Periculum incestuosi concubinatus ».

XIII. « Periculum matrimonii civilis ». Exprimatur utrum timor matrimonii civilis nitatur animo a partibus manifestato, an vero solius Parochi vel Confessarii iudicio.

Etiam *dispensatio regia* in civili impedimento iam obtenta utiliter allegari potest.

Urgens pariter causa est *matrimonium civile iam contractum.*

Nota ad causas XI, XII et XIII: monent AA. recurrendum non esse si *utraque pars* pervicacibus matrimonii mixti etc. minis ad dispensationem concedendam cogere velit.

698. XIV. « Remotio gravium scandalorum ». Scandalorum nomine intelliguntur non solum peccata incontinentiae, sed etiam inimicitiae, odia aliaque gravia cuiusvis generis peccata.

699. XV. « Cessatio publici concubinatus ».

Nota ad causas XI-XV: Has omnes simul causas complectitur ea quae ab AA. dicitur *salus animarum,* ad quam revocantur periculum seductionis vel incontinentiae, difficultas a familiari conversatione retrahendi, actus graviter peccaminosi saepius intercedentes seu periculum perseverantiae in peccatis propter occasionem difficulter removibilem, periculum scandalorum; cfr. n. 692.

700. XVI. « Excellentia meritorum, cum aliquis aut contra fidei catholicae hostes dimicatione, aut liberalitate erga Ecclesiam, aut doctrina, virtute aliove modo de Religione sit optime meritus ».

1. Exprimatur in specie unde quis bene meruerit.

2. Allegari quoque possunt merita progenitorum; imo et extranei sua merita allegare possunt in favorem nupturientium pro quibus interveniunt.

3. Huc referri potest casus, quo oratores nobiles vel saltem ex familia valde honesta sine allegatione causae specialis allegant suum statum rogantes ut secum dispensetur ex certis et rationabilibus causis animum suum moventibus. Si dispensatio conceditur, oratoribus imponitur maior *componenda* in pios usus impendenda. Dicitur etiam dispensatio *sine causa,* pariterque componendae augmentum *causa sine causa.* — Hoc modo dispensatio peti nequit a S. Poenitentiaria, neque ab Episcopo etsi delegatis facultatibus munito.

I. Causae minus communes referuntur: dignitas regia, praerogativa principalis, conservatio illustris familiae, conservatio bonorum in illustri familia, 701.

II. Causae impulsivae saltem censentur: conservatio bonorum in familia; puella alterutro vel utroque parente orbata, illegitima, infirma, deformis, ab alio iam deflorata. Orator infirmitate detentus; viduus prole oneratus cui quaerit bonam matrem; adiutorio indigens huius mulieris, puta ad rem domesticam gerendam. Propositum contrahendi divulgatum; convenientia matrimonii; boni mores oratorum; bonum parentum, si pater vel mater indiget adiutorio; etc. Tandem generatim, quotiescumque ea sunt casus adiuncta, ut nisi concedatur dispensatio, femina cogatur aut manere innupta aut nuptias se indignas contrahere, atque de eo constat, *sufficiens* est causa, undecumque provenit; cfr. n. 685, III et Vlaming n. 362.

ARTICULUS III.

DE MODO DISPENSATIONIS PETENDAE.

§ I. — *Quis a quo petere debeat?*

I. Conficitur supplica dispensationis et expeditur, ex usu universaliter recepto, non ab ipsis oratoribus seu nupturientibus, sed pro his a Parocho si *pro foro externo* seu in impedimento publico, a Confessario si *pro foro interno* petenda est dispensatio. — Confessarius non Parochus si detegat impedimentum canonice publicum, poenitentem remittit ad Parochum. 702.

Publica vel occulta esse possunt impedimenta tum naturâ suâ tum facto.

II. Occulta impedimenta *natura sua* sunt ea quae ex crimine oriuntur et consequenter plerumque difficilis sunt probationis. sc. impedimenta criminis et affinitatis ex copula illicita. *Facto* occulta ex praxi S. Poenitentiariae alia dicuntur *omnino occulta* — quale requiri solet pro impedimento ex coniugicidio —

quae non possunt probari per duos testes. Si tamen impedimentum, praeterquam oratoribus et Confessario, uni adhuc notum est, saltem expedit ut hoc dicatur; secundum aliquos oportet. Alia dicuntur *simpliciter occulta* quae non creduntur divulganda, etsi nota sint paucis, puta regulariter si 2 vel 3 personis in parvulo loco, 5 vel 6 in parva urbe, 7 vel 8 in civitate; sed attendendum quoque est qualibus personis res nota sit: num consanguineis, amicis, prudentibus, an extraneis, inimicis, loquacibus. — In dubio de sufficientia occulti, indicentur circumstantiae ad rem pertinentes.

Nota 1. Occultum censetur impedimentum quod est *formaliter occultum,* sc. qua impedimentum, *materialiter publicum non ut criminosum,* i. e. quoad solum factum quod induxisse impedimentum ignoratur neque in crimen vertitur; uti publica honestas ex sponsalibus publice notis; aliud v. gr. foret de affinitate ex copula illicita notoria, vel de impedimento criminis ex adulterio etc. notis.

2. Si impedimentum est *occultum ubi degunt* nupturientes, sed *alibi publicum,* haec circumstantia est exprimenda, et si fuit omissa, supplenda.

3. Impedimentum antea publicum sed *oblivioni datum,* reputatur occultum si *per decennium* sic manserit.

703. I. Si de *contrahendo* matrimonio agitur, publica habentur, ita ut dispensatio pro foro externo sit petenda, omnia impedimenta, exceptis crimine et affinitate ex copula illicita dummodo haec etiam facto occulta sint. Controvertitur de publica honestate orta ex sponsalibus occultis. Certo autem S. Poenitentiaria in hoc impedimento dispensare potest pro foro interno sive de contrahendo sive de contracto matrimonio agitur.

II. Si de *contracto* matrimonio revalidando agitur, dispensatio pro foro interno, saltem a S. Poenitentiaria, *praeterea* peti potest in impedimentis occultis cognationis spiritualis, consanguinitatis et affinitatis ex copula licita in gradibus 3° et 4° — in quibus, etiamsi impedimentum publicum sit, revalidare S. Poenitentiaria potest matrimonia ex causa subreptionis vel obreptionis *occultae* Litterarum Apostolicarum nulliter contracta — item in

2° gradu aequali, sed tantum si impedimentum saltem per decennium duraverit occultum, et oratores publice contraxerint et uti coniuges legitimi reputati fuerint.

Ceterum, quia Maior Poenitentiarius si extraordinaria potestate indigeat, eam a S. Pontifice impetrare potest, concludere licet in aliis etiam impedimentis, modo sint occulta, dispensationem pro foro interno obtineri posse, si rationabilis causa existat, praesertim ad matrimonia revalidanda.

I. Pro utroque foro praxis invaluit et consultissimum 704.
est, ut supplica dirigatur, vel saltem expediatur, ad Ordinarium, qui vèl ipse dispensat vèl Romae dispensationem petit. *Excipe pro foro interno* si *sigillum* sacramentale vel *fama* nupturientium aliud exigant; cfr. n. 718, II.

Nota. Si Ordinarius negaverit dispensationem, eadem a S. Sede peti potest. etiam nulla facta denegationis mentione. *Si S. Sedes ob insufficientiam causae negaverit* dispensationem, eadem, *eâdem allegata causa,* ab Ordinario videtur peti non posse, ob dictum n. 684, I. Sunt tamen qui putent posse peti *pro foro interno* iusta existente causa.

II. Pro foro externo 1. *si impedimentum proprium* est alterutri vel utrique parti, dispensatio petitur per respectivum Parochum, et, si nupturientes ad diversas Dioeceses pertinent, a respectivo Episcopo.

2. *Si impedimentum commune* est seu correlativum, et 1° oratores *diversae Parochiae* sunt, « ex communi more *Parochus sponsae* dispensationem petere solet, qui tamen non omittet Parochum sponsi invitare, ut, si quid in Domino animadvertendum censeat, id tempestive nuntiare velit ». — 2° « Si nupturientes ad *diversas Dioeceses* pertineant, ex praxi hic recepta, *ab utroque Ordinario* dispensatio vel saltem eius approbatio postulanda est ». Stat. Dioec. Neerl. cap. XVII. Quodsi itaque solus sponsae Parochus a suo Ordinario petat dispensationem. hanc obtentam, antequam partibus communicet, mittat ad Ordinarium sponsi ad ratihabitionem. — Iure communi tamen dispensatio unius Episcopi certo sufficit, ex Resp. S. Poen. 4 Sept. 1839, si vi Indulti Apostolici, et probabilius quoque si iure quasi-ordinario dispenset, quum eadem valeat ratio quod « sublato impedimento ex una parte etiam altera pars libera evadit ».

Nota. Si alterutra pars non est catholica, dispensatio petitur per Parochum et ab Episcopo solius partis catholicae.

III. Pro foro interno dispensationem petit Confessarius qui impedimentum detegit, nisi forte alterius partis Confessarius hanc curam iam in se suscepit (1).

IV. Nomine nupturientium generatim petitur dispensatio: 1° si impedimentum est *uni parti proprium,* petitur illius tantum nomine; 2° si *utrique parti proprium,* utriusque seorsim nomine; 3° si *utrique parti commune,* utriusque simul nomine.

Excipe ad 3m, 1) si impedimentum *uni tantum parti notum* est vel manifestari potest, alteri vero parti ignotum est neque manifestari sine gravi incommodo potest, puta in casu affinitatis ex copula illicita: quo casu solius partis consciae nomine dispensatio petitur; 2) *solius partis catholicae* nomine petitur dispensatio, si altera pars non est catholica.

Insciis partibus, vel etiam invitis, peti potest dispensatio; sed tum postea ab una saltem parte acceptari debet. Hoc tamen ne fiat, nisi quum circumstantiae suadent impedimentum ipsis partibus solum revelare una cum dispensatione iam obtenta (2).

---

(1) Difficultas oriri potest si *nupturiens extra suam Dioecesim confitens* aperiat peccatum ex quo ortum sit impedimentum. Confessarius namque neque a suo neque a poenitentis Episcopo delegari poterit ad dispensandum: cfr. n. 684, III; et plerumque neque Romam recurrendo tempestive obtineri poterit dispensatio, etsi ponatur poenitentem ad eundem Confessarium posse reverti. Si de impedimento criminis agitur, et alter nupturiens in sua Dioecesi confitetur, minor erit difficultas: sperari tunc potest fore ut compartis Confessarius dispensationem petat; praeterea si poenitens impedimentum ignorat, favet illi opinio impedimentum negans. In hypothesi frequentiore affinitatis illegitimae contractae obvia ut plurimum solutio erit monere poenitentem ut Parocho suo — cfr. n. 567, III, 4 — vel saltem Confessario suae Dioecesis casum manifestet. At, si poenitens ignorat impedimentum, periculosum aliquando esse potest eum hac de re monere; cfr. n. 552. — Eadem difficultas occurrere potest Sacerdoti in aliena Dioecesi Confessiones excipienti, brevi inde discessuro. — Pro his et similibus casibus Confessario, saltem post contractum matrimonium, optime servire potest Pagella S. Poenitentiariae qua ad tempus conceditur facultas dispensandi contracto matrimonio in impedimentis occultis affinitatis et criminis neutro machinante.

(2) Cfr. Pompen n. 96.

§ II. — *De ipsa Supplica conficienda.*

705. I. Necessario exprimenda in supplica alia sunt ex iure communi, alia ex stylo Curiae i. e. ex praxi et voluntate S. Sedis; idque « ita ut si, etiam ignoranter, taceatur veritas, aut narretur falsitas, dispensatio nulla efficiatur »; Instr. S. C. P. F. 9 Maii 1877, ex qua ea recensebimus, notaturi quae pro praxi utiliter vel ob posteriora S. Sedis documenta necessario addi videbuntur.

II. Inter documenta haec imprimis notanda hic occurrit lex quae 29 Iun. et 29 Sept. 1908 constitutioni Pii X *Sapienti Consilio* eiusdem iussu accessit, nim. « Ordo servandus etc. », ubi in Parte altera, Cap. VII, Art. III, quoad hanc materiam statuitur:

« 21° Dispensationes a minoribus impedimentis concedentur omnes *ex rationabilibus causis a S. Sede probatis*. Sic vero concessae perinde valebunt ac si *ex motu proprio et ex certa scientia* impertitae sint; ideoque nulli erunt impugnationi obnoxiae sive obreptionis vitio sive subreptionis ». Porro

« 19° Dispensationes *gradus minoris* sunt ab impedimentis:

a) consanguinitatis et affinitatis tertii et quarti gradus lineae collateralis, sive aequalis sive inaequalis, hoc est quarti gradus mixti cum tertio, et quarti vel tertii mixti cum secundo.

b) affinitatis in primo gradu, et in secundo simplici vel mixti cum primo, ubi hoc impedimentum ex illicito commercio procedat;

c) cognationis spiritualis cuiusvis generis;

d) publicae honestatis, sive per sponsalia sive per matrimonium ratum, super quod iam dispensatum sit, fueritque solutum.

20° Dispensationes *maioris gradus* concedi solitae, interveniente legitima causa, sunt ab impedimentis:

a) consanguinitatis secundi gradus lineae collateralis aequalis, et sesecundi vel tertii gradus primum attingentis;

b) affinitatis primi et secundi gradus lineae collateralis aequalis, et secundi vel tertii gradus primum attingentis;

c) criminis ex adulterio cum promissione futuri matrimonii ».

III. Dicenda respiciunt ordine 1° *personas* oratorum, 2° *impedimenta et circumstantias*, 3° *causam* dispensandi, 4° *statum fortunae* oratorum. 1^{m} et 4^{m} ad solum forum externum, 2^{m} et 3^{m} ad utrumque forum spectant.

I. *De Personis.*

706. Pro foro externo exprimi debet

1° « Nomen *(voornaam)* et cognomen *(familienaam)* oratorum, utrumque distincte ac nitide, ac sine ulla litterarum abbreviatione scribendum ».

Error in nomine vel cognomine 1° si est *minimus,* ut error litterae vel syllabae vel nominum transpositio vel unius tantum nominis expressio, *non irritat* disponsationem, *modo* constet de personis. 2° Quoties inde *dubia* redditur *identitas* personarum, *irritat* dispensationem. 3° Error maior, puta *nomen pro nomine,* non tamen dubium ingerens de personis, num irritet *controvertitur;* sed attento stylo Curiae affirmandum videtur. Post factum itaque scribatur pro correctione, idque etiamsi in sola Ordinarii fulminatione error irrepserit; cfr. n. 759, VII.

2° « Dioecesis originis vel actualis domicilii.... » — Hodie, post Decretum S. Off. 20 Febr. 1888 sufficit clare indicare Dioecesim cuius Ordinarius dat litteras testimoniales vel preces ad S. Sedem transmittit; cfr. n. 729, III.

Nota. Si ab Episcopo obtinenda est dispensatio, ex Stat. Dioec. Neerl. cap. XVII exprimi debet « *locus* originis *et* domicilii — Harlem. *Et Parochia — utriusque* oratoris »; — Bred. Dioecesis et *Parochia* (1) ».

707. Pro foro interno oratores *nominibus fictitiis* designantur neque fit mentio Dioecesis vel loci oratorum, sed accurate indicandus est locus quo mittendum est rescriptum.

II. *De impedimentis et circumstantiis.*

708. « Species etiam infima impedimenti.... Gradus consanguinitatis etc..... Numerus impedimentorum..... » exprimenda sunt.

(1) Oratorum qualitates non per se ad valorem dispensationis exprimendae. Ex praxi tamen hodierna Curiae Romanae dicunt exprimendam esse *aetatem* in gradibus propinquioribus, praecipue in gradu secundo tangente primum consanguinitatis vel affinitatis, et in cognatione spirituali inter levantem et levatam ac vice versa. — *Altiorem familiae qualitatem* exprimere valde expedit, si dispensatio in propinquiori gradu petitur, vel angustia loci pro causa allegatur. Cfr. Pompen n. 22, Nota.

Error in specie impedimenti semper irritat dispensationem.

De consanguinitate exprimatur 709.

1° *Linea,* non tamen necessario, quia semper praesumitur collateralis, et in recta non dispensatur.

2° *Gradus* qui *si inaequalis, uterque* exprimendus est, idque 1) pro utroque foro *ad valorem* dispensationis, *si* gradus propinquior est *primus;* 2) *si non est primus,* 1° nihilominus *ad valorem* pro dispensationibus *a S. Poenitentiaria* obtinendis, quia haec semper dispensat super utroque gradu; 2° pro dispensationibus *a S. C. de disciplina sacramentorum* obtinendis solum *ad liceitatem* fulminationis et matrimonii huiusque usus: quare si non fuerit expressus, praevie petendae sunt *litterae declaratoriae* non obstare reticentiam gradus propinquioris.

Si petitur dispensatio ab Episcopo potestate delegata dispensaturo, eodem modo resolvendum et distinguendum videtur prout nim. facultate a S. Poenitentiaria vel ab alia S. Congregatione ipsi concessa usurus est.

Generatim *non necessario* dicitur uter, orator an oratrix, sit 710.
in gradu propinquiore. — Excipiunt multi *si primus* gradus tangatur, quia multo difficilius dispensatur si mulier quam si vir est stipiti propinquior; quare *summum* ad valorem hoc spectabit, *si oratrix* est propinquior; sed et hoc dubium videtur, quia non habetur in Instructione.

Nota. Praestat ut semper primo loco ponatur gradus propinquior, quia idem observatur in rescriptis apostolicis. — Gradus aequalis dicitur simplex, inaequalis vero mixtus. Et haec est propria et maxime usitata significatio vocum: simplicis et mixti. Sed non raro gradus mixtus significat eiusdem impedimenti multiplicitatem; interdum quoque significat concursum cum alio et diverso impedimento. Prima autem significatio non est facile praetereunda nec excludenda, etiamsi alia quoque videatur adesse; Feije n. 627.

Error in gradu certo *irritat* dispensationem si ponatur 711.
gradus remotior loco propinquioris; *controvertitur* si propinquior ponatur pro remotiore: affirmantes nituntur Resp. S. C. P. F. 7 Iun. 1853; sed hoc spectat facultatem dispensandi, non ipsas dispensationes nisi legitima probetur extensio; hanc sententiam se-

quitur in praxi S. Poenitentiaria; pro foro externo videtur contraria, negans, recepta.

712. 3° *Duplex* vel *multiplex* consanguinitas necessario exprimitur, si adest, et addunt AA.. *num sit ex eodem an ex diversis stipitibus;* at hoc posterius non habetur in Instructione; sed cfr. n. 612, nota.

Error in numero, *dummodo casus exponatur uti est,* non irritat dispensationem. Ita declaravit S. Off. 22 Febr. 1899 quoad casum de quo n. 615; id quod similibus casibus applicari potest.

713. De affinitate pariter exprimuntur *linea* recta vel collateralis — si agitur de primo gradu ex copula licita praesumitur linea collateralis — *gradus* et *multiplicitas,* ut nn. prr. dictum est; praeterea si gradus est 1ˢ vel 2ˢ num orta sit *ex licita an illicita copula.* — *De errore in gradu* item dicendum ac n. 711. — De multiplicitate cfr. n. 624, 4°.

Opportune semper — sed maxime quoad affinitatem illegitimam, et quoad legitimam quoque si gradus est 1ˢ vel si 1ˢ tangitur — exprimitur *provenientia* affinitatis; item, quoad affinitatem illegitimam, personam, sed praecipue mulierem, quacum copula habita est, adhuc *superstitem* esse: dicendo v. gr. « primo affinitatis illegitimae gradu lineae rectae (vel collateralis) se attinent ex eo proveniente quod orator matrem (filiam vel sororem) oratricis adhuc superstitem (vel defunctam) carnaliter cognovit ». — Imo quoad affinitatem legitimam nonnulli, quoad illegitimam plures dicunt necessario exprimi provenientiam, si est gradus primus vel hic tangitur; idemque multi dicunt de circumstantia superstitis complicis copulae illicitae, saltem mulieris. Plerique tamen silent de utraque hac necestitate; silet quoque Instructio: quare valde dubia videtur, saltem ad valorem.

Nota. Attendatur ad publicam honestatem, quoties non continetur per se in affinitate; cfr. n. 627 et 629.

714. Si eadem — i. e. cum eadem persona — copula, unde orta est affinitas occulta, iteratur *nondum fulminata dispensatione,* etsi iam petita et obtenta, *certo* non est opus denuo recurrere; *si post* fulminatam dispensationem, *controvertitur;* negat S. Alph. n. 1140 nixus Resp. S. Poen. 21 Sept. 1752.

De publica honestate pariter exprimuntur *linea, gradus* et *multiplicitas,* et, si gradus est primus, num orta sit *ex sponsalibus an ex matrimonio.* Si ex sponsalibus, pro foro externo necessario, apud S. Poenitentiariam opportune additur *sponsalia esse soluta,* et utrum *morte an mutuo consensu.* Attamen *sola solutio ipsa* sponsalium ad valorem requiritur — in foro externo semper, in S. Poenitentiaria quum rescripto addit clausulam: « dummodo priora sponsalia mutuo consensu fuerint soluta » — *non* solutionis *in supplica expressio;* ideo neque error in modo quo soluta sunt, irritam redderet dispensationem. 715.

1. *Linea et gradus* consultius exprimuntur indicando personam quacum sponsalia contracta fuerunt; cfr. n. 713.

2. *Quoad multiplicitatem* necesse non videtur mentionem facere sponsalium initorum cum eadem persona quacum deinde matrimonium fuit contractum.

De cognatione spirituali exprimitur 1° « utrum sit *inter levantem et levatum* vel *inter levantem et levati parentem;* 2° probabilius, num sit *ex Baptismo* an *ex Confirmatione* — hoc tamen non addit Instructio; sed videtur requiri ex stylo Curiae; 3° *duplicitas* vel multiplicitas. 716.

De crimine exprimitur 1° *unde ortum* sit; 2° *duplicitas* vel multiplicitas — et hinc, probabiliter saltem, circumstantia *duplicis formalis adulterii;* quamquam de hoc tacet Instructio; sed cfr. n. 637. 717.

De numero impedimentorum regula est: in una eademque supplica (v. infra II) exprimi debent omnia impedimenta concurrentia, sive dirimentia sive impedientia, sive publica sive occulta. Hinc 718.

I. Si detegatur post dispensationem obtentam, sive nondum sive iam fulminatam, aliud impedimentum quod *saltem ante fulminatam* disponsationem extitit vel ortum est, nova dispensatio pro omnibus simul impedimentis petenda est.

Aliud est, *si oritur* novum impedimentum solum *post* fulminatam dispensationem; tum sufficiet recurrere pro hoc altero impedimento. Neque tunc opus est, saltem generatim, dispensationis olim obtentae mentionem facere; excipiunt multi 1° si in voto

nova dispensatio pro alio matrimonio petitur: cfr. n. 572, III, 3°; — 2° si ex eodem crimine oritur impedimentum; cfr. n. sq.

II. Si concurrant impedimentum publicum et occultum quod sine infamia vel sigilli fractione manifestari nequit, non potest utrumque simul exprimi in supplica pro foro externo, nisi forte partes praebeant consensum, qui tamen rarissime petendus est (1). In casu itaque in supplica pro foro externo exponuntur sola publica, sed *omnia exprimenda* sunt in supplica *pro foro interno,* in qua petitur dispensatio pro occulto vel occultis, addendo dispensationem pro publico vel publicis peti vel petitum iri pro foro externo.

Quodsi diffamationis vel fracti sigilli periculum imminet ex eo quod ad eumdem Ordinarium mittitur utraque supplica, neque periculum hoc removeri potest — v. gr. curando ut per sacerdotem alibi habitantem dispensatio petatur — tum vèl nupturientis, alterutrius aut utriusque pro circumstantiis, consensus petatur si convenienter peti possit; vèl, si per tempus licet, directe Româ petatur dispensatio pro foro interno. Si prius, Confessarius habitae licentiae ne faciat mentionem, et, si fieri possit, alleget causam dispensandi aliam ac eam quae pro foro externo allegatur.

719. „Variae circumstantiae„ exprimendae sunt, « sc. an matrimonium sit contrahendum vel contractum; si iam contractum, aperiri debet an bona fide saltem ex parte unius, vel cum scientia impedimenti; item an praemissis — vel si omissae an rite dispensatis — denuntiationibus, et iuxta formam Tridentini, vel an spe

(1) Casus petendi hunc consensum vix adesse potest nisi *et* utraque supplica ab eodem Sacerdote, qua Parocho simul et Confessario, conficienda sit, *et* agatur de impedimento occulto cuius uterque sponsus conscius est. Sed neque tunc ut plurimum hoc expedit. Quod si fiat, in supplica dicatur id fieri de consensu oratorum; ne sc. Ordinario sigillum sacramentale violatum videatur. — Ad rem advertit Vlamig n. 370, III, *c* in nota: « In casu affinitatis ex copula illicita etiam famae illius personae consanguineae, quacum copula fornicaria fuerit patrata, aliquando ratio erit habenda ». Meritoque addit: « Universa illa praxis sc. faciendi mentionem impedimenti occulti in supplicatione pro foro externo, ideo praesertim parum mihi placet, quia non video quomodo futurum non sit ut impedimenti occulti mentio tunc etiam *in rescripto* occurrat; rescripta autem fori externi solent in archivo parochiali vel alias asservari: sic igitur sponsorum peccatum quodammodo traditur posteritati ».

facilius dispensationem obtinendi — hoc hodie opus iam non est aperire, cfr. n. sq. — demum an sit consummatum, si mala fide, saltem unius partis, seu cum scientia impedimenti».

Matrimonii civilis, qua talis, expressio necessaria non est; sed plerumque allegabitur ut causa. «Illa autem aliquorum assertio, qua dicunt debere civile matrimonium exprimi, quando ex contemptu matrimonii canonici illud fuit pro legitimo habitum, eo sensu accipiatur, ut exprimendi necessitas *non* concernat *civile* matrimonium qua tale, *sed* matrimonium *clandestine* initum». Feije n. 682.

720. Olim ex praxi et stylo Curiae atque ex variis Decretis et Instructionibus SS. Congregationum exprimenda erant quoque 1° copula incestuosa, i. e. habita inter sponsos consanguinitate, affinitate, publica honestate, cognatione spirituali vel legali coniunctos, etiamsi copula non allegabatur ut causa; 2° malitiosa intentio per copulam aliave delicta facilius obtinendi dispensationem. — Haec autem abrogavit Leo XIII per Decretum S. Off. 25 Iun. 1885. Et 18 Mart. 1891 S. Off. declaravit: «Dispensationes matrimoniales super quovis impedimento, sive agatur de matrimoniis invalide contractis, sive de contrahendis, esse validas etiamsi copula vel consilium et intentio per eam facilius gratiam impetrandi reticita fuerint». Porro quamvis Decretum anni 1885 explicite solum loquitur de copula eiusque malitiosa intentione ut meris circumstantiis, non vero directe respicit casum copulae allegatae ut causae dispensationis, probabilius tamen et communius cum Feije n. 712 sq. ex mente S. Sedis et ex dispensationum formulis ut hodie in usu sunt, colligunt necessitatem pravae intentionis exprimendae pro quibuslibet casibus esse sublatam.

Nota 1. Nihilominus *in casu «matrimonii invalide contracti* non solum memoranda est *scientia impedimenti,* sed etiam matrimonii *post illam consummatio*»; quia haec non stylo Curiae, hac in re abrogato, sed *ex ipso Tridentino* Sess. 24, cap. 5 de Ref. matr. aperienda praescribuntur. Feije n. 713.

2. Copulae incestuosae *expressio etiam alia ratione necessaria esse potest,* puta ad legitimandam prolem iam susceptam; sed cfr. nota ad n. 759, I, 4.

III. *De causis.*

721. **Causae** breviter proponi vel fusius exponi pro circumstantiis possunt vel debent; modo semper caveatur periculum ne dispensans ex stylo et praxi Curiae rem aliter accipiat ac revera est, neve in rescripto occurrat clausula non vera; quocirca cfr. totum art. pr. II.

Error in causa posito agi de dispensatione *maioris gradus* (n. 705, II). I. Quoties una sola, vel una tantum finalis causa exprimitur, eaque falsa est, irrita erit dispensatio, etiamsi forte alia causa finalis et vera, at non expressa, existat (1).

II. Si duae vel plures expositae fuerunt causae finales, ex communiori sententia satis est unam esse veram, modo revera sufficiens censeri possit pro petita dispensatione: non enim singulae causae, etsi absolute inter finales recensentur, pro omnibus casibus sufficiunt; cfr. III. Alii aliter resolvunt, praesertim si falsa causa mala fide est allegata; cfr. IV.

III. In dubio num causa erronee allegata finalis sit an impulsiva, item num causa finalis sit vera an falsa, vel utrum, necne, tota cessaverit, stari potest pro valore dispensationis.

IV. Causa impulsiva falso allegata non irritat dispensationem; excipiunt multi, si mala fides intervenerit; cfr. n. 726, II.

722. Quo tempore causa vera existere debet.

I. Certo quum dispensatio *fulminatur* vel, consequenter, in forma gratiosa conceditur; cfr. n. 728.

II. Controvertitur de tempore quo dispensandi *facultas datur.*

III. Non requiritur ut perduret *post fulminationem* quum matrimonium celebratur. Neque, ex communi, requiritur ut existat quum *petitur* dispensatio.

IV. *De statu fortunae.*

723. I. **Status fortunae** exponendus est in supplica S. Congregationi de disciplina Sacramentorum offerenda *pro con-*

(1) Si causa bona fide allegata deprehendatur falsa solum iam contracto matrimonio, sunt qui censeant matrimonium validum haberi posse; Cfr Vlaming n. 429, *a* in nota; Desmet n. 403, nota 3.

sanguinitate vel affinitate ex copula licita, ita ut inde iudicari possit in qua forma, pauperum, ordinaria vel nobilium, dispensatio sit concedenda, atque pro divitibus et nobilibus proportionata *componenda* solvenda imponi queat. — Pro iisdem dispensationibus praeterea, pro aliis sola *taxa* levior quaedam omnibus generatim solvenda imponitur pro officialibus Curiae atque aliis expensis.

« Pro dispensationibus matrimonii vigere quoque pergent in praesens taxationes pendi solitae penes Datariam Apostolicam et S. Poenitentiariam. In causis vero matrimonialibus dispensationis super *rato,* et in aliis quae a S. Congregatione de Sacramentis iudicantur, standum normis a S. Congregatione Concilii huc usque servatis ». *Ordo servandus,* Pars prima, Cap. XI, 12°.

Canonice dicuntur *miserabiles* ii qui solum labore manuum vel industria vivunt; et — extra Italiam (1), cfr. Resp. S. Poen. 20 Ian. 1904 — *vere pauperes* ii quorum fortuna, dempto aere alieno aliisque oneribus, 3000 francorum non multum excedit; *fere pauperes* ii quorum fortuna 10000 francorum non notabiliter excedit. Ratio tamen habenda quoque est hereditatis quam quis certo expectat, atque muneris valde lucrosi quod exercet. Computantur autem utriusque oratoris facultates, nisi alteruter sit acatholicus.

II. Dispensationes quae a S. Pontifice per S. C. de P. Fide conceduntur, expediuntur omnes « *gratis quocumque titulo* »; quare neque status fortunae oratorum mentio est necessaria. Excipe dispensationem « ex certis rationabilibus causis ».

« Usus S. Congregationis de Propaganda Fide exemptionis e qualibet taxatione in suae iurisdictionis locis incolumis servetur ». Ibid 15°.

III. S. Poenitentiaria nullam componendam vel taxam imponit; sola solvenda sunt expensa necessaria, puta postalia et Agentis.

« *Omnia secreto et gratis* in hoc sacro tribunali expedientur ». Ibid. P. altera, Cap. VIII, Art. I, 3°.

---

(1) « Pauperes in Italia censendi sunt tum qui ex labore et industria tantum vivunt, tum qui aliqua possident bona, sed non ultra summam scutatorum romanorum 300 in capitali (id est libellarum 1612, 50). Fere pauperes autem ibidem dicendi sunt, quorum bona non excedunt in capitali summam scutatorum mille (id est libellarum 5735) [5375], a quibus tamen fere pauperibus modicum taxae augmentum exigi solet ». S. Poen. 20 Ian. 1904.

Et generatim *pro foro interno* dispensationes omnes, quavis via petuntur, gratis concedi solent.

Nota. A componenda et taxa distinguenda est eleemosyna quae nonnumquam oratoribus iniungitur.

724. Si falso allegata est paupertas oratorum, sive bona sive mala fide, *valet* dispensatio concessa, sed oratores solvere vel supplere debent iura defraudata, quia paupertas non est causa dispensationis concessae, sed remissae, invalide, componendae.

« Utcumque tamen gratiae validitati nihil umquam officiet error aut fraus circa oeconomicam petentis conditionem ». Ibid. P. prima, Cap. XI, 3°.

725. **Episcopi** si ipsi dispensant, iure sive quasi-ordinario sive delegato, videntur non posse componendam vel taxam imponere, nisi ex speciali Indulto Apostolico. Id autem nostris Episcopis concessum videtur pro dispensationibus *fori externi* non solum in consanguinitate et affinitate sed etiam in aliis impedimentis publicis. Servanda itaque semper sunt praescripta ab Ordinario. In Dioecesi *Harlemensi* testatur Vlaming n. 385, *d* opus non esse ut status fortunae oratorum exponatur; aliud est in aliis Dioecesibus.

Nota. Confessarii, ut ex dictis patet, *numquam* statum fortunae exprimere debent.

ARTICULUS IV.

DE DISPENSATIONUM VITIIS ET SANATIONE.

726. I. **Vitia substantialia** quoad ea, sc. quae ex iure communi, praxi vel stylo Curiae necessario ad *valorem* dispensationis, si haec est *maioris gradus* secundum dicta n. 705, II, exprimi debent si vera sint, dici vero nequeunt si falsa sint, generatim irritant dispensationem *sive bona sive mala fide acciderint.* Perinde autem est utrum huiusmodi vitium post petitam dispensationem detegatur — *subseptio* seu reticentia veri vel *obreptio* seu expressio falsi — an tunc primum superveniat — *mutatio* substantialis — puta novum impedimentum vel totalis cessatio causae finalis; cfr. n. 718, 1 et 722.

II. Alia vitia num in casu *malae fidei* irritent dispensa-

tionem, *controvertitur*. Affirmantes nituntur cap. Super litteris 20 de Rescriptis Innoc. III; sed alii aliter cap. cit. interpretantur.

III. *Quaenam in specie vitia* irritent dispensationem, colliges ex dictis a n. 706.

Vitio dispensationis detecto, si corrigi potest, petuntur litterae Perinde valere; in qua petitione 1° repetuntur quoad substantiam ea quae in priori supplica exposita fuerunt, memorata quoque substantia prioris gratiae; repeti etiam potest integra supplica; 2° exponitur vitium; si matrimonium interim fuit contractum, hoc quoque dicitur una cum circumstantiis ad illud pertinentibus; cfr, n. 719; 3° petitur convalidatio dispensationis, una cum nova dispensatione si aliud impedimentum est expositum. 727.

Nota 1. Ex dictis n. 718 colliges quomodo et quando tum occulta tum etiam publica seu ad forum externum proprie pertinentia impedimenta vel defectus necessitatem litterarum *Perinde valere* pro foro interno inducere possint.

Sc. 1°, etsi *pro solo foro externo* prior dispensatio est petita, si tamen vitium pertinet ad forum internum, convalidatio in foro interno petitur eo modo quo fit si matrimonio obstat duplex impedimentum, unum publicum, aliud occultum; 2° si *pro solo foro interno* dispensatio est petita, et 1) vitium ad idem forum pertinet, convalidatio item pro solo foro interno petitur; si 2) vitium ad forum externum pertinet, in hoc eodem foro petitur dispensatio modo consueto, sed convalidatio dispensationis obtentae petitur in foro interno; 3° si *pro utroque foro* dispensatio prior petita est, vitium publicum pariter in utroque foro, occultum autem in solo foro interno sanandum est. Cfr. Vlaming II, n. 432.

2. Si ipsae litterae *Perinde valere* invalidae sunt, aliae eodem modo petendae sunt quae dicuntur *Perinde valere super alio perinde valere.*

3. Dispensatio a S. Sede obtenta non potest ab Episcopo sanari nisi intra terminos facultatis specialis litteras Apostolicas convalidandi; cfr. n. 684, II et 765. — In casu tamen urgentis necessitatis Episcopus uti potest potestate quasi-ordinaria vel speciatim pro hoc casu delegata.

4. Super causa finali falsa non dantur litterae *Perinde valere,* nisi causa falsa et ea quae vere existit, in eumdem finem tendant; extra hunc casum simpliciter petitur nova dispensatio. Feije n. 726.

ARTICULUS V.

DE MODO DISPENSATIONIS CONCEDENDAE ET EXEQUENDAE.

728. **Concedi** dicitur dispensatio in forma gratiosa si habens facultatem ipse eam oratoribus concedit seu applicat; in forma commissoria si dispensandi facultas seu dispensatio concedenda et oratoribus applicanda alteri committitur seu delegatur: cuius facultatis seu commissionis executio *fulminatio* dici solet.

Dispensationes pro foro interno omnes *in forma commissoria* concedi solent, committi sc. Confessario ab Ordinario loci approbato et ab oratore vel oratoribus eligendo. Dispensationes pro foro externo *S. Sedes* pariter in forma *commissoria, Episcopi* in forma *gratiosa* concedere solent.

Hoc formae discrimen praecipue attendendum est, ubi quaeritur quo tempore vera esse debeant ea quae in supplica sunt exposita, et maxime causa finalis.

729. Quoad dispensationes fori externi a S. Sede concedendas nota ex Decreto Leonis XIII per S. Off. 20 Febr. 1888 lato:

I. *Omnes* dispensationes committendae sunt *Ordinario* vèl *oratorum* vèl *loci*.

II. Commissas Ordinario exequi etiam potest eius Vicarius Generalis et Sede vacante Vicarius Capitularis, et vicissim Sede iterum provisa.

III. Commissae Ordinario oratorum exequendae sunt ab illo Ordinario qui litteras testimoniales dedit vel preces transmisit ad S. Sedem, sive sit Ordinarius originis sive domicilii, sive utriusque sponsi sive alterutrius eorum; sive adhuc est sive non amplius est, relicto suae Dioecesis a sponsis domicilio, eorum Ordinarius. Fas autem eidem est ad dispensationis exsecutionem delegare alium Ordinarium, eum praesertim in cuius Dioecesi sponsi actu degunt (1).

---

(1) Cfr. n. 684 cum nota.

Episcopi antequam vèl dispensationem ipsis per Rescriptum S. Sedis commissam fulminant, vèl ipsi *pro foro externo* dispensant, uti possunt et solent ope Parochi quem delegant ad ea praestanda quae dispensationis fulminationem vel concessionem praecedere debent, puta verificationem precum et onerum iniunctionem. 730.

Ad Qu. « Utrum valeat dispensatio matrimonialis, quam executioni mandaverit Ordinarius, habita notitia telegraphica gratiae concessae, *nondum* vero *accepto* eiusdem *documento authentico* »? S. Off.. 14 Aug. 1892 probante Leone XIII respondit: « Negative, *nisi* notitia telegraphica transmissa fuerit ex officio, auctoritate S. Sedis ». Postea, 15 Ian. 1894, S. Poen. pro tali casu respondit: « opus esse nova dispensationum executione », non nova impetratione. 731.

Idem a pari videtur dicendum de nuntio *per telephonum aliudve transmissionis instrumentum* accepto (1).

Executor seu delegatus ad fulminandam dispensationem attente consideret et accurate observet clausulas rescripti. Omnes enim praeceptum, nonnullae valoris conditionem continent. Communiter *ad valorem* censent pertinere clausulas expressas per particulas *si, dummodo, postquam, non aliter, nec alio modo,* vel *in ablativo absoluto,* nisi aliunde, ex rei natura vel iure communi, attentis etiam sensu et praxi S. Sedis, constet aliquid ad liceitatem solum requiri, 732.

Clausulae praecipuae explicantur. I. Verificatio et veritas precum. 1. Ex quo Leo XIII in rescriptis Datariae loco clausulae « Si preces veritate niti *repereris* » substitui iussit hanc « Si vera *sint* exposita », non iam a verificatione sed *a sola veritate valor dependet.* Constat praeterea ex Resp. S. Poen. 26 Apr. 1886. Id autem currit *pro omnibus dispensationibus tum fori externi* quia eaedem regulae has omnes moderantur, *tum fori in-* 733.

---

(1) Quoad *petitionem* dispensationum per telegraphum ad Episcopos Italiae 10 Dec. 1891 scriptum est. « Sanctitas sua praescripsit, ne deinceps, ex regula ordinaria, ulla S. Congregatio... eiusmodi preces... admittat. Quum eaedem rationes quoad Curias Episcopales etiam valeant, S. S. vult ut Pastores dioecesani quoque se ad hanc praescriptionem conforment ». In eumdem sensum pluries ad alios Episcopos scriptum est.

terni, quia etiam pro hoc S. Poen. hanc clausulam in eumdem sensum mutavit.

2. Verificatio *pro foro externo* fit summarie et extraiudicialiter, puta interrogando oratores, testes, consulendo librum baptismalem vel matrimonialem, ita nim, ut prudenter credi possit omnia se habere ut exposita sunt.

Pro foro interno credendum est poenitenti, nisi forte Confessarius aliunde contrarium sciat.

Pro utroque foro si iam praemissa est verificatio, ut hodie fieri solet, probabiliter sufficit ut delegato tempore fulminationis constet omnia recte adhuc se habere. Pro hac opinione Aertnys n. 649 citat Respp. S. Poen. 27 Apr. 1886 et S. Off. 28 Aug. 1895. Alii aliter; cfr. Vlaming n. 405, IV.

734. II. Poenitentia salutaris in rescriptis *fori externi* ex communiori sententia non pertinet ad valorem sive quoad impositionem sive quoad acceptationem. Nonnulli tamen aliter sentiunt quoad rescripta in forma pauperum (1).

Contra in rescriptis *fori interni* communius censent eam esse de valore tum quoad acceptationem tum quoad impositionem. Sed et hic nonnulli aliter sentiunt; excipiendus tamen videtur casus quo specifica poenitentia imponenda praecepta est (2). — Certo autem dispensatio non redditur invalida eo quod poenitentia non

---

(1) Nota ad clausulas II-V: « Etiam in novis formulis S. C. de Sacramentis quaedam clausulae nonnumquam inseruntur, uti in dispensatione super crimine, in qua iniungitur *poenitentia* ac *scandali remotio;* sed hoc fit exceptionaliter dumtaxat: rescripta nempe in forma communi nullam continent ex illis clausulis, etiam in casibus in quibus a Dataria et S. Poenitentiaria inseri solebant, sed, post brevem introductionem preces referentem, cum mentione impedimenti relaxandi, committitur munus Ordinario ut, *servatis canonicis praescriptionibus,* dispensationis gratiam elargiatur; sola exceptio fit pro rescriptis absque taxa concessis, in quibus imponitur *eleemosyna* eroganda.

Iamvero sub hac formula generali non comprehenduntur implicite speciales clausulae *fulminationi praeviae,* quae proinde non sunt attendendae nisi ubi inseri contingunt: illae canonicae praescriptiones, uti eruitur ex collatione rescriptorum S. C. de Sacramentis in forma communi et in forma speciali, unice afficiunt *ipsum fulminationis actum,* quatenus scil. scripto sit peragenda fulminatio et invocata auctoritate Apostolica ». Desmet n. 391.

(2) Cfr. Gasparri ed. 3ª n. 409.

impletur, vel dispensatus ne intentionem quidem habet eam implendi; S. Poen. 14 Sept. et 12 Nov. 1891.

Nota quoad rescripta *praecipue fori interni*: 1. Poenitentia iniungenda intelligitur distincta a sacramentali.

2. Iniungenda saepius dicitur poenitentia *gravis, gravis et longa, et diuturna, gravissima;* AA. autem passim horum terminorum sensum exemplis interpretantur. Verum ipsa S. Poen. de hoc interrogata respondit 8 Apr. 1890: « In praefinienda qualitate, duratione etc.... neque severitatis neque humanitatis fines esse excedendos, rationemque habendam conditionis, aetatis, infirmitatis, officii, sexus etc. ».

3. Si oratores poenitentiam non acceptent, delegato non licet dispensare. Quodsi hoc praevidetur, id in supplica vel in litteris seorsim additis significetur; idem fiat si alterutra tantum pars est disposita ad poenitentiam acceptandam, et tamen dispensatio in utramque partem est fulminanda.

III. Erogatio eleemosynae. Haec non pertinet ad valorem; imo prudenti iudicio et conscientiae Ordinarii remittitur ut, datâ causâ, de ea sileat; S. Poen. 10 Iun. 1876 et 11 Nov. 1890. — In rescriptis *fori interni* dici solet: « quodque in pauperes faciant aliquam eleemosynam »: censetur admonitio, non praeceptum. 735.

IV. Remotio scandali, si adsit, *praesertim per separationem,* si fieri possit. Sensus est, praeferri separationem, nim: a thoro et cohabitatione, alia autem media, modo efficacia, sufficere. Separatio itaque iam non exigitur ad valorem. Sed *quid de valore* dispensationis fulminatae *si nullo modo* scandalum remotum est? AA. non conveniunt; S. Poen. bis interrogata non decidit. Probabilius valida habenda est dispensatio; cfr. Vlaming n. 416, I, *e.* 736.

V. Remotio occasionis peccandi. Occasio proxima voluntaria omnino tollenda, necessaria reddenda est remota. Probabilius haec clausula est monitio, non conditio valoris.

VI. «Ac aliis bona fide forte reticitis» impedimentis non obstantibus: quae verba secundum *Formulas reformatas* Datariae dispensationibus *fori externi* addita, faciunt ut concessa dispensatio impedimenta quoque reticita, dummodo bona fide, removeat. In *Annotationibus* autem ad dictas Formulas ita 737.

restringuntur ista verba: « *Aliis,* similibus scilicet impedimentis. Quare hac clausula nullo modo comprehenduntur impedimenta a quibus S. Sedes numquam hactenus dispensavit; neque comprehenduntur impedimenta a quibus S. Sedes nonnisi rarissime dispensat; neque comprehenduntur impedimenta, a quibus Dataria Apostolica regulariter non dispensat; neque comprehenduntur impedimenta, quae *speciali* indigent mentione. Reliqua item impedimenta non comprehenduntur, si *difficilioris* per se essent dispensationis, quam impedimentum in supplicatione expositum et dispensatum ».

738. **Modus fulminandi dispensationem et clausulae huc spectantes.**

I. Pro foro interno ut plurimum ad valorem exigitur ut dispensetur « audita prius Confessione sacramentali . . . et in actu Confessionis sacramentalis tantum ». *Absolutio,* eave valida, ad valorem *non requiritur.*

II. Pro utroque foro, si incestus aliudve delictum est expositum, pro casuum varietate vario modo datur facultas absolvendi et praemittenda iniungitur absolutio ab incestu et excessibus huiusmodi, censuris etc.

Pro foro interno haec clausula tribuit confessario facultatem absolvendi *hac vice* a peccatis expositis et a censuris per ea forte contractis, etsi haec in Dioecesi sint reservata, ipse vero aliunde non habeat hanc facultatem. Non requiritur forma absolvendi peculiaris, sed sufficit ea consueta quae Absolutioni a peccatis praemittitur; si vero haec posterior dari nequeat, et nihilominus non credatur differenda dispensationis executio, omittitur quidem Absolutio a peccatis, sed fulminationi praemittitur absolutio a censuris et poenis, quae tamen in praesenti casu in tribunali Poenitentiae dari debet. Feije n. 751.

Ubi reapse ob delictum expositum *iure particulari* censura est contracta, plerique AA. censent hanc absolutionem esse strictam valoris conditionem; alii tamen probabiliter ut merum praeceptum habent; cfr. Feije n. 744 et 746.

739. Ipsa fulminatio I *pro foro externo,* saltem ad liceitatem, scripto fiat oportet.

II. *Pro foro interno* fit viva voce atque *in oratorem*

praesentem, idque 1° in unum solum si vèl unam partem tantum afficit impedimentum, vèl hoc ex unius tantum culpa ortum est, puta affinitatem; 2° secus in utrumque, sive ab eodem Confessario sive a diversis ad libitum oratorum: in posteriori hypothesi prior Confessarius fulminata dispensatione rescriptum tradit poenitenti ut et compars idem secum exequi faciat per suum Confessarium. Quamquam haec posterior fulminatio iam non pertinet ad valorem. Atque propter difficiles circumstantias alia etiam hac in re obtineri possunt, v. gr. ut considerata unius partis dispositione sufficiat fulminatio in unam partem, imo, in solam partem inculpabilem, vel ut fiat extra Confessionem; cfr. 734, nota 3.

III. *In utroque foro* fulminationi subiungitur legitimatio prolis *suscipiendae* (1), et si dispensatio ob copulam eiusve suspicionem est concessa vel agitur de revalidando matrimonio, prolis *susceptae,* si qua sit (2), *et suscipiendae.*

IV. *Forma* determinata *non est praescripta;* sufficit in rigore ut quovis modo dispensatio et legitimatio prolis exprimatur.

V. Litteras *fori interni* iubetur Confessarius — non Parochus in casu quo sola opus fuit licentia secreto contrahendi coram Parocho et testibus — sub poena excommunicationis latae sententiae laniare vel comburere. *Praeceptum grave* est, ut patet. Quamquam *poena vitatur si* frangatur sigillum, lacerentur litterae per medium etc., omnino tamen destruendae litterae sunt, idque intra triduum post executionem vel matrimonii celebrationem, ut passim docetur. Non tamen prohibetur Confessarius pro sua instructione litterarum textum descriptum asservare, quo casu expedit ut diem et annum omittat. Feije n. 754.

---

(1) Clausula de legitimanda prole suscipienda ab aliquo iam tempore in Dataria omissa est ut superflua.

(2) De necessitate legitimationis et de facultate legitimandi. Cfr. n. 759, I, 4.

CAPUT OCTAVUM.

DE MATRIMONIO INVALIDO CONVALIDANDO.

ARTICULUS I.

REGULAE AGENDI PRO PAROCHO ET CONFESSARIO.

740. **Matrimonio certo invalido detecto** *ratione impedimenti* modus agendi a Parocho vel Confessario servandus dependet e variis circumstantiis.

I. Si coniuges in bona fide sunt, ut plurimum, ob incommoda timenda, *in ea relinquendi* sunt, etiamsi impedimentum existat indispensabile; si dispensabile, *statim procuretur dispensatio,* eaque ordinaria si postea utraque pars commode moneri poterit, sanatio in radice si alterutra tantum pars moneri poterit; si neutra, relinquantur in bona fide vel petatur sanatio in radice pro circumstantiis; cfr. n. 748, II.

II. Si utrique nota est nullitas matrimonii, sed aliis occulta, et 1° convalidatio obtineri potest, hoc quamprimum fiat, *interim coniuges separentur a thoro;* — 2° si convalidari nequit, num separandi sint coniuges: plene, an a cohabitatione, an a solo thoro, *consulatur Ordinarius.*

III. Si publice nota est nullitas matrimonii, *coniuges statim separandi sunt etiam a cohabitatione,* id quod provisorie privata auctoritate fieri potest; tum recurratur ad Ordinarium vèl pro nullitatis declaratione si convalidatio fieri aut non potest aut non expedit, vèl secus pro dispensatione, quae hodie obtineri potest etsi coniuges separari ad tempus renuant.

IV. Si uni tantum parti nota est nullitas matrimonii, generatim agendum est ut supra sub II. Si ergo non obstet nisi impedimentum iuris ecclesiastici et pro circumstantiis dispensabile, vitari usque ad obtentam dispensationem debiti redditio debet, idque ex communi sententia absolute; secundum recentiores nonnullos probabiliter, si moraliter fieri potest, puta monendo com-

partem, iter suscipiendo, aliquo praetextu se excusando; secus vero seu si moraliter et sine gravissimi mali periculo debitum vitari nequit, censent impedimentum cessare, ita ut pars conscia renovando consensum matrimonium convalidare possit et debitum reddere; manente tamen obligatione recurrendi ad Ordinarium vel S. Sedem tum ut pro cautela certior fiat dispensatio, et si forte publicetur impedimentum, manere possit coniugium, tum ut criminis, si quod commissum est, iusta poena subeatur; cfr. n. 567.

ARTICULUS II.

DE MATRIMONIO NULLO EX SOLO DEFECTU CONSENSUS.

741. I. **Convalidatur** sola renovatione consensus praestiti 1° independenter a priore consensu, 2° *sublata nullitatis causa,* 3° externe, *expresse* vel *exercite* puta cohabitatione vel copulâ animo coniugali habita; et, propter 1^m^, communius requirunt ut fiat *habita notitia nullitatis matrimonii;* hoc tamen alii negant: idque speculative probabiliter; sed practice novus consensus vix habebitur nisi in persuasione vel dubio nullitatis matrimonii (1). — De forma observanda resolve ut n. 743.

Si unius tantum consensus defuit, num et altera pars consensum renovare debeat, *controvertitur.* Sed satis communiter et tuto negant, dummodo altera pars consensum non revocaverit; cfr. n. 748, I; ratio petitur ex natura contractus.

II. Huc pertinent matrimonia nulla ob errorem, fictionem, conditionem et metum (2).

Qua de re haec habet Instructio Austriaca § 93: « Matrimonium quod consensus fictus irritum reddit, consensu, ab eo qui ficte egerat, vere praestito convalidatum censeatur oportet. Idem valet de matrimonio cui error seu vis metusve obstitit, quamprimum pars, quae errori aut violentiae iniustae suberat, recognito errore aut libertate plene recuperata, verbo factove assensus suppleverit ».

---

(1) Cfr. Gasparri ed. 3ª n. 1397.

(2) Aliud est de raptu: qui casus pertinet ad art. IV.

ARTICULUS III.

DE MATRIMONIO NULLO EX DEFECTU FORMAE.

742. I. Si neutra pars renuit se sistere coram Parocho et testibus, coram iis convalidandum est matrimonium, publice vel occulte prout nullitas matrimonii est publica vel occulta. Quodsi tamen in priori hypothesi Ordinarius iudicaverit ob peculiares circumstantias expedire ut secreto in forma Tridentina contrahatur, permittere hoc potest, dummodo publicum scandalum alia ratione removeatur.

II. Item si alterutra vel utraque pars solum renuit pergere ad Ecclesiam, permitti potest ut alibi in forma ecclesiastica contrahant.

III. Si una pars renuit coram Parocho et testibus contrahere, conandum est ut per procuratorem vel litteras contrahat; quod si obtineri non possit, recurratur ad sanationem in radice.

IV. Si neuter velit contrahere coram Parocho et testibus, neque dispensatio sperari potest.

V. Matrimonium pro quo non viget Decretum *Ne temere* convalidari, etsi per se non licite, etiam clandestine potest renovando consensum modo dicto n. pr.; cfr. n. 672 sqq.

ARTICULUS IV.

DE MATRIMONIO NULLO OB INHABILITATEM PARTIUM.

743. **Convalidatur** vèl novo consensu praestito modo dicto n. 656, idque *postquam* impedimentum aut ex seipso cessavit aut per dispensationem ordinariam sublatum est, vèl dispensatione extraordinaría seu sanatione in radice.

Novus consensus praestandus est *coram Parocho et testibus, si* vèl prius matrimonium clandestine est contractum, vèl eius nullitas est publica; *secus* sufficit ut secreto renovetur: hoc posterius in sequentibus supponimus.

§ I. — *Dispensatio ordinaria et Impedimentum cessans.*

744. Si cessavit impedimentum *iuris ecclesiastici* sive dispensatione ordinaria sive facti mutatione, v. gr. suscepto Baptismo, *ex iure naturae* non requireretur renovatio consensus, sed sufficeret prior utriusque consensus perseverans: quod patet ex praxi Ecclesiae sanandi matrimonia in radice. Ex iure ecclesiastico vero requiritur renovatio consensus, nisi etiam in hac dispensetur: talis enim est mens Ecclesiae satis manifesta ex eius praxi et pluribus responsis.

Neque distinguendum est, ut plures distinguunt docentes — si impedimentum solam partem impedimenti consciam respiciat, vel etiam — quod nonnulli addunt — si uni tantum parti impedimentum notum sit, etsi hoc utramque partem affecit, sufficere ut pars conscia renovet consensum.

Contrariam namque esse mentem Ecclesiae patet ex responsis S. Officii: sc. 1°, proposito casu matrimonii inter Ioannem baptizatum et Amaliam non baptizatam invalide initi; sed in quo Amalia post susceptum Baptismum iam per aliquod tempus, matrimonii nullitatem ignorans, perseverarat: S. Officium interrogatum num vita haec coniugalis matrimonium convalidaverit, respondit 8 Mart. 1899: « Praevio iuramento ab Amalia praestando, quo declaret matrimonium contractum cum Ioanne post Baptismum Amaliae *ab iisdem, scientibus illius nullitatem,* ratificatum non fuisse... detur mulieri documentum libertatis ex capite ipsius disparitatis cultus ». — Et 2°, interrogatum: « utrum valeat Ordinarius sanare in radice matrimonium nullum ob disparitatem cultus, quando impedimentum quidem evanuit, sed gravis adest difficultas expetendi renovationem consensus » a parte matrimonii initi tempore iam baptizata et infidelitatis compartis huc usque prorsus ignara? S. Officium 22 Aug. 1906, ad IV, respondit: « In casu exposito affirmative ».

Per se itaque semper requiritur ut utraque pars renovet consensum, idque cum notitia nullitatis prioris consensus.

In praxi attendatur ad clausulam concessae dispensationi additam. Porro clausulae de renovando utriusque partis consensu et de praevie certiorata comparte ignara de nullitate prioris consensus, hodie addi solet: « Et quatenus haec certioratio absque gravi periculo fieri nequeat, renovato consensu iuxta regulas a probatis auctoribus traditas «. Quocirca

Nota 1. Periculum istud plerumque aderit.

2. Probati AA. censent consensum novum partis ignarae, dummodo morem gerat comparti interroganti, satis elici, si pars conscia

ei dicat: « Quum nupsi, non habui verum consensum; nunc praestare volo; visne et tu »? — « Angor scrupulo de valore nostri matrimonii, ideoque renovemus consensum ». — Nonnulli putant sufficere quoque: « Dic quaeso, si nullum esset matrimonium, nonne iterum me accipere intendis »? — « Si mihi non nupsisses, nonne nuberes nunc »? — « Pro mea consolatione volo de novo contrahere, eia contrahamus ».

3. Quodsi nullo modo alteri parti suspicio saltem nullitatis matrimonii sine periculo ingeri vel aliter novus consensus ab ea elici potest, pars conscia animo coniugali habeat copulam, aliove modo exprimat novum consensum. Quo praestito matrimonium habeatur satis certo convalidatum. Videtur namque S. Poenitentiaria additis solitae clausulae verbis manifestasse intentionem suam remittendi necessitatem novi consensus partis ignarae si necessitas urgeat. Ita etiam sentiunt Ballerini-Palm. n. 909, Lehmkuhl n. 825, Génicot n. 539.

Si tamen haec difficultas praevidetur, in supplica indicetur et petatur sanatio in radice.

745. Si cessavit impedimentum *iuris naturalis vel divini*, puta ligaminis, matrimonium non revalidatur nisi novo utriusque partis consensu; cfr. n. 747; Feije n. 763; Pompen, n. 139, 3.

Graves quidem AA. docuerunt etiam in hoc casu necessitatem renovandi consensum repetendam esse ex solo iure ecclesiastico. Cui doctrinae favent nonnullae responsiones S. Poenitentiariae, maxime resp. *in Parisiensi* 25 April. 1895. Sed obstat Decretum S. Officii, infra n. 747 citandum; id autem « praevalet et servandum est, non solum propter praevalentem auctoritatem ipsius Congregationis quae Suprema est, sed etiam quia S. Congregatio hac vice dubium generale ex professo ad examen revocavit ». Cfr. Gasparri ed. 2ª II, n. 1154 cum ed. 3ª II, n. 1444; quem vide.

§ II. — *Sanatio in radice.*

746. **Sanatio in radice** 1° tollit impedimentum; — si nim. adhuc tollendum est: et tunc sanatio dicitur *perfecta;* secus

erit *imperfecta* — praeterea 2° sanat radicem i. e. consensum naturaliter validum adhuc perdurantem sed ab initio impedimento vitiatum et inefficacem, ita ut matrimonium *nunc* convalidetur vi prioris consensus perseverantis; 3° tollit effectus nullitatis matrimonii, puta praesertim illegitimitatem prolis cum suis sequelis; idque per fictionem iuris *ex tunc,* i. e. ac si effectus illi numquam extitissent sed quoad hos matrimonium ab initio validum fuisset.

Sanatio imperfecta interdum etiam datur *pro solo* 3° *effectu,* idque tum utroque coniuge vivente, tum utroque vel alterutro defuncto. Et *quoad* 2^m^ datur pro casus circumstantiis ita ut vel neuter vel solum alteruter renovare consensum debeat. Dari etiam potest inscia utraque vel alterutra parte, sive solum nunc sive etiam post.

Conditiones requisitae colliguntur ex dictis; sc. *supponi-* 747.
tur matrimonio, saltem *nunc,* non obstare nisi impedimentum iuris ecclesiastici. Quodsi obstitit impedimentum iuris naturalis vel divini, necdum, postquam hoc cessavit, consensus ab utraque parte est renovatus, matrimonium sanari in radice non potest: etenim S. Officium Decreto 2 Mart. 1904, a SS^mo^ probato, resolvit: « Matrimonium contractum cum impedimento iuris naturalis vel divini non posse sanari in radice » (1). — *Requiritur* autem

I. *Ex iure naturae* consensus verus in matrimonium ab utraque parte datus et in utraque perseverans. Quamquam tertius effectus cogitari potest sine consensu perseverante.

II. *Ex iure ecclesiastico* exigitur: 1° semper causa gravis et urgens; — 2° plerumqne ut coniunctio habeat matrimonii speciem seu figuram.

I. Ad I. Consensus perseverasse praesumitur 748.
quamdiu alter alterum ut verum suum coniugem tractat; neque, ut revocatus censeatur, sufficit habitualis seu interpretativa dispositio, qua, si matrimonii nullitas nosceretur, consensus iam non da-

(1) Desmet n. 408, II, 2°, b) etiamnum docet tale matrimonium sanari posse ita ut per fictionem iuris eius valor etc. retrotrahantur ad momentum disparitionis impedimenti. Sed mentionem non facit huius Decreti S. Off.

retur, sed *revocationis indicium postulatur.* — Quandoque tamen in rescripto exigitur ut de consensu perseverante constet, et determinatur quoque undenam de eo constare debeat.

II. Ad II, 1m. Causa sufficiens et casus petendi sanationem in radice adest praecipue 1° *si multa* matrimonia invalide contracta sunt, nec commode partes moneri possunt; praeterea *pro matrimonio particulari,* 2° si uni parti tantum notum est impedimentum, quod comparti sine gravi incommodo huiusve periculo manifestari non potest; 3° si una pars, etsi impedimentum noverit, adduci nequit ut consensum sufficienti modo renovet, sed tamen in contracto matrimonio vult remanere; 4° addunt plures, si neutra pars commode moneri potest de nullitate matrimonii v. gr. propter earum dispositionem vel quia nullitas provenit e culpa Ordinarii, Parochi vel Confessarii. — Quamquam S. Sedes ordinarie eiusmodi matrimonia bonae fidei relinquit, vel interdum, si nullitas provenit ex culpa aliorum, Ordinarium munit facultate sanandi in singulis casibus pro quibus ad ipsum recursus habitus fuerit. In casu itaque occulto quo neutra pars praevie moneri potest, opus neque est petere sanationem in radice; Feije n. 772; imo ne expedire quidem videtur ut petatur, ob periculum ne forsan postea huiusmodi matrimonium sanatum ex ignorantia sanationis factae invalidum declaretur ab alio confessario (1).

(1) Hoc casu seposito, merito Wernz *Jus Decretalium* IV, n. 660 ait: « Cum nostra aetate tanta sit facilitas obtinendi sanationem in radice, non possum subscribere opinioni illorum virorum doctorum, qui, si coniuges sint in bona fide, nimis facile promptum habent responsum: Dissimulandum, silendum. Qua ratione certe peccata formalia impediuntur, at coniuges vivunt in concubinatu materiali carentque Sacramento Matrimonii et gratiis sacramentalibus. Quae damna et tantorum bonorum privatio per dissimulationem non reparantur ». — Item Ordinario Covingtonen, cui data facultas: « Sanandi in radice matrimonia contracta quando comperitur adfulsse impedimentum super quo, ex Apostolicae Sedis Indulto, dispensare ipse possit, magnumque fore incommodum requirendi a parte innoxia renovationem consensus monita tamen parte conscia impedimenti de effectu huius sanationis »; quaerenti: « Utrum adhuc sit locus facultatis si ambae quidem partes cognoscunt nullitatem matrimonii, sed una earum adduci non potest ad renovandum consensum; item si ambae hic et nunc eam ignorant, dummodo postea una pars moneatur de sanatione obtenta eiusque effectu? » responsum est: « Quoad primam partem *Negative,* nisi constet verum datum fuisse consensum sub specie matrimonii et eumdem ex utraque parte perseverare; ad secundam, *prout exponitur, Negative.* S. Off. 22 Aug. 1906 ad III.

III. Ad 2^m. Hodie interdum, ob difficillimas casus circumstantias et pro salute partis praesertim resipiscentis, sanantur quoque matrimonia *clandestina,* atque *etiam mere civilia, dummodo* aliunde satis constet partes non intendisse consensum mere fornicarium sed matrimonialem: id enim ipso iure naturae requiritur.

In supplica, praeter alia exponenda, speciatim ea exponi 749.
debent quae spectant ad speciales conditiones requisitas, de quibus tamen ex ipsa casus expositione saepe satis constat. Petitur ut una pars non teneatur vel ut neutra pars teneatur renovare consensum pro variis circumstantiis.

CAPUT NONUM.

DE DIVORTIIS.

Divortium seu separatio coniugum triplex distinguitur: 1° quoad vinculum, 2° quoad thorum et cohabitationem, 3° quoad thorum *tantum.* — De 1° agunt Dogmatici; nos solum quaerimus

Num liceat umquam *coniugibus* civile divortium 750.
plenum petere, vel *iudici* illud pronuntiare, vel *advocato* pro illo dicere?

Resp. I. Satis consentiunt AA. haec ex causa proportionata licere 1° *ubi legislator* civilis *non intendit* attingere *ipsum vinculum* matrimoniale — de quo pro Neerlandia cfr. dicta n. 570. — 2° etiam alibi *si matrimonium* est vèl *reapse nullum* vèl *vere solutum,* puta in casu Apostoli, Professionis religiosae vel dispensationis in matrimonio rato.

II. *Extra utramque dictam hypothesim,* atque adeo in nostra sententia etiam pro patria nostra controvertitur (1).

Probabiliter affirmari censemus. Ratio: cum lex civilis suo divortio reapse ne posset quidem quidquam praeter effectus civiles attingere, consequenter civilis divortii pronuntiatio in se spectata *non est intrinsece mala; sed neque talis fit intentione legislatoris,*

(1) Cfr. Wernz n. 750, V.

ut probatum est n. 582, II ad 2^{m} de matrimonio civili. Quodsi hoc non admittant adversarii illi qui in hypothesi 2^{a} affirmant, ostendant differentiam intrinsecam quoad hanc quaestionem inter casum matrimonii validi et invalidi; intrinsecam dico, non solum ratione scandali vel sequelarum; nam haec est alia quaestio. Cfr. Desmet n. 212 sq., et Génicot n. 561, quocum concludo et

Resp. III. « Quamvis pronuntiatio divortii in se sumpta indifferens dici possit, *apta tamen est ad nefanda consectaria post se trahenda, quando* agitur de fidelibus qui legitimo matrimonio uniuntur. Ideo iis omnibus qui pronuntiando in his adiunctis divortio operam dant *applicandae sunt regulae datae de cooperantibus* actioni malae. Non licet igitur tale divortium petere, pronuntiare, promovere etc. tamquam rem prorsus indifferentem, sed semper requiritur causa excusans, cuius gravitas commensuranda est efficaciae influxus in divortium inducendum, gradui plus minusve remoto cooperationis, spei impediendi malos effectus si cooperatio denegaretur, etc. ». — Et cum eodem « subiicimus hic praecipuas

751. « Applicationes practicas. I. De coniugibus. 1° Ubi simul cum divortio viget separatio quoad habitationem et bona — ut apud nos — non licet coniugibus valido matrimonio iunctis petere divortium, si finem quem intendunt sufficienter assequi possunt per huiusmodi separationem. — 2° Quandoque gravissima mala, puta liberorum educatio patri impio, qui prior divortium petierit. a tribunali committenda, etc. vitari non possunt nisi pars catholica non tantum separationem praedictam, sed verum divortium petat. In hoc casu censemus probabilius id licite peti: coniux enim non tenetur pati gravissima mala ut vitet leve damnum commune quod ex eius petitione fluat ».

II. « De Advocatis. Advocati cum sint clientium cooperatores, licite possunt pro causa divortii dicere quotiescumque coniuges illud licite petunt. Quodsi coniuges illicite petant, ex. gr. absque causa canonica vel cum manifesta intentione aliud matrimonium civiliter ineundi, Advocatus graviter peccat eos adiuvando, saltem si prorsus libere et lucri tantum captandi gratia operam suam locat. Quodsi, in casu utique rarissimo, Advocatus huiusmodi litem detrectare non

posset quin gravissimum damnum pateretur, ex gr. exclusionem ab Advocatorum censu, posset cooperatio excusari ».

III « De Iudicibus. 1° Iudex omnino tenetur adhibere media quae moraliter possibilia sunt, ut a sententia divortii pronuntianda abstinere queat; ex gr. conari ut partes reconcilientur, vel separatione quoad habitationem et bona contentae sint — 2° Si frustra cadunt illi conatus, nec potest Iudex a sententia divortii pronuntianda abstinere sine gravissimis malis, qualis esset praesertim muneris amissio, censemus talem sententiam non esse per se illicitam, etiamsi Iudex norit perversam intentionem partium quae adulterinos nexus appetant. Urget enim ratio vitandi gravissimi damni, non tantum particularis sed communis. Etenim cum huiusmodi casus non ita infrequentes sint, vix auderet catholicus vir Iudicis partes suscipere, si nosset huic muneri renuntiandum esse potius quam ullum divortium pronuntiet. Talis autem remotio bonorum a muneribus tanti momenti cederet in summum reipublicae damnum, imo et in multiplicationem divortiorum ».

Divortium semiplenum, quod vocant, seu *separatio a thoro et habitatione* varias ob causas licite institui vel peti potest, quarum praecipuae, ad quas aliae facile reducuntur, sunt: 752.

I. Adulterium compartis, si sit 1° *consummatum;* id autem praesumitur; 2° *certum* moraliter; 3° *formale;* 4° *non condonatum* expresse vel tacite, puta copula aliove signo amoris coniugalis et ex affectu coniugali post adulterium cognitum exhibito; 5° *non compensatum* per alterius adulterium; si tamen uno resipiscente alter adulteria committere pergit, pars resipiscens probabiliter divortium instituere potest; cfr. n. sq. III; 6° *non collaudatum,* i. e. requiritur ut altera pars delicto non positive consenserit sive causam directam dederit.

Nota. Adulterio, quum in eo hic consideretur carnis divisio, ex communi sententia *aequiparatur sodomia et bestialitas.*

I. Innocens *non tenetur* reum dimittere; nisi forte id omnino 753.
exposcat aut rei emendatio aut scandali vitandi necessitas, habita tamen ratione incommodi inde imminentis; quare vix unquam ad hoc datur obligatio, et non immerito nonnulli hanc absolute negant.

II. Quamvis ex communi sententia pars innocens possit stricte loquendo *propria auctoritate* ob causam adulterii separationem instituere, plerumque tamen ad scandalum vitandum petenda est Iudicis ecclesiastici auctoritas, nisi ipsum adulterium est notorium facto vel iure. Imo praestat ut numquam nisi ea interveniente separatio fiat, nisi causa iusta aliud suadeat; et etiam tum consulto, facta separatione, haec et eius causa manifestantur Superiori ecclesiastico.

III. Quum adulterium sit causa divortii *perpetui*, separatione facta, pars innocens *ex iustitia numquam* reum recipere vel ad eum redire etsi emendatum tenetur, nisi et ipsa in adulterium lapsa est; quod tamen, si Iudicis auctoritate separatio est facta, probabiliter negatur. *Ex charitate vero* et convenientia quandoque suadendum hoc est.

IV. *Reum revocare* per se semper potest innocens, sed pars revocata, si probabili saevitiae periculo se exponeret redeundo, obtemperare non teneretur.

754. II. Haeresis vel apostasia matrimonio superveniens ob periculum tum prolis tum compartis; unde intelligitur non sufficere unum alterumve infidelitatis actum. Haec per se non est causa divortii perpetui, nisi accesserit sententia absoluta Iudicis ecclesiastici.

755. III. Mutuus consensus, quo etiam in perpetuum separare sese possunt, sed solum intuitu vitae perfectioris et triplici modo permittitur in Iure: 1° per utriusque ingressum in Religionem; 2° per unius ingressum in Religionem, emisso ab altero, coram Superiore ecclesiastico et testibus, voto continentiae; quod tamen sufficit solum si coniux relictus sit senex et nequaquam de incontinentia suspectus; 3° per susceptionem Ordinis Sacri a viro, et uxoris vel ingressum in Religionem vel votum continentiae, ut supra.

A thoro tantum possunt coniuges mutuo consensu et *privata auctoritate* se separare sive ad tempus sive in perpetuum, modo absit periculum incontinentiae.

756. IV. Periculum animae, puta seductionis ad gravia peccata. Confessarius tamen ne nimis cito credat uxori forte fingenti

peccata ubi non sunt, vel gravia ubi levia tantum sunt. — Hac ratione separari posset uxor catholica a viro acatholico violante cautiones praestitas.

V. Periculum corporis. Huc pertinent 1° *morbus contagiosus*, si alio medio periculum satis non caveretur: verum charitas saepe monebit non relinquere compartem; 2° *amentia* quae cohabitationem periculosam redderet; 3° *saevitia* et *molesta cohabitatio*. Attendi in his debent adiuncta: quae enim plebeiis levia censentur, honestioribus intolerabilia videri possunt. 757.

Ad causas IV et V nota I. Generatim separatio fieri nequit sine auctoritate Iudicis ecclesiastici. Excipe casum quo periculum est in mora, vel pars innocens non posset facile Iudicem adire aut causam probare. — Apud nos *Decani* possunt provisorie separationem permittere; sed si *intra tres menses* coniuges non sunt reconciliati, causa ad Episcopum deferenda est. 758.

II. Hae per se sunt solum causae separationis temporaneae. Si tamen Iudex ecclesiasticus absolutam divortii sententiam pronuntiaverit, controvertitur.

III. *Pro praxi* quoad coniuges qui sine legitima auctoritate separati vivunt: 1° non est a Sacramentis arcenda uxor quam publice constat fuisse a viro inique expulsam; 2° attendendum est tum ante tum post factum ad bonam fidem, neque haec frustra deturbanda, dummodo absit scandalum; fideles namque in pluribus regionibus ne cogitant quidem de obligatione recurrendi ad Superiorem eccclesiasticum.

Appendix I: *Facultates Episcoporum expresse delegatae* (1).

Dum Provincia ecclesiastica Ultraiectensis suberat S. Congregationi de P. F. nostris Episcopis delegari et singulis quinquenniis renovari solebant hae praecipue facultates:

I. « Dispensandi in *tertio et quarto simplici et mixto* in contrahendis et contractis; cum haereticis vero conversis etiam *in se-* 759.

(1) Cfr. Feije n. 614 sqq.; Pompen n. 163 sqq.; Vlaming n. 327; Desmet n. 359 sqq.

cundo simplici et mixto, dummodo nullo modo attingat primum gradum, et in his casibus, prolem susceptam declarandi legitimam ».

1. Intelligitur de consanguinitate et affinitate; atque comprehendit etiam multiplicem sine limite, non autem utramque simul concurrentem; cfr. n. 684, II.

2. Prior pars non comprehendit casus quibus gradus 3^{s} vel 4^{s} mixtus est cum 1° vel 2°.

3. Posterior pars intelligitur de matrimoniis contractis in haeresi.

4. Facultas legitimandi prolem per se indultis dispensandi continetur, sed numquam comprehendit prolem adulterinam, neque sacrilegam nisi specialiter exprimatur (1).

II. « Dispensandi in impedimentis dirimentibus *consanguinitatis et affinitatis* usque ad *secundum gradum* inclusive sive *duplicibus* sive simplicibus et mixtis, dummodo nullo modo attingat primum, tam in matrimoniis contractis quam in contrahendis, non solum cum catholicis natis, sed etiam cum illis qui ab haeresi vel infidelitate convertuntur, dummodo tamen utraque pars Catholicam Religionem profiteatur ».

« *Sive duplicibus* »: hinc *non* comprehendit *triplicem* etc.

III. « Dispensandi super impedimento *publicae honestatis ex sponsalibus* proveniente ».

IV. « Dispensandi super impedimento *criminis, neutro* tamen coniugum *machinante* ».

---

(1) Nota 1°: canonice legitimi quoque sunt filii concepti, vel etiam, probabiliter, solummodo nati ex (id autem praesumitur donec de contrario certo constet) vel durante matrimonio putativo, in quo sc. una saltem pars impedimentum ignoravit, dummodo nuptiae ne fuerint clandestinae; cfr. n. 555 II. — 2° Subsequenti autem matrimonio legitimantur, ipso iure, nati ante nuptias filii *naturales,* inter quorum sc. parentes tempore conceptionis (quod certum est) vel etiam, secundum plures, tempore nativitatis vel aliquo tempore intermedio seu gestationis, nullum existebat impedimentum dirimens. Cfr. Gasparri ed 3^{a} n. 1309 et 1385 sqq.; De Becker ed. 2^{a} pag. 295 sq. et 401 sq.; Wernz IV, n. 679, 681 sq. et 686.

Spurii vero non legitimantur nisi ex rescripto S. Pontificis.

Nota 3°: quoad rescripta dispensationum quae in casibus *particularibus* conceduntur, facultas legitimandi non comprehenditur nisi expresse apposita fuerit. In hunc sensum respondit S. Poen. 1 Iul. 1859; eodemque sensu intelligendum videtur Resp. S. C. de Sacram. 29 Ian. 1909.

Quamvis per se haec facultas solum pro foro externo concedi soleat, Episcopo tamen Harlemensi significatum est, se posse eam exercere in utroque foro; Vlaming n. 327, IV.

V. Dispensandi in impedimento *cognationis spiritualis,* praeterquam inter levantem et levatum».

A fortiori excipitur cognatio inter baptizantem et baptizatum.

Nota ad III-V. Etiam hae facultates comprehendunt matrimonia tam contracta quam contrahenda.

VI. «Dispensandi in matrimoniis tam contractis quam contrahendis super impedimento *occulto* primi, necnon primi cum secundo et secundi gradus *affinitatis ex coputa illicita,* non solum in linea collaterali sed *etiam in linea recta,* dummodo certo constet, alterum ex contrahentibus esse non posse alterius filium; et quando agitur de matrimonio cum dicto impedimento iam contracto, cum facultate sanandi etiam in radice, si a consensus renovatione timeatur scandalum, et cum potestate delegandi eamdem facultatem in casibus particularibus presbyteris in praedicta Dioecesi sacro ministerio fungentibus». Cfr. n. 567, III, 4, 1°.

VII. «Dispensandi seu convalidandi litteras dispensationis super quovis canonico impedimento ab Apostolica Sede expeditas, quae nullae fuerint ob errorem nominis vel cognominis contrahentium».

VIII. Episcopo saltem Harlemensi praeterea ad triennium delegari solet facultas «dispensandi super impedimento *mixtae religionis*».

IX. Insuper hodie conceditur quoque specialis *facultas cumulandi* «accedentibus tamen iustis iisque gravibus causis, et *in urgentibus casibus,* pro quibus tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem.

APPENDIX II: *Excerptum e pagella S. Poenitentiariae.*

Confessariis «pro foro conscientiae, et in sacramentali con- 760.
fessione» utenda conceditur

1° sub XII facultas «dispensandi super occulto impedimento primi, necnon primi et secundi, ac secundi tantum gradus affinitatis provenientis ex illicita copula, quando agatur de matrimonio cum dicto impedimento iam contracto: ita tamen, ut, si huiusmodi affinitas proveniat ex copula cum matre desponsatae

nativitas desponsatae copulam ipsam antecedat: monito poenitente de necessaria secreta renovatione consensus cum sua putata uxore, vel suo putato marito, certiorato, seu certiorata de nullitate prioris consensus, sed ita caute, ut ipsius delictum nusquam detegatur, et, quatenus haec certioratio absque gravi periculo fieri nequeat, renovato consensu iuxta regulas a probatis Auctoribus traditas; remota occasione peccandi, atque iniuncta poenitentia salutari, et confessione sacramentali semel in mense, ad tempus arbitrio tuo statuendum ».

2° Sub XIII conceditur facultas « dispensandi super impedimento occulto criminis, dummodo sit absque ulla machinatione, et agatur de matrimonio iam contracto; monitis putatis coniugibus de necessaria secreta renovatione consensus; ac iniuncta gravi poenitentia salutari, et confessione sacramentali semel quolibet mense, ad tempus arbitrio tuo statueudum ».

In fine pagellae additur: « Mens vero nostra est 1° ut si forte ex oblivione vel inadvertentia ultra praedictum terminum [ad quem facultates concessae sunt] his facultatibus te uti contingat, absolutiones seu dispensationes exinde impertitae ratae sint et validae; 2° ut iniunctio confessionis sacramentalis, de qua sub nn. ... XII, et XIII, non sit *irritativa*, sed tantum *praeceptiva;* 3° ut his facultatibus non solum singillatim, sed etiam cumulatim in uno eodemque casu uti possis ».

Ceterum pro explicatione vide n. 734, 736 sub V, 738, 744.

Appendix III: *Formulae petendarum dispensationum pro foro interno* (1).

761. I. In affinitate, *Ad Episcopum.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

Titius et Sempronia matrimonium inire cupiunt. Sed primo affinitatis illegitimae gradu in linea recta se attinent, ex eo pro-

(1) Proponimus formulas alias pro foro interno alias pro foro externo: quamquam pleraeque etiam pro altero foro, si casus ferat, et mutatis mutandis, servire possunt. — Pro utroque foro formulae habentur in App. VI ad statuta Dioec. Bredanae.

proveniente quod orator matrem (*vel:* filiam) oratricis adhuc superstitem (*vel:* iam defunctam) carnaliter cognovit. (*Vel:* quod oratrix ab oratoris patre (*vel:* filio) adhuc supertite (*vel:* iam defuncto) carnaliter cognosci passa est.

Vel: Sed primo affinitatis illegitimae gradu in linea collaterali se attinent, ex eo proveniente quod orator oratricis sororem adhuc superstitem (*vel:* iam defunctam) carnaliter cognovit. (*Vel*: quod oratrix ab oratoris fratre adhuc superstite (*vel*: iam defuncto) carnaliter cognosci passa est.

Vel: Sed primo et secundo affinitatis illegitimae gradu in linea collaterali se attinent, ex eo provenientibus quod orator oratricis amitam (*vel:* materteram, *vel:* neptem) adhuc superstitem (*vel:* iam defunctam) carnaliter cognovit. *Vel:* quod oratrix ab oratoris patruo (*vel:* avunculo, *vel:* nepote) carnaliter cognosci passa est.

Vel: Sed secundo affinitatis illegitimae gradu in linea collaterali se attinent, ex eo proveniente quod orator oratricis consobrinam adhuc superstitem (*vel:* iam defunctam) carnaliter cognovit. (*Vel:* quod oratrix ab oratoris consobrino adhuc superstite (*vel:* iam defuncto) carnaliter cognosci passa est.

Quare humiliter ab Illustrissima Reverentia Vestra petit orator (*vel:* oratrix; *vel, si utrique hucusque ignotum est impedimentum:* petitur) ut dispensationem concedere dignetur. Impedimentum est occultum et solis utriusque complicis parentibus notum, neque adest ulterioris evulgationis periculum.

Causae sunt: 1° omnia ad nuptias parata; 2° nimia partium familiaritas; 3° illegitima nativitas oratricis (*Vel:* copula habita et proles concepta).

Illustrissimae Reverentiae Vestrae
humillimus famulus
N.N. Parochus (Sacellanus) N.N.

Vel: N.N. Sacerdos in Conventu Fratrum Minorum N.N.

II. In crimine, *neutro machinante. Ad Episcopum.* **762.**

Titius et Sempronia.... Sed obstat impedimentum criminis ex adulterio, cum mutua matrimonii promissione, vivente priore Titii uxore (*vel:* Semproniae marito) commisso, et nemini noto.

Quare humiliter petunt dispensationem (*vel:* petitur dispensatio).

Causae sunt: 1° periculum (*vel:* cessatio) concubinatus publici; 2° proles, post mortem uxoris Titii, (*vel:* mariti Semproniae) suscepta; 3° bona fides oratorum qui, contracti impedimenti ignari, de matrimonio ineundo palam tractarunt.

763. III. In crimine *cum machinatione. Ad episcopum,* ob casus urgentiam.

Titius et Sempronia.... Sed obstat impedimentum criminis ex adulterio vivente Titii uxore commisso cum promissione matrimonii et machinatione Titii (*vel:* Semproniae, *vel:* utriusque) in vitam uxoris suae (*vel:* Titii), effectu secuto. Quae delicta sunt omnino occulta, nec est divulgationis periculum.

Neque vero tempus est recurrendi ad S. Sedem pro opportuna dispensatione; cum sine scandalo et gravissimo oratorum incommodo matrimonium differri nequeat: nam proclamationes iam inchoatae sunt, oratoribus impedimentum bona fide ignorantibus, et praeterea instat oratricis partus.

Quare...

Nota. Si casus urget, Episcopus, nisi munitus sit facultate extraordinaria pro casibus urgentioribus speciatim delegata, uti poterit iure quasi-ordinario. Si casus non urget, a S. Sede impetranda est dispensatio: quare vèl supplica directe Romam mittatur ad S. Poenitentiariam vel ad S. C. de P. F., vèl, si nihil obstet, mitti etiam potest ad Episcopum, vèl etiam ab Episcopo peti potest ut a S. Sede dispensationem procurare velit.

764. IV. In impedimento occulto, concurrente impedimento publico. *Ad S. Poenitentiariam.*

Eminentissime Princeps,

Titius et Sempronia matrimonium inire cupiunt. Obstant vero 1° impedimentum consanguinitatis in secundo et tertio gradu lineae collateralis, cuius dispensatio in foro externo iam petita est (*vel:* petetur): 2° impedimentum affinitatis illegitimae in primo gradu lineae collateralis ex copula oratoris cum sorore oratricis adhuc superstite. Impedimentum hoc alterum est omnino occultum et ipsi oratrici ignotum.

Orator et ipse orti impedimenti ignarus propositum matrimonii cum Sempronia contrahendi iam divulgavit; ita ut, nisi matrimo-

nium contrahi possit, gravia incommoda, scandala et dicteria oritura sint. Quare humillime supplicat orator Eminentiae Vestrae, ut in dicto impedimento dispensare dignetur.

Litterae dispensationis, humillime rogo, exequendae committantur Confessario ex approbatis ab Ordinario. dirigantur vero ad infrascriptum

Eminentiae Vestrae

humillimum famulum

N.N. Vicaire à l'église de St. Antoine
N.N. Prêtre au couvent des Frères Mineurs
. . . . straat. N.N. (Pays-Bas).

Inscriptio externa (*adres*): A son Eminence le Cardinal Grand Pénitencier.

Palazzo della Cancelleria.

Rome (Italie).

V. Ad petendas litteras « Perinde valere ». *Ad Episcopum.* Titius et sempronia matrimonium inire cupiunt, obtenta dispensatione in impedimento criminis ex adulterio cum mutua matrimonii promissione. 765.

Vel: Alias, die .... Illustrissima Reverentia Vestra dispensationem benigne concedere dignata est ad instantiam hanc: (*repetitur supplica*).

Verum me latebat alterum impedimentum, omnino occultum, affinitatis in primo gradu lineae collateralis ex copula fornicaria quam Sempronia habuit cum fratre Titii adhuc superstite.

Omnia ad nuptias proxime celebrandas parata sunt. Quare humiliter rogatur Illustrissima Reverentia Vestra, ut dispensationem concessam sanare, novamque in affinitate exposita concedere dignetur.

VI. Pro matrimonio convalidando. *Ad Episcopum.* 766.

Titius et Sempronia bona fide et praemissis denuntiationibus matrimonium in facie Ecclesiae contraxerunt, illudque eadem bona fide consummarunt. Verum invalidum est ob impedimentum affinitatis illegitimae....

Quare humiliter supplicat orator (*vel:* oratrix) Illustrissimae Reverentiae Vestrae, ut pro revalidatione matrimonii, ex quo proles iam nata est, in dicto impedimento dispensare dignetur, remittendo quoad Semproniam (*vel:* Titium) rei prorsus ignaram (ignarum) renovationem consensus, certo perseverantis, cum haec peti nequeat quin peccati commissi suspicio excitetur, et pax domestica perturbetur.

Nota. Vix opus est speciales allegare causas, cum ordinarie in casu occurrentes per se intelligantur, et ipsa revalidatio matrimonii sit causa finalis; cfr. n. 695.

Appendix IV: *Formulae pro foro externo* (1).

767. I. Pro licentia assistendi matrimonio vagorum.

Illustrissime ac Reverendissime Domine.

Maria B..., parochiana mea, matrimonium inire cupit cum Ioanne A...., vago. Diligenti facta inquisitione, nihil quod eius libertati obstet, inveni. Quare humiliter Illustrissimam Reverentiam Vestram rogo, ut mihi, quid faciendum sit, significare dignetur.

768. II. Pro dispensatione in impedimento mixtae religionis.

Maria B.... catholica, parochiana mea, matrimonium inire cupit cum Ioanne A.... lutherano.

Quare humiliter supplicat Illustrissimae Reverentiae Vestrae ut dispensationem super impedimento mixtae religionis concedere vel a S. Sede procurare dignetur.

---

(1) Observa 1°: Supponimus supplicam dirigi et mitti ad Episcopum; cfr. n. 704. — Ex prosynodo Dioec. *Ultraj.* anni 1891, quoties dispensatio petitur cuius concedendae facultatem non habet Archiepiscopus, supplica inscribenda est ipsi Beatissimo Patri. — 2°. Plures Episcopi desiderant, vel etiam praescribunt, ut praeter requisita ex iure communi vel stylo Curiae Romanae, alia quoque exprimantur, uti: Dioecesis (si haec est alia a Dioecesi ad cuius Episcopum dirigitur supplica) locus (civitas), Parochia, tum originis tum actualis domicilii; aetas oratorum; si pro viduis petitur, nomina et cognomina prioris coniugis, numerus prolium ex anteriori connubio, harumque aetas generali saltem modo indicata; cfr. n. 706. Ad quae proinde in singulis Dioecesibus est attendendum.

Partes scripto apud me consignato (1) (*vel:* sub fide iuramenti) promiserunt se servaturas esse omnes conditiones ab Ecclesia praescriptas.

Quantum ex adiunctis iudicare mihi licet, non est ratio dubitandi de sinceritate promissionum, neque timendi periculum extraordinarium perversionis pro parte catholica.

Causae dispensandi sunt: vani conatus adhibiti ad partem catholicam ab hoc matrimonio avertendam; periculum matrimonii civilis....

Exposita vera esse, diligenti facta inquisitione, reperi et testor.

Pars catholica taxam ordinariam solvere (non) potest (*vel:* apud me deposuit) (2).

769. III. Pro dispensatione ab impedimentis dirimentibus.

Ioannes A... et Maria B..., parochiani mei, (*vel:* Ioannes A... parochiae N.N. et Maria B..., parochiana mea; *vel:* Ioannes A..., natus in Dioecesi N.N., hodie domicilium habens in Parochia N.N. et Maria B... nata in Dioecesi N.N., hodie parochiana mea), matrimonium irire cupiunt.

Obstat vero 1° impedimentum consanguinitatis tertii et quarti gradus inaequalis lineae collateralis; 2° impedimentum affinitatis tertii gradus aequalis, ex eo quod orator olim uxorem habuit Annam C... oratrici in dicto gradu consanguineam; 3° impedimentum cognationis spiritualis, ex eo quod oratrix prolem oratoris, ex praecedenti matrimonio genitam, in Baptismo suscepit.

Quare...

Causae sunt: aetas oratricis superadulta, quae nim. 30^{m} annum excessit; quatuor filii oratori viduo ex praecedenti matrimonio relicti, quibus quaerit bonam matrem....

Orator possidet in re...., in spe....; oratrix in re...., in spe....; (*vel:* Oratores tam pauperes sunt ut solo manuum labore vivant.

Exposita vera esse.... (3).

---

(1) Cfr. n. 574.

(2) Cfr. n. 704, IV, 723, I, i. f., 725.

(3) Addantur schemata consanguinitatis et affinitatis.

770. IV. Pro impedimentis publicis affinitatis illegitimae et criminis neutro machinante.

Ioannes A... et Maria B..., parochiani mei matrimonium inire cupiunt.

Obstat vero 1° impedimentum affinitatis primi gradus lineae collateralis aequalis ex copula illicita quam orator habuit cum sorore oratricis, quod impedimentum in Parochia mea notum est; 2° impedimentum criminis ex adulterio, cum mutua matrimonii promissione, vivente priore Ioannis uxore, commisso, quod impedimentum pariter in Parochia notum est.

Quare....

Causae sunt: concubinatus publicus; remotio scandalorum.

Oratores adeo pauperes sunt ut....

Exposita vera esse....

771. V. Pro revalidatione matrimonii.

Ioannes A... et Maria B..., parochiani mei, die 10 Maii 1907, praemissis denuntiationibus matrimonium in facie Ecclesiae bona fide contraxerunt, illudque eadem bona fide consummarunt. Verum invalidum est ob impedimentum consanguinitatis in quarto gradu aequali lineae collateralis: quod nunc solum innotescit.

Quare humiliter supplicant Illustrissimae Reverentiae Vestrae, ut dispensationem ab hoc impedimento ipsis concedere vel a S. Sede procurare velit, ita ut matrimonium denuo in facie Ecclesiae contrahere possint (1).

---

(1) Cfr. nota ad n. 765. De legitimitate vel legitimatione prolis vide n. 555, II et nota ad n. 759, I, 4.

INDEX ANALYTICUS.

THEOLOGIA MORALIS SACRAMENTALIS.

Tract. I. De Sacramentis generatim.

Cap. I. **Sacramentorum natura.** . . . . . Pag. 3
Cap. II. **Sacramentorum confectio** 4
Art. I. De materia et forma Sacramentorum 5
Art. II. De intentione Ministri Sacramentorum 8
Cap. III. **Minister Sacramentorum.** 9
Art. I. Conditiones licitae confectionis 9
Coroll. De administratione Sacramenti dubie validi etc. 11
Art. II. Obligatio ministrandi Sacramenta 18
Cap. IV. **Subiectum Sacramentorum** 22
Art. I. Conditiones validae susceptionis 22
Art. II. Conditiones licitae et fructuosae susceptionis. 25

Tract. II. De Baptismo.

Cap. I. **De materia et forma Baptismi** 27
Art. I. De materia remota 27
Art. II. De materia proxima. 28
Art III. De forma 30
Coroll. De Baptismo dubio conditionate iterando 32
Cap. II. **De Ministro Baptismi** 34
Cap. III. **De subiecto Baptismi** 35
Art. I. De infantibus haereticorum et infidelium 35
Art. II. De foetu abortivo 37
Art. III. De foetu in utero matris et de sectione caesarea. 39
Scholion de monstris 43
Art. IV. De adultis 44
Cap. IV. **De ceremoniis Baptismi** 45

Tract. III. De Confirmatione.

Cap. I. **Notio. Materia. Forma.** 48
Cap. II. **Minister. Subiectum. Patrinus.** 49

Tract. IV. De SS. Eucharistia.

Sectio I. **De SS. Euch. praecipue ut Sacramentum est** . . pag. 51
CAP. I. **De materia et forma** 51
Art. I. De materia panis 52
Art. II. De materia vini 54
Art. III. Conditiones materiae consecrandae. 57
Art. IV. De forma 61
CAP. II. **De Ministro SS. Eucaristiae** 63
Art. I. De potestate ministrandi 63
Art. II. De servandis in SS. Eucharistiae distributione 65
CAP. III. **De subiecto SS. Eucharistiae** 67
Art. I. Quibusnam permittatur 67
Art. II. De dispositione animae generatim 69
Art. III. De Communione frequenti et quotidiana speciatim 73
Art. IV. De dispositione corporis 79
§ I. De ieiunio naturali requisito 79
§ II. De reverentia debita 89
Art. V. De obligatione sumendi SS. Eucharistiam 90
§ I. De Communione annua 90
§ II. De Viatico 93
Sectio II. **De SS. Euch. ut sacrificium est** 94
CAP. I. **De obligatione celebrandi et applicandi** 94
Art. I. De obligatione praecipue celebrandi. 94
Art. II. De applicatione Missae 96
Art. III. De obligatione etiam applicandi. 98
§ I. De obligatione ex officio. 98
§ II. De obligatione ex stipendio. 100
CAP. II. **De praeceptis liturgicis** 116
Art. I. Quoties, quibus diebus et horis liceat celebrare 116
Art. II. De loco celebrationis 121
Art. III. De requisitis ad Missam 124
§ I. De Altari eiusque ornamentis 124
§ II. De vasis sacris et paramentis. 128
§ III. De paramentis Celebrantis. 129
§ IV. Observanda in ipsa celebratione. De Rubricis Missalis I . 132

Tract. V. De Poenitentia.

Notiones praeviae. 137
Sectio I. **De subiecto Sacramenti Poenitentiae** 130
CAP. I. **De contritione.** 140
Art. I. De contritione generatim 140
§ I. Notio. Divisio. Efficacia. Necessitas 140
§ II. De dotibus necessariis contritionis generatim. 143
Art. II. De contritione in Poenitentiae Sacramento speciatim 146
Art. III. De proposito 153

Scholia de peccatis venialibus . . . . . Pag. 155
CAP. II. **De confessione** 156
Art. I. De confessionis-materia generatim 156
Art. II. De necessitate et praecepto Sacramenti Poenitentiae et confessionis 159
Art. III. De dotibus confessionis generatim 162
Art. IV. De integritate confessionis speciatim 163
§ I. De integritate materiali 163
Scholion I de peccatis dubiis 170
Scholion II de peccatis sine culpa omissis 172
Scholion III de examine conscientiae 173
§ II. De integritate formali 175
Art. V. De confessionum repetitione generatim 180
Art. VI. De confessione generali 184
Scholion I de confessione generica 191
Scholion II de confessione materiae dubiae et liberae 195
CAP. III. **De Satisfactione** 196
Art. I. Officium Confessarii 196
Art. II. Obligatio poenitentis 205
Sectio II. **De Ministro Sacramenti Poenitentiae** 208
CAP. I. **De potestate Ministri** 208
Art I. De iurisdictione ordinaria 208
Art. II. De iurisdictione delegata et approbatione generatim 209
Art. III. De iurisdictione et approbatione Regularium speciatim. . . 215
Art. IV. De iurisdictione in articulo mortis 218
Art. V. De iurisdictione suppleta et de usu iurisdictionis incertae . . 219
Art. VI. De iurisdictione in Regulares etc. 221
Art. VII. De Confessariis Monialium 223
CAP. II. **De casuum reservatione** 228
Art. I. De ipsa reservatione eiusque conditionibus 228
Art. II. De absolutione casuum reservatorum 232
Art. III. De casuum reservatione in Prov. eccl. Ultrajectina 241
§ I. Casus reservati 241
§ II. Reservationis limitationes 244
CAP. III. **De Ministri dotibus et officiis** 246
Art. I. De scientia Confessarii 248
Art. II. De secundario iudicis officio interrogandi 250
Art. III. De officio instruendi seu monendi 257
Art. IV. De officiis medendi et exhortandi 261
Art. V. De primario iudicis officio 262
Art. VI. De Absolutione eiusque forma 269
Sectio III. **De nonnullis poenitentium generibus** 273
CAP. I. **De recidivis et occasionariis** 273
Art. I. De recidivis non-occasionariis 273
Art. II. De occasionariis 277
Art. III. De nonnullis occasionibus in particulari 282
§ I. De procationibus 282

§ II. De concubinatu. . . . . Pag. 285
§ III. De nonnullis periculis domesticis 288
Cap. II. **De moribundis absolvendis** 289
Sectio IV. **De Confessarii obligationibus Confessionem subsequentibus** 291
Cap. I. **De sigillo sacramentali.** 291
Art. I. De ipsa obligatione sigilli sacramentalis 292
Art. II. De materia sigilli sacramentalis 296
Art. III. De subiecto sigilli sacramentalis. 298
Art. IV. De sigilli violatione 299
Cap. II. **De obligatione corrigendi defectus commissos** 305
Appendix. De sollicitatione. 308
Art. I. Quinam et quibus casibus denuntiandi tamquam sollicitantes . 310
Art. II. Quinam debent denuntiare 322
Art. III. Causae ab obligatione denuntiandi excusantes 323
Art. IV. De modis exequendi denuntiationem 325
§ I. Modus recipiendi denuntiationes extra confessionale. . . . 327
§ II. Denuntiatio in confessionali. 329
Art. V. De obligatione Confessariorum monendi poenitentes de onere denuntiandi 330

Tract. VI. De Extrema Unctione.

Cap. I. **Notio. Effectus. Materia. Forma. Ritus** 334
Cap. II. **De Ministro Extremae Unctionis** 338
Cap. III. **De Subiecto Extremae Unctionis** 339

Tract. VII. De Ordine.

Cap. Unic. **Notio. Materia. Forma. Subiectum.** 343

Tract. VIII. De Matrimonio.

Cap. I. **De sponsalibus** 350
Art. I. Notio sponsalium 350
Art. II. Forma substantialis sponsalium 354
Art. III. Effectus sponsalium 360
§ I. De sponsalibus absolutis 360
§ II. De sponsalibus conditionatis 362
§ III. De poenis, arrhis etc. 364
Art. IV. Causae dissolutionis sponsalium 364
Cap. II. **De denuntiationibus** 372
Scholion I. Obligatio fidelium 378
Scholion II. Officium Parochi et Confessarii 378
Cap. III. **De natura Matrimonii** 380
Art. I. Notio et divisio Matrimonii. 380
Art. II. De consensu matrimoniali 382

Cap. IV. De impedimentis Matrimonii generatim . . . . . Pag. 390
Scholion de impedimentis matrim. Iuris civ. Neerl 396
Cap. V. De impedimentis impedientibus in specie 398
Scholion de dissensu parentum et de lege civ. matrim. vetante . . 406
Cap. VI. De impedimentis dirimentibus in specie 411
Art. I. Error. Conditio 411
Art. II. Metus 412
Art. III. Raptus 414
Art. IV. Aetas 415
Art. V. Impotentia 416
Art. VI. Ligamen 420
Art. VII. Votum. Ordo 421
Art. VIII. Disparitas cultus 422
Art. IX. Cognatio spiritualis 424
Art. X. Cognatio legalis 427
Art. XI. Consanguinitas 427
Art. XII. Affinitas 433
Art. XIII. Publica honestas 435
Art. XIV. Crimen 437
Art. XV. Clandestinitas. Decretum « Ne temere » 442
§ I. Promulgatio et vis Decreti 442
§ II. Statuitur impedimentum dirimens 446
§ III. Conditiones validae assistentiae 446
Scholion. De testibus generatim eorumque praesentia 450
§ IV. Conditiones licitae assistentiae 451
§ V. De delegatione et de Sacerdote delegato 456
§ VI. De utroque casu excepto 459
Punctum I. Casus periculi mortis 459
Punctum II. Casus deficientis testis qualificati 462
Appendix I. De registratione matrimoniorum 464
Appendix II. Sanctio poenalis 466
§ VII. De subiecto legis 467
Scholia. De matrimonio clandestino et conscientiae 473
Cap. VII. De dispensatione impedimentorum 474
Art. I. De potestate dispensandi 474
Art. II. De causis dispensandi 478
Art. III. De modo dispensationis petendae 485
§ I. Quis a quo petere debeat 485
§ II. De ipsa supplica conficienda 489
I. De personis 490
II. De impedimentis et circumstantiis 490
III. De causis 496
IV. De statu fortunae 496
Art. IV. De dispensationum vitiis et sanatione 498
Art. V. De modo dispensationis concedendae et exequendae 500
Cap. VIII. De matrimonio invalido convalidando 506
Art. I. Regulae agendi pro Parocho et Confessario 506

Art. II. De matrimonio nullo ex solo defectu consensus . . . Pag. 507
Art. III. De matrimonio nullo ex defectu formae 508
Art. IV. De matrimonio nullo ob inhabilitatem partium 508
§ I. Dispensatio ordinaria et impedimentum cessans 509
§ II. Sanatio in radice 510
Cap. IX. **De divortiis** 513
Appendix I. Facultates Episcoporum expresse delegatae 517
Appendix II. Excerptum e pagella S. Poenitentiariae. 519
Appendix III. Formulae petendarum dispensationum pro foro interno 520
Appendix IV. Formulae pro foro externo 524

INDEX ALPHABETICUS

TOTIUS OPERIS.

Numerus romanus tomum, arabicus numeros marginales indicat.

A

Ablutio ut materia proxima Baptismi III 60 sqq., 83.

Abominatio ipsius personae, solius qualitatis; utriusque moralitas I 237 sq.

Abortus quid II 488. — Directa procuratio numquam licet 490, 492 sq. Indirecta quando liceat 490 sqq. — Censura procurantium I 589. — Peccatum reservatum in DD. Ultraj. et Buscod. III 365, in D. Ruraem. 366, in D. Bred. 368.

Absolutio a censuris in quantum requiratur III 393.

Absolvendi potestas 359; in periculo mortis 347, 358; in casibus urgentioribus 359. — Potestas *Superiorum* Regularium 360; *Regularium* confessariorum ib.; in casu impedimenti ib. — Absolvere praesumens a casibus R. P. speciatim reservatis contrahit excommunicationem simpliciter reservatam I 587.

Absolutio a peccatis: forma III 393. Modus ad valorem requisitus 394. — Quibus danda, neganda, differenda 390 sq., cfr. 278. — Conditionata 349, 395 sq.; ignorantium necessario credenda vel scienda I 175, 178; recidivorum III 398 sq.; occasionariorum 403 sqq.; concubinariorum 414, 417 sq.; moribundorum 421 sq.; peregrinorum 341, 362; navigantium 343; obligatorum ad restitutionem II 451. — A peccatis reservatis 347, 360 sqq.; in DD. Neerlandiae 369.

Absolutio complicis in peccato turpi per se invalida ac illicita, et excommunicatione punitur I 570 sqq.; in quantum excipiatur articulus mortis 473, 576, vel casus necessitatis extraordinarius 577; quid agendum in casibus necessitatis ordinariis ib. — Confessarius Sacerdotis qui complicem absolvit III 359 sub II.

Abstinentia: virtus I 170.

Lex ecclesiastica 480, 492 sqq.; repetita laesio et gravis materia 497; causae excusantes 498. — Quinam dispensare possint 107. — Dispensati tenentur, exempti non tenentur diebus jejunii prohibitione permixtionis epularum 493; dispensati, si exempti sunt a lege jejunii, per se pluries per diem cibis permissis uti possunt ib. — Quid juris si concessus est usus adipis liquefacti 494.

Acatholici baptizati per se legibus ecclesiasticis tenentur; quibusnam de facto non teneantur I 94. — Quid de eorum assistentia divinis Officiis 542. — Suffragia communia et Missa in quantum iis ab Ecclesiae Ministris applicari possint vel non possint 544; III 166. — Quinam acatholici in sensu Decreti *Ne temere* III 672 sq. 675; ii non ligantur isto Decreto ib., 677. — Acatholicorum libri quinam prohibiti I 511, 514.

Acceleratio partus: notio, moralitas II 488 sq.

Accessio modus acquirendi dominium etc. II 76 sqq.

Acedia: notio, moralitas, filiae I 156.

Actus heroicus in quantum lege humana praecipi possit I 92.

— humanus: notio I 1; divisiones 2; *requisita:* ex parte intellectus 3, ex parte voluntatis 4.

— externus num moralitatem addat actui interno I 38. — Quando in Confessione exprimendus III 267.

— internus in quantum lege humana praecipi possit I 91.
— indifferens moraliter num vel quo sensu detur 26, 36.
— num vel quomodo in Deum referendi I 37.
Aditio hereditatis fit simpliciter vel sub beneficio inventarii; jus deliberandi II 95.
Adjuratio: notio, distinctio, objectum, requisita ad liceitatem, moralitas I 382.
Adoptio quid, quotuplex, quando impedimentum matrimonii, atque inter quosnam et quamdiu III 608.
Adulteratio mercium per se injusta II 235.
Adulterium: notio, moralitas I 447, 449; ejus malitia inesse quoque potest aliis actibus luxuriae perfectis vel imperfectis, solitariis vel cum alio commissis 446, 453. — ut causa restituendi II 510 sqq. — ut causa partialis impedimenti criminis III 631 sqq. 636. — ut causa divortii semipleni 752 sq.
Advertentia requisita ad actum humanum I 3 sqq., ad voluntarium in causa 7, ad peccatum 126 sq., 131.
Aedificatio ut modus acquirendi dominium II 78. — Aedificare templa haereticorum etc. ut cooperatio I 280.
Aegrotus vid. Infirmus.
Aequiprobabilismus: notio I 60; num differat a probabilismo 64; ut differt, refellitur 65 sqq.
Aequivocatio: notio, moralitas II 575.
Aetas ut excusat a jejunio I 486. — ut impedimentum matrimonii III 588. — ut causa canonica dispensationis matrimonialis 687.
Affabilitas: notio, officia, peccata opposita II 570.
Affinitas: notio, impedimentum matrimonii, ad quem gradum III 620; regulae affinitatis 621 sq.; quomodo multiplicetur 624. — ut matrimonio superveniens I 421 sq.; facultas dispensandi in ea ib.
Alienae rei venditio in quantum invalida et quae ejus effectus II 217 sqq. — Alienâ pecuniâ si quis emit quid juris 222.
Alienantes bona ecclesiastica quando excommunicationem incurrant I 592,
Alluvio ut modus acquirendi dominium etc. II 77.
Altare quale requiratur ad Missam licite celebrandam III 204 sq.; quomodo execretur 205. — Quid si Missa ad Altare privilegiatum petita est 185.
Amasii quoad procationem III 411 sq.
Ambitio: notio, reatus I 146 sq.
Amentes, etiam perpetuo, in quantum sobjaceant legi naturali I 93; legibus positivis non subjacent ib., sq. — Quorum Sacramentorum sint capaces III 4; speciatim quoad S. Communionem 126 sqq., quoad Extremam Unctionem 493 sub II. 495.
Amissae res: jus et obligatio inventoris et domini II 73 sq.
Amor distinguitur I 201. Vid. Charitas.
Anatocismus quid, num liceat II 306.
Ancillae cauponum quoad scandalum I 272 sub X. Vid. Famuli.
Angustia loci causa canonica dispensationis matrimonialis III 686.
Animalia quoad occupationem II 69.
Anniversaria incidentia in dies impeditos III 188.
Antichresis quid, num admittatur II 344.
Apostasia: notio, malitia I 100 sq.; plectitur censurâ 563. — ab Ordine vel Religione: casus reservatus in Neerlandia III 365 sqq. Vid. Acatholici.
Applicatio Missae quibus fieri possit et liceat vel non liceat III 166; quomodo facienda sit 168 sqq.
Applicandi obligatio *ex officio*: qui teneantur 170, quibus diebus 171; qualis et quanta obligatio; quaenam causae excusent ab accessoriis 172.
Applicandi obligatio *ex stipendio*: vi contractûs et legum Ecclesiae 175; obligatio *principalis* quanta sit 176, quoad tempus 177, 179, et quid si suo tempore satisfieri nequeat 180; quoad alias circumstantias 185 sqq.; quoad *numerum* 190 sqq.
Approbatio Confessarii quid sit, cujus Episcopi, quibus, et pro quibus poenitentibus sit necessaria III 366 sq., cfr. 359 sub V. — Approbatio *Regularium* 345 sq. — pro Monialibus 352 sq.
Aqua ut materia Baptismi III 58 sq., 63, 84 nota 2, 95 sq. — Vino miscenda pro sacrificio Missae 110 i. f.
Arbiter qui lites inter contrahentes dirimat II 350.

Arrha addita emptioni-venditioni II 231, locationi-conductioni famulorum 278, sponsalibus III 519.

Articulus seu **periculum mortis** quoad Sacramenta generatim III 50, quoad jejunium naturale 150, quoad jurisdictionem et cessationem reservationis 347, 358, quoad Absolutionem sacramentalem 421 sq., quoad Extremam Unctionem 493, 496, quoad potestatem dispensandi in impedimentis matrimonialibus 665, 683.

Artifices quoad confectionem rerum quibus alii sunt abusuri I 272 sub V, 287. — quoad contractum operis perficiendi II 281 sqq.

Aspicere turpia: reatus I 469 sqq.

Assecuratio ut contractus generatim II 326 sqq. — vitae 333.

Attentatio matrimonii ut causa partialis impedimenti criminis III 633.

Attentio requisita ad Missam debite audiendam I 385 sq.; in administratione sacramentorum III 31; in susceptione sacramentorum 51, 54.

Attritio, ut differt a contritione: notio, efficacia, necessitas III 234 sqq. 254; dotes necessariae generatim 238 sqq. in Sacramento Poenitentiae 244 sqq. 253.

Auctarium ad contractum mutui II 298 sqq.; ad empionem-venditionem 228 sub IV; debitum a possessore malae fidei 424, ab eo qui restitutionem vel solutionem distulit 452.

Auctio publica: quid ad ejus justitiam requiratur II 252; quando fraudes committantur 253; quae in ea liceant vel non liceant 254 sq.

Auctor libri quae jura vel privilegia habeat II 21.

Auctoritas seu probabilitas extrinseca I 78 sq. — interpretum legis 101.; *Decretorum* SS. CC. Romanarum 104, in materia fidei 196 sub IV.

Audientes turpiloquia quando et quantum peccent I 474 sq. — detractionem II 521 sq.

Aurora ut tempus inchoandi Missam quomodo sumatur et computetur et quantum obliget III 194; privilegia Regularium ib.; causae anticipandi 195.

Avaritia: notio, moralitas, filiae I 148.

B

Banna vid. proclamationes nuptiales.

Baptismus: definitio III 57; materia *remota* ad valorem 58, ad liceitatem 59, 95; materia *proxima* ad valorem 60 sqq., ad liceitatem 64; forma: quaenam verba et in quantum sint essentialia 65 sqq.; quantum peccet, qui, salvo valore, aliquid mutet vel addat 69. — Iteratio quando fieri debeat vel possit, et quomodo 27 sqq., 70 sqq.; quaenam in dubio examinanda 73.

Minister quis sit 74 sq., in necessitate 96.

Subjectum: requisita in eo ad valorem 18 sqq., ad liceitatem 52 sqq. — Recens nati quando baptizari debeant 77, adulti 91, 93. — De infantibus haereticorum et infidelium 78 sqq. — De foetu abortivo. 82 sq., in utero matris 84. De monstris 90. — De moribundis 92.

Caeremoniae: quaenam sub gravi obligent 94, 96. — Domi quinam baptizari possint et quomodo 95. — De interrogationibus 96, de caeremoniis omissis ib. — Patrini quot et quales ac sub quanto peccato requirantur ib.

Cum dubio de valore quando et quomodo administrari possit vel debeat 23 sqq.

Dubius Baptismus in ordine ad disparitatem cultus 600, ad cognationem spiritualem 605, et quid si postea certitudo acquiratur ib.

Beneficentia proximo debita I 212 sqq. Vid. Eleemosyna, Ordo charitatis.

Beneficium ecclesiasticum ut est materia simoniae I 325 sqq. — ut inducit obligationem celebrandi et applicandi Missam III 163. Vid. Stipendium.

Bestialitas: notio, malitia I 462.

Biblia sacra quoad editionem etc. I 513 sq., 526, 532.

Binandi facultas III 196 sq., quoad stipendium 198.

Blasphemia: notio I 311; quid de locutione Neerlandica G. vd. m. 312 sqq.; de formulis corruptis 317; distinctiones 318; malitiae gravitas et species 319 sq. — Notae practicae pro Confessario 321.

Bona *nullius* quoad occupationem II 68 sqq. — *ad personas ecclesiasticas* ratione suarum ecclesiarum aut beneficiorum pertinentia usurpantes

aut sequestrantes I 578. — *ecclesiastica* usurpantes 587 sub XiX; ea alienantes absque Beneplacito Apostolico 592 sub III.
Bona fides quoad possessionem generatim quid sit II 54; jura ex lege civili 57. — ut requisita ad praescriptionem acquisitivam 86 sqq.; quoad res mobiles 90; ad praescriptionem liberativam 93. — Bonae fidei possessor quoad restitutionem 357 sqq., 415 sq.
Bona fortunae quae sint 18; distinctiones 19.
Bona animi quoad laesionem et restitutionem 471 sq.
Bonitas moralis: notio, regulae, distinctiones I 24 sqq.; fontes et quomodo ex iis contrahatur 27 sq. — ex integra causa 35.
Bonum pacis ut causa dispensationis matrimonialis III 694.
Bursae ludi nonnulli seu speculationes exponuntur et dijudicantur II 251.

C

Caeremoniae Sacramentorum generatim III 30 sq. — Baptismi 94 sqq. SS. Eucharistiae ministrandae 125, conficiendae 110 sub III, 115, 223 sqq.
Calix Missae III 211 sq.
Calumnia: notio, species, gravitas II 515 sqq.; restitutio famae 526 sqq.
Calumniosa accusatio de sollicitatione ad turpia in Confessione III 357, 359, 483.
Cambium: notio, distinctio, moralitas II 313 sq.
Campanas pulsare in templo acatholico, ut cooperatio I 281.
Candelae pro Missa III 208 sq.
Cantum dirigere in templo haeretico, ut cooperatio I 382.
Caro quoad legem abstinentiae quid sit I 492.
Castitas: notio, distinctio. I 170. — Peccata contra castitatem in matrimonio 430 sqq., extra matrimonium 446 sqq. — *Violatio voti* castitatis 451 sub III. — *Votum* castitatis *post sponsalia* num vel in quantum liceat et sponsalia solvat III 535 sqq. — Votum castitatis ut impedimentum impediens matrimonii 571 sub III, ejus obligatio post matrimonium contractum 572, cfr. I 422, ut impedimentum dirimens III 596 sqq. — Excommunicatio matrimonium contrahentium post votum solemne castitatis I 588. — Dispensatio voti castitatis ut reservata I 357.
Castratio num liceat I 210. — Conjugibus castratis num licita maneat copula 417 sub IV. — Mulieres castratae num possint valide matrimonium inire III 590.
Casula pro Missa III 217 sqq.
Casus perplexus III 567.
Casus reservati vid. Absolutio, Reservatio.
Caupo quoad cooperationem ad peccata aliena I 288; ejus obligatio relate ad res viatorum II 287.
Causa: distinctiones in ordine ad voluntarium et imputabile I 6. — Causae deobligantes a lege, earumque appositio 98 sq. — Causae cessantis legis vel obligationis 105 sqq. Eadem in ordine ad leges vel obligationes speciales vid. suis locis.
Celebrare Missam: unde, quoties et quanta sit obligatio III 161 sqq. celebrans in statu peccati quot peccata committat 35.
Censura: notio, divisio, distinctiones I 533 sq.; subjectum 535; causa ob quam contrahitur 536; causae excusantes 537; quaenam hodie vigeant 561 sq.
Censura librorum ad quos pertineat I 526 sqq.; horum officium 530; libri censurae subjiciendi 531.
Census realis II 66; — ut contractus 307 sqq.; — perpetuus 311; — vitalitius 312.
Cessatio a labore locato, seu intermissio operarum (*werkstaking*) in quantum liceat II 279.
Cessio bonorum vel **fori** quid efficiant generatim II 147; num excusent a restitutione vel solutione postea facienda 467; cessurus quantum retinere possit, et num aliis liceat ipsi in hoc adjuvare ib.
Character sacramentalis III 1 sq.
Charitas: notio I 201 sqq.
— erga Deum: necessitas, praeceptum 204; peccata opposita 205.
— erga se: relate ad curam salutis temporalis quaenam prohibeat, permittat, praecipiat 206 sqq.
— erga proximum: quaenam praecipiat 211 sqq.; ejus ordo 214 sqq.; obligatio eleemosynae 221 sqq., correctionis fraternae 229 sqq. — Quaenam prohibeat: odium 237 sqq., in-

vidiam 241 sq.: — Obligatio erga inimicos 243 sqq.; — scandalum 248 sqq., cooperationem 248, 274 sqq. Vid. Cooperatio, Correctio fraterna, Eleemosyna, Scandalum.

Chirographa quoad emptionem-venditionem II 251.

Choreae et **Comoediae** quoad moralitatem, scandalum et cooperationem I 477 sqq., cfr. 272 sub IV, 285, 288.

Chrisma materia Confirmationis III 98.

Circumstantiae ut fons moralitatis I 28, 30 sq. — quaenam exprimendae in Confessione sacramentali III 267, 271 sq.

Clandestinitas ut impedimentum dirimens matrimonii sub Decreto *Ne temere* III 644 sqq.; viget generatim etiam pro matrimoniis mixtis 672, 675; quinam excepti vel exempti sint 672, 674, 676 sq. Partialis exceptio pro casu imminentis periculi mortis 663 sqq., pro casu quo Parochus haberi non possit 666 sq. — Differentiae anterioris legislationis vigentis sub Decreto *Tametsi* 643, 647, 649, 652, 662, 665, 667 sub IV, 679.

Clausuram Monialium vel Regularium violantes I 585.

Clementia: notio, vitia opposita I 170 sub III 3°.

Clericus habituatus in peccatis luxuriae occultis num possit ad sacros Ordines ascendere III 572 sub II.

Coactio ut impedimentum voluntarii distinctum a metu I 18 sq.

Coena Domini quoad prohibitionem et permissionem Missarum III 193.

Cognatio ut impedimentum dirimens matrimonii: spiritualis, unde, a quibus et inter quos, sub quibus conditionibus contrahatur III 601 sqq. — Quid de Baptismo privato vel dubio et iterato? 605. — Quibus modis multiplicetur 606.

— legalis quid sit, et inter quos et quamdiu constituat impedimentum 608.

— naturalis seu **consanguinitas**: notio 609; regulae computandi gradus 610; quo jure et gradu dirimat matrimonium 611; modus inveniendi gradus et multiplicem consanguinitatem 612, 619; quibus modis multiplicetur 613 sqq.

Cognitio vid. Advertentia.

Cohabitatio ut obligatio conjugum I 427. — quandoque causa dispensationis matrimonialis III 692.

Collatio (*inbreng*) ab heredibus facienda II 98.

Collatio vespertina: quantum et quid permittatur I 481, 494 sq.

Colloquia turpia: reatus I 473, 475.

Commixtio ut modus acquirendi dominium II 80.

Commodatum: contractus II 290 sqq.

Communicatio cum excommunicatis I 539, 550.

Communio sacra: quibus dari possit vel non possit III 126 sqq.; in quantum praemittenda sit confessio sacramentalis 131 sqq.

— frequens et quotidiana 136 sqq.; quoad moniales et religiosos laicos 139 sqq.

Jejunium naturale requisitum 143 sqq.; causae excusantes 150 sqq.; legis mitigatio pro infirmis 151. — *Reverentia debita* 154. — *Obligatio* ex praecepto divino: per vitam 155, Viaticici 159 sqq., ex praecepto ecclesiastico seu in Paschate 156 sqq.

Communio bonorum inter conjuges II 29 sqq.; ejus solutio 38 sqq.; quoad binubos et alienigenas 41 sq.

Commutatio voti I 360 sqq., juramenti 381; satisfactionis sacramentalis III 323 sqq.

Compensatio legalis II 458 sub II. — occulta ib., 556 sq. — quoad famam et honorem 534 sub VI.

Complex qui peccata confiteri non potest sine infamia complicis III 288. — Quid de inquisitione in nomen complicis 291. — Excommunicatio lata in docentes licitam praxim inquirendi I 581. — Sacerdos absolvens complicem Vid. Absolutio.

Compositio ad extinguenda debita II 458 sub IV.

Compromissum contractus II 350.

Concubinatus: notio I 448. — ut occasio proxima III 443 sqq.

Concupiscentia: notio, divisio, influxus in voluntarium et peccatum I 22 sq.

Conditio num vel quando apponi possit, et quid efficiat si apponatur: ad desiderium seu propositum mali I 132 sqq., ad votum generatim 343, ad votum reservatum 357 sub II 2°, ad clausulam testamenti II 113, cfr. 121, ad contractum generatim 166 sqq., ad donationem 166 sqq., ad emptio-

nem-venditionem 232 sub II 3° et 4°, ad promissionem matrimonii qua puella inducta est ad consensum in copulam 498 sqq., ad administrationem Sacramentorum generatim III 12, 15 sq., 23 sqq, ad Baptismum 70 sqq., item quoad foetus abortivos 82 sq., vel in utero matris 84, quoad monstra 90, quoad moribundos 92; applicationi Missae 168, ad Absolutionem sacramentalem 390sq., 395sq., 417 sq., 421; ad Extremam Unctionem 485 494; ad Ordinationem 501; ad sponsalia 516 sq.; ad Matrimonium 560 sqq., 592.

Conditio servilis impedimentum dirimens matrimonii III 584 sub III.

Condonatio debiti non subjacet juris civilis solemnitatibus II 206 sub II. — causa excusans a restitutione vel solutione 458.

Conductio vid. Locatio.

Confessarius quoad usum opinionum probabilium I 79. — scrupulosi 83, blaspemorum 421, nupturientium et conjugum 445, obligatorum ad restitutionem, solutionem vel damni compensationem II 432, 551, moribundorum III 421 sq.

— Ejus *potestas:* vid. Absolutio, Approbatio, Jurisdictio.

— dotes: virtutes III 370, scientia 371 sqq.

— officia: interrogandi III 375 sqq., speciatim in materia luxuriae 380 sq., quid in dubio de sinceritate poenitentis 382; instruendi seu monendi 383 sqq.; medendi et exhortandi 386 sq.; cognoscendi causam seu peccata poenitentis 388 sq. ejusque dispositionem, atque ferendi sententiam 390 sqq.

— obligationes auditâ confessione: sigilli III 423 sqq.; corrigendi defectus commissos 443 sqq., monendi poenitentem de onere denuntiandi sollicitantem 479 sqq.

Confessio seu professio Fidei, quando exigatur I 182; quae hoc respectu prohibita vel licita sint 183 sqq.

— **Sacramentalis:** materia necessaria III 255; difficultates ex Baptismo sacrilego vel dubio 256 sq; materia libera 258, non sufficiens 259.

Necessitas 260; subjectum obligationis 261; tempus implendi 262; modus implendi 263.

Dotes necessariae generatim 264 sq.

Integritas duplex distinguitur 266; — *materialis:* quaenam ad eam pertineant 267; de specie exprimenda 268; de numero dicendo 269; exempla de specie et numero 270; de circumstantiis exprimendis 271; num distinguenda sint peccata recens et olim commissa, nondum et jam confessa 272; de peccatis dubiis 273 sqq; de peccatis sine culpa omissis 276sqq. *formalis* seu causae excusantes 283sqq. de manifestando complice aliove tertio 288; animadversiones in causas excusantes 289 sq.

— Repetendi obligatio 292, modus 293 sq.

— generalis quando necessaria, nociva, utilis 295 sqq.; ejus materia 298; praeparatio poenitentis 299; modus excipiendi 300; qualitas methodi 301; quaestiones praeviae 302; ordo interrogandi 303; ejus conclusio 304.

— generica 305 sqq.

— materiae dubiae et liberae 314.

Confirmatio Sacramentum: notio III 97; materia remota 98; materia proxima 99; forma 100; minister 101; subjectum 102; de patrino 103.

Congregationes Romanae: Vis et auctoritas Decretorum etc. I 104; in materia fidei 196 sub IV.

Conjuges: potestas irritandi vota et juramenta I 366 sqq, 381; obligationes mutuae 405 sq.; cohabitatio 427. — quoad praescriptionem II 82 sub V; quid referre debeant ad hereditatem 98 sub III; quoad successionem testamentariam 108 sub II; quoad donationem 200 sq.; quoad emptionem - venditionem 215. Vid. Copula, Dominium.

Conjugicidium ut impedimentum dirimens matrimonii III 635 sq.

Consanguinei: obligationes mutuae I 405. Vid Gognatio.

Conscientia: notio I 39 sq.; divisio 41; certitudo requisita 43 sqq.; vis directiva generatim 45, speciatim conscientiae rectae et erroneae 46 sqq.; in dubio necessario formanda et quomodo 52 sqq. — perplexa 56 sub II; probabilis 57 sqq.; scrupulosa 81 sqq. Vid. Dubium, Probabilismus.

Conscriptio militaris II 564 sq.

Consensus requisitus ad peccatum I 126 sq.; ad contractum II 129 sqq.; ad sponsalia III 503, 506 sq., 517

sub V; ad matrimonium 556 sqq. 584 sqq.
— ut cooperatio ad damnum II 400 sqq. *Consentienti non fit injuria:* explicatur 353.
Consilium ut cooperatio ad damnum II 396 sqq., 405. — *Consulere* minus peccatum parato ad gravius I 270.
Consociatio personarum ut distincta a corpore morali II 45, 47, 50.
Conspiratio quatenus inducat obligationem restituendi in solidum II 434.
Consuetudo ut legis interpres I 100 sq. — *Consuetudinarius* quoad integritatem Confessionis III 269 sq., speciatim in blasphemiis I 319 sub 4. Vid. Occasio, Recidivus.
Contemptus legis vel legislatoris I 128.
Contentio filia superbiae I 147.
Continentia quid sit I 170.
Contractus: notio II 123 sqq.; divisiones 127; — conditiones requisitae 128: *consensus* 129 sqq., consensûs impedimenta: error 135 sq., dolus 137 sq.; metus 139 sqq.; *habilitas* 142, minorennium, interdictorum et uxorum 143 sqq., debitorum 148; *materia* et *causa* 149 sqq., contractus de re turpi 155 sqq. — effectus 163: contractûs puri 164 sq., non puri: sub conditione 166 sqq., sub modo 174 sqq., ad diem seu terminum 178, disjunctivi seu alternativi 179 sq., cum clausula poenali 181, cum juramento promissorio 182 sq.
— invalidus: distinctiones 184, resolutiones 185, — nullus ex solo jure civili 186.
— cessatio 187.
Contritio: notio III 233, distinctio 234, efficacia 235, necessitas 236 sq.; dotes generatim requisitae 238 sqq., speciatim in Sacramento Poenitentiae 244 sq.; num requiratur conjunctio cum aliis actibus poenitentis et Absolutione 246 sq.; quid si quis solum peccata inculpabiliter omissa confitetur, vel jam confessa repetit 248.
— in Confessione solorum venialium 253.
Contumacia ad censuram contrahendam requisita I 533, 537 sub III
Contumelia: notio II 515, malitia 531; obligatio inde orta 532 sq., causae ab hac excusantes 534.
Convalidatio matrimonii: quomodo fiat III 741 sqq. — ut causa dispensationis matrimonialis 695.
Convictores alumni Regularium quoad Sacramentum Poenitentiae III 351 sub I et III.
Cooperatio ad peccatum: notio et divisio I 248, 274; regulae quoad licentiam 276, quoad causam requisitam 277; casus particulares resolvuntur 278 sqq., speciatim de famulis aliisque subditis 286, de opificibus et mercatoribus 287, de cauponibus 288.
— ad damnum: regula obligationis restituendi, et inde deductiones II 389 sqq.; specialia de causis negativis 411 sqq. — Cooperatorum obligatio in solidum 433 seq., restituendi ordo 447.
Copula carnalis: notio et explicatio I 409 sqq. — qualis requiratur ad matrimonium consummandum, vel valide contrahendum, vel ad alios juris mere ecclesiastici effectus 412.
— conjugalis in se *licita* quas conditiones requirat 414: *ex parte finis* 415; quid inde quoad steriles 317 sub I et II; quoad eunuchos factos vel excisas post initum matrimonium ib. sub IV, et num liceat mutuo consensu vel pacto abstinere tempore conceptioni magis apto ib. sub III; ex parte *situs, temporis* et *loci* 418 sqq.: *impedimenta* eam prohibentia 421 sq. — ut *debita* 425 sq.; causae excusantes 428 sq. — *accessoria* ad eam quatenus licita vel illicita 430 sqq. Vid. Onanismus.
— inter non-conjuges Vid. Fornicatio.
— ut causa dispensationis matrimonialis III 693.
— unde affinitas illegitima orta est, iterata ante vel post obtentam aut fulminatam dispensationem 624, 714.
— incestuosa vel habita cum intentione obtinendi dispensationem per se non jam exprimenda est in supplica 720.
Corporale Missae III 213, 222.
Corpus morale II 43, 45 sqq.
Correctio seu correptio **fraterna:** notio I 229; obligatio 230, 233, 235; cfr. 236; conditiones gravis obligationis 231; ordo servandus et casus excepti 252; modus faciendi 234.
Craniotomia et similia semper illicita II 492 sq.
Credentes haereticis quoad censuram contrahendam I 563.

Credita ut materia emptionis-venditionis II 249 sqq.
Creditores: ordo inter eos II 441 sq.; quid liceat relate ad debitorem omnibus solvendo imparem 446. — quoad praescriptionem II 82 sub V; quoad hereditatem debitori obvenientem 97.
Crimen ut impedimentum dirimens matrimonii III 630 sqq.
— criminosum I 550.
Crux Altaris sub Missa III 210.
Culpa theologica et juridica qui differant II 371. — theologica ut requisita ad obligationem restituendi 372 sqq.; intentio nocendi quid hoc respectu efficiat 378 sqq. — juridica quando adsit 381, ejus gradus 382, qualis et quando obligatio inde oriatur 383, — Num vel quae culpa requiratur, si contractus intercedat 384 sq.
Cultus objectum virtutis religionis I 289.
Custodes ut causae negativae damni quo loco et ordine ad restitutionem obligentur II 447.

D

Damnificatio qualis requiratur ad inducendam obligationem restituendi II 364 sqq.
Debita vid. Creditores.
Debitor qui foro vel bonis cessit, ad quae sit inhabilis II 148: quinam debitoris actus et quando irritari possint ib. sub III. — omnibus solvendo impar num prius petenti vel sponte uni prae aliis solvere possit 443. — solidarie obligati 447 sqq. — qui distulit 452, qui solvit creditori creditoris sui 456; qui immemor debiti gratuito donavit 460.
Debitum dubie solutum II 469 sq.
Debitum conjugale Vid. Copula.
Decimae jus reale II 66.
Defectus a Confessario commissi et corrigendi III 443 sqq.
— sponsorum num causa dissolvendi sponsalia, et num manifestandi III 528 sq.
Defensio librorum ut prohibita I 505, 508 sub II.
Delectatio morosa, ut differt a desiderio et gaudio: notio, divisio I 131, 138; resolutiones 139 sqq.
— venerea et sensibilis: notio 413. Vid. Luxuria.
Agere propter delectationem 34.
Delegare etc.: quoad potestatem dispensandi generatim I 106, 108. — Munus subscribendi sponsalia delegare Parochus generatim non potest III 511 sub IV 2. — Quoad assistentiam matrimonialem 659 sqq. Vid. Jurisdictio.
Delirantes quoad S. Communionem III 128 sub IV; quoad Extremam Unctionem 495.
Denuntiatio evangelica I 232 sq. — occultorum coryphaeorum ac ducum sectarum Massonicarum etc. 584; — sacerdotum sollicitantium III 450 sqq. Vid. Sollicitatio.
Depositum contractus II 286 sqq.
Deputati ad comitia I 408 sub IV.
Desiderium: notio, divisio I 131; resolutiones 132 sqq. — mali proximi 237 sqq. — perpetuum in hoc mundo vivendi 199.
Desperatio: notio, malitia I 199.
Detractio: notio, divisio I 515, malitia 517, materiae gravitas 518 sqq.; quoad ignotos et infames 521 sqq.; audiens et non impediens 524; obligatio restituendi 526 sqq., causae excusantes 534.
Diaconatus III 498 sqq.
Diaconus quando possit solemniter baptizare III 75, S. Eucharistiam distribuere. vel sibi ministrare 121.
Dilatio voti implendi I 345 sq. — restitutionis vel solutionis faciendae II 450 sqq. — applicationis Missae III 172, 177 sqq. — matrimonii promissi 514, 534.
Dilectio: ejus initium num necessaria praeparatio justificationis III 243 sub III. Vid. Charitas.
Discipulus: obligationes erga magistrum I 407.
Disparatio moralis actuum peccaminosorum explicatur I 120.
Disparitas cultus: impedimentum dirimens matrimonii III 599 sq.
— conditionis num reddat sponsalia invalida; illicita, rescindibilia III 531.
Dispensare. Dispensatio: notio I 105; potestas dividitur 106; quinam potestatem habeant et in quantum 107; potestas subdelegandi 108; causa requisita 109.
Dispensationes matrimoniales: *Summi Pontificis* potestas et praxis dispensandi III 681; Organa seu Congregationes Romanae per quas dispensat 682. — *Episcopi* potestas quasi-

ordinaria 683, delegata 684, 759. — *Sacerdotis* potestas imminente mortis periculo 663 sqq.
Causae necessitas et distinctiones 685, causae canonicae praecipuae 686 sqq.
Modus petendi: quis a quo petere debeat 702 sqq. — *Exprimenda* in supplica 705: de personis 706 sq.; de impedimentis et circumstantiis 708 sqq., de causis 721 sq., de statu fortunae 723 sqq.
Dispensationum vitia et sanatio 726 sq.
Modus dispensationis concedendae 728 sqq., exequendae 732 sqq.
Modus fulminandi dispensationem 738 sq.
Dispensatio ad convalidandum matrimonium distinguitur: *ordinaria* 743 sqq. *sanatio in radice* 746 sqq.
Formulae petendarum dispensationum *pro foro interno* 761 sqq., *pro foro externo* 767 sqq.
Disputatio cum haereticis I 194.
Dissimulatio fidei I 184 sqq.
Dissolutio sponsalium III 523 sqq.
Distillatio: notio I 410 sub 1; moralitas 459.
Distinctio peccatorum specifica I 112 sq. numerica 115 sqq.
Distractio in Sacramentorum administratione et confectione III 31, vel susceptione 54.
Divinatio: notio, moralitas, species I 295, 297 sqq.
Divites quoad obligationem laborandi I 209, dandi eleemosynam 223 sqq.
Divortium civile quoad ipsos conjuges, judices et advocatos III 750 sq. — Libri qui divortium licitum statuunt, prohibentur I 519.
— semiplenum III 752 sqq.
Dolor de peccatis. Vid. Attritio, Contritio.
Dolus in contractu II 137 sq.; in consilio dando 397.
Domicilium in ordine ad matrimunium III 655.
Dominica dies sanctificanda I 383; obligatio Missae audiendae 384 sqq. causae excusantes 388; obligatio feriandi seu prohibitio operum servilium etc. 389 sqq. causae excusantes 394.
Dominium et condominium: notio, divisio, regulae II 16 sq.; objectum 18 sqq.
— auctorum 21; filiorum familias 23 sqq. — conjugum in regimine legali 26 sq., in regimine conventionali 32 sqq. — corporum moralium 45 sqq. institutorum 51; — Regni 52.
Donatio: notio II 193 sqq.; quo sensu et in quantum irrevocabilis 195 sqq. — Requisita: habilitas donatoris 200, et donatarii 201; materia apta 202 sqq.; solemnitates servandae 206; acceptatio 207 sqq.; quae substitutio prohibita 211. — Rescissio juridica 212 sq,
Dubia fides thoelogice, non civiliter attenditur II 54.
Dubiae fidei possessor quoad praesciptionem 86 i. f.; quoad restitutionem 417 sqq.
Dubium: varia distinguuntur I 51; in dubio conscientia formanda et quomodo 52 sqq.
Regulae dubio solvendo inservientes: principium praesumptionis 68 sqq., possessionis 71 sqq.; aliae regulae 76 sqq.
Duellum: notio, divisio, moralitas II 478; restitutio inde orta 485. — Libri qui duellum licitum statuunt, prohibentur I 519. — Excommunicatio in duellantes etc. I 583; de sepultura ecclesiastica 545 sub III.

E

Ebriétas: notio, moralitas I 150 sqq.
Ecclesia ut subjectum dominii II 48 sq. 109 sub I 2°, 208, 209 sub 2 nota. — ut locus celebrandi Missam III 199 sqq.
Ecclesiae vetitum impedimentum impediens matrimonii III 571.
Editio et impressio librorum etc. ut prohibita I 505 sq.
Educatio filiorum: obligatio parentum, *corporalis* I 402, *spiritualis* 403 sq.
Effectus malus: requisita ut sit voluntarius et imputabilis I 7 sq., ut non imputetur 9 sqq.; in quantum censeatur voluntarius et imputabilis 12 sq. — In quantum requiratur ad censuram contrahendam 536 sq. — Num exprimendus in Confessione III 267 sub II.
Electio status vitae I 399; III 508, 527; ad comitia I 408 sub III.
Eleemosyna: notio, obligatio I 221 sqq.
Emancipatio minorennium II 23 nota 2.

Embryotomia vid. Craniotomia.
Emphyteusis jus reale II 65.
Emptio-venditio: notio II 214. Requisita: habilitas 215, res apta 216 sqq., pretium definitum 223. — Justum rerum pretium 224 sqq. — Effectus 231 sq. — Obligationes venditoris 233, quoad vitia rei 234 sqq., rem tradendi 239, praestandi evictionem 240 sqq. — Obligationes emptoris 244 sqq.
Nonnullae species: cum pacto jure redimendi 248; jurium incorporeorum 249 sqq.; sub hasta seu auctio publica 252 sqq.; per proxenetas 256 sq.; monopolium etc. 258.
Ephemerides: scandalum I 172 sub VI; cooperatio 284; prohibitio ecclesiastica 523; quoad viros e clero saeculari 531 i. f.
Epikeia: notio, usus I 103.
Epileptici quoad S. Communionem III 128.
Episcopatus: III 498 sqq.
Episcopus: potestas dispensandi in legibus communibus I 107, in votis 256 sub III, 257 sub III, 258, cfr. 361, 367, in juramentis 381, in denuntiationibus nuptialibus III 548, in impedimentis matrimonii III 683 sq. 759. — Quatenus subjaceat censuris I 535. — Obligatio celebrandi pro grege III 170 sqq. — Facultas taxandi stipendium Missae III 173 sq. — Quoad Missas ad eos vel ab eis transmittendas III 180 sq. — Quoad facultatem binandi III 196 sqq. — Quoad locum celebrationis Missae III 199 sqq.; quoad requisita ad Missam 204 sqq. — Quoad approbationem et delegationem Sacerdotum ad Confessiones excipiendas III 336 sqq. speciatim Sacerdotum Regularium 345 sq. et Confessariorum Monialium 352 sq. — Potestas reservandi peccata 355, absolvendi a reservatis Smo Pontifici 359.
Error: infuxus in voluntarium et peccatum I 16 sq., in votum et juramentum de futuro 335, 377, in contractum generatim II 135 sq., in restitutionem ob damnum 372, 376 sq. — in confectionem Sacramentorum generatim III 12, 14, in sponsalia 528 sqq., in matrimonium 561 sub IV. 584, in dispensationes matrimoniales 705 sq., 708, 711 sqq., 721, 724.
Erubescere fidem I 183; parentes 397.
Eucharistia: notio III 104 sq.; materia panis ad valorem 106 sq., ad liceitatem 108; materia vini ad valorem 109; ad liceitatem 110. — Materiae consecrandae conditiones ad valorem 111 sqq., ad liceitatem 115 sq. — Forma 117 sq. — Minister consecrationis et distributionis 120 sqq.; servanda in distributione: tempus 123, locus 124, ritus 125. — Subjectum vid. Communio. Eucharistia ut Sacrificium vid. Missa.
Eunuchi I 210, 416 sub IV; III 590.
Eutrapelia I 170 sub III 4°; II 570.
Evictio: notio, obligatio venditoris, effectus II 240 sqq.
Examen conscientiae ante Confessionem in quantum requiratur III 279 sqq. — nupturientum ante banna faciendum III 543.
Excommunicatio: notio I 534, 538 excommunicati vitandi et tolerati 539. — Effectus immediati: privatio Sacramentorum 540 sq. divinorum Officiorum 542 sqq., suffragiorum communium 544, sepulturae ecclesiasticae 545, jurisdictionis ecclesiasticae 546, capacitatis acquirendi beneficia etc. 547, communionis forensis 548, communionis civilis 549. — Obligatio fidelium respectu excommunicatorum 550. — Effectus mediati 551. — Excommunicationes hodie vigentes 563 sqq.
Excusatio et **exemptio** a lege: notio I 98; quatenus liceat causam excusantem vel eximentem apponere 99.
Execratio Ecclesiae III 202 sq. Altaris 205, calicis et patenae 212.
Exhortandi officium Confessarii III 386 sq.
Exorcismus I 382.
Exorcistatus III 498 sq.
Expositi infantes num sint baptizandi III 72. — Num parentes pro ipsis restituere debeant Xenodochio II 509.
Expropriatio coacta II 14 sub II.
Extrema Unctio: notio, effectus III 484; materia remota 485; materia proxima 486 sq., 490; ordo et modus ungendi 488; forma 489 sq. — Minister quis 491; ejus obligatio 492. — Subjectum 493 sqq.; obligatio suscipiendi 497.

F

Fama: notio; quomodo laedatur II 515; jus in famam 516, cfr. 20. Vid. Calumnia, Detractio.
Familiares Regularium quoad S. Communionem III 122; quoad Sacramentum Poenitentiae 351; quoad reservationem Episcopalem 355.
Familiaritas nimia etc. ut causa dispensationis matrimonialis III 692.
Famuli: obligationes erga herum ut Superiorem I 407. — Eorum contractus cum hero et ad hunc habilitas II 270. Justa merces 271; compensatio occulta per se non licet 557. 3ª Obligationes 276 sqq. Cessatio contractus 280.
— non impedientes damnum hero inferendum 414 sub V. Furta famulorum 546. sub II.
— quoad cooperationem I 286.
— in occasione proxima peccandi III 419.
Favores sunt ampliandi I 77 sub VI.
Fecundatio artificialis: notio, moralitas I 445.
Fenus vid. Auctarium.
Festa sanctificanda per assistentiam Missae et abstinentiam ab operibus determinatis I 383 sqq. — quibus celebrandum est pro grege III 171.
Fictio in juramento I 380; — in contractu generatim II 130; — in promissione matrimonii a stupratore facta 498 sqq. — in Sacramentis generatim III 20 sqq.; in Absolutione complicis I 575; — in sponsalibus III 506; — in matrimonio 559.
Fidei-commissum II 110.
Fidejussio II 340 sqq.
Fidelitas: obligatio promissionis II 189 sqq.
Fides divina et divino-catholica: notio I 173; actûs interni necessitas medii 174 sq., et praecepti 176 sq.; obligatio sciendi 178, et credendi seu actum positivum eliciendi 179sqq. — Actus externi seu professionis fidei praeceptum divinum affirmativum 182, praeceptum negativum 183 sqq. — Peccata contra fidem 188 sqq. Pericula fidei vitanda 193 sq.
Filii: obligationes erga parentes I 395 sqq. — minorennes qui sint, quibus subsint II 23; quale eorum dominium in bona sua 24, in bona a parentibus concessa 25, si communem cum patre artem vel industrians exercent 26. — In quantum inhabiles ad contractum generatim 143 sqq., ad contractum operae praestandae 270, ad sponsalia et matrimonium III 508, 527, 580, 588. — quad denuntiationes matrimoniales 542; quoad domicilium in ordine ad matrimonium 655.
Finis: fons moralitatis I 28, 32 sqq., 36. — actûs conjugalis 415 sqq.
Foetus abortivus quoad Baptismum III 82 sq. — in utero matris 84 sqq. — monstruosus 90.
Formulae petendarum dispensationum matrimonialium III 761 sqq.
Fornicatio: notio, malitia I 446 sqq., 460. — sponsorum injuria specialis III 530; num causa dissolvendi sponsalia ib. Vid. Stuprum.
Fortitudo: notio I 164, vitia opposita 165, partes integrantes 166, his oppositia vitia 167.
Francomuratores quoad matrimonium III 579.
Fructus rerum: divisio II 58; *jus* parentum 27 sq., usufructuarii 59, usuarii 62; — *restitutio* facienda a possessore bonae fidei 415 sub II, dubiae fidei 418 sqq., malae fidei et a damnificatore 424 sqq.
Frustulum diebus jejunii mane permissum I 481 sub II.
Furtum: notio, divisio II 543; materia gravis 544 sq.; furta domesticorum: uxorum et filiorum 546, famulorum ib. sub II. — furta minuta 548 sqq. — Causae excusantes: necessitas 552 sqq. compensatio occulta 556 sq.

G

Gaudium de re mala: notio I 131 i. f.; moralitas 137.
Gratitudo et **ingratitudo:** notio, moralitas II 569.
Gula: notio, moralitas I 149.

H

Habitatio ut jus reale II 62.
Habitus: influxus in voluntarium I 5 sub IV.
Haeresis, haeretici: notio, malitia I 190 sq. — Casus reservatus in Dioecesibus Ultrajectensi et Buscoducensi III 365, Ruraemundensi 366, Harlemensi 367, Bredana 368; cfr.

369. — Causa divortii; semipleni 754.
Haereticorum templa adire I 186 sub III 2°; funus comitari 186 sub III 3°; quoad officium patrini in Baptismo ib. 5°; communicatio et disputatio cum haereticis 194. — Haereticum ministrum advocare ad moribundum 278; in tali functione adjuvare 279; eorum templa aedificare vel pecuniam ad hoc conferre 280, ibi pulsare campanas 281; vel organa aut cantum dirigere 282. — Libri haereticorum prohibiti 510 sqq.; 564. — Excommunicatio haereticorum 563.
Baptismus ab haereticis collatus, suspectus III 70. — Infantes vel filii adulti haereticorum quoad Baptismum 78 sq., 93; quoad caeremonias supplendas 96 sub IV. — Haereticus moribundus quoad Absolutionem 421 sub IV et V. Vid. Acatholici, Excommunicatio.
Hebdomada Major: Triduum Sacrum III 193.
Heres: notio, distinctiones II 94; jus deliberandi, facultas acceptandi et repudiandi 95; acceptantis jura 96, onera 97 sq., quoad vota realia testatoris I 347. — Heredes ab intestato quinam sint II 99; quo modo ad hereditatem vocentur 100; quo ordine 101 sqq. — Quoad praescriptionem 82 sub V. Vid. Successio hereditaria, Testamentum.
Hermaphroditi quoad matrimonium III 591.
Herus: obligationes erga famulos etc., ut Superior est, I 407. — Contractus cum famulis etc. II 270, merces de qua convenire debeant vel possint 271, obligationes 272 sqq., cessatio contractus 280. — In quantum praestet damnum a famulis etc. illatum 412 sq. — Quoad scandalum I 272 sub I et IX; — in occasione proxima peccandi III 419.
Historici quoad crimina etc. propalanda II 523 i. f.
Homicidium innocentis: moralitas II 473; restitutio debita 479 sqq.
Honestas publica impedimentum dirimens matrimonii III 625 sqq.
Honor: notio II 515; jus in eum 20; ejus defensio 477 sub IV. Vid. Contumelia.
Hostiae pro Missa et distributione III 106 sqq.
Humilitas I 170 sub III 4°.
Hypnotismus I 306 sqq.
Hypocrisis I 147.
Hypotheca: notio etc. II 348.

I

Idola: cooperatio ad templa aedificanda I 280; confectio et venditio imaginum 287.
Idololatria: notio, distinctio, moralitas I 295 sq.
Ignorantia: notio, divisiones, influxus in voluntarium I 16 sq. — ignorantia in rebus fidei etc. 175 sqq. — reservationis casûs III 357. — impedimenti matrimonialis 567.
Illegitimi qui sint et quomodo legitimentur III 759 sub 4 in nota. — — quoad successionem hereditariam II, 99, 102, 103, 109 sub II 6°.
Imagines quoad scandalum I 272 sub V; quoad cooperationem 287 sub 3 sqq. — lex Ecclesiae 520.
Immobiles res quae sint II 19.
Immunitas personarum et locorum I 323. — Poenae in violantes 567 sq. 582, 585.
Impediens alterum a consequendo bono II 366 sq.
Impedimenta matrimonii: notio, divisio III 564; potestas ea statuendi 565; quinam iis ligentur 566; num cessent ob ignorantiam vel incommodum 567. — Contrahere cum impedimento dubio 568, vel erronee putato adesse 569. — De impedimentis juris civilis Neerlandici 570. Impedimenta impedientia in specie 571 sqq. — Dissensus parentum et lex civilis prohibens 580 sqq. — Impedimenta dirimentia in specie 583 sqq.
Impediti ne adeant eum a quo absolvi deberent a casu reservato III 359 sqq.
Impotentia ut impedimentum dirimens matrimonii III 589; ejus causae 590 sq. — Quid in dubio 592. — Quid Confessario agendum 593. — superveniens quoad licitum usum matrimonii I 417 sub IV.
Impressio pravorum librorum etc.: quoad scandalum I 272 sub III, IV et VI; quoad cooperationem 284, 287. — ut prohibita lege ecclesiastica 505 sq., cfr. 531 sq. et 564.
Impuberes quoad censuras I 535; quoad sponsalia III 504 i. f. 524.
Impudicitia: notio I 446.

Inadvertentia, Inconsideratio: comprehenduntur nomine ignorantiae I 17 i. f.
Incestus: notio, species malitiae I 447, 450. — ut aufert jus petendi debitum 421 sq.
Indifferentia quoad moralitatem actus humani I 26, 36.
Inductio ad peccatum num declaranda in Confessione I 257 sq.
Infames quoad detractionem II 522 sq.
Infantes quoad leges generatim I 93 sq.; quoad Sacramenta generatim III 47 sq.; quoad Baptismum 71 sq., 77 sqq.; quoad Confirmationem 102; quoad Eucharistiam 126 sq.
Infideles quoad leges generatim I 93 sq.; quoad Sacramenta III 50; quoad applicationem Missae 167; quoad impedimenta matrimonii 554, 566, 570. — Infantes et filii eorum quoad Baptismum 78 sqq., 93. Vid. Acatholici.
Infidelitas: notio, moralitas I 188 sq.
Infirmi quoad S. Communionem III 151; quoad Communionem Paschalem 158 sub VII; quoad Viaticum 159 sqq.; quoad Extremam Unctionem 493 sqq.
Ingratitudo II 569.
Ingressus in Religionem quoad gravatum debitis, et num ab his liberet II 468; quoad sponsalia III 535 sqq.
Inimicitiae odium: notio I 237; moralitas 239, 241. — Inimicorum dilectio quae et in quantum exigat 243 sqq. 247; reconciliatio etc. 246.
Injuria, Injustitia: notio, distinctio II 351 sqq.
Injusta damnificatio quae sit II 364 sqq. Vid. Culpa.
Inobedientia I 128, cfr. 88.
Institutum ut persona juridica; notio III 43; constitutio, requisita etc. 51.
Instruendi officium Confessarii II 383 sqq.
Integritas Confessionis vid. Confessio sacramentalis.
Intentio: notio, distinctio I 5 sub IV; ad legem implendam 96 sq.; ad votum 334, 338 sqq.; ad validum juramentum 369 sub II, 371 sub III 3° et IV; ad Missam debite audiendam 385; ad sacramenta conficienda III 4, 12 sqq., vel suscipienda 48 sqq.; ad applicationem Missae 168 sq.; ad matrimonium 556, 561 sqq.; ad impedimentum criminis 632 sub IV, 633, 635 sub III, 636 sub III. — Intentio nocendi quid efficiat II 378 sqq.
Interdicti civiliter quoad contractus II 143 sqq.
Interdictum ecclesiasticum: notio, divisio, effectus I 556 sqq.; quae hodie vigeant 599 sqq.
Interpres Confessionis III 285 sub 3°; quoad sigillum sacramentale 433 sub V.
Interpretatio legis I 100 sqq.; voti 338 sqq.
Interrogandi officium Confessarii III 376; modus 377 sqq.
Interruptio formae sacramentalis III 10; Missae 228.
Intimatio seu insinuatio contractus generatim II 132 sq.; quoad donationis acceptationem 209 sub II.
Inventio thesauri II 70 sqq.; rei amissae 73 sqq.
Inventor artis vel industriae II 21.
Invidia I 242.
Involuntarium I 4, 5 sub III, 21.
Ira I 155.
Irreligiositas vitium generale, species I 340 sqq.
Irritatio voti: notio, divisio, potestas I 364 sqq., juramenti 381.
Iteratio Sacramenti III 27 sqq. Vid. Baptismus.
Itinerantes, Iter quoad assistentiam Missae I 388 sub IV; quoad prohibitionem operum servilium 399 sub IV; quoad jejunium 488; quoad abstinentiam 498 sub V; quoad jurisdictionem sacramentalem III 343; quoad Confessarium Regularium 350 sub IV, vel Monialium 352 sub 6.

J

Jactantia: notio, moralitas I 147.
Jejunium: notio, distinctio, quibus diebus servandum I 480; — stricte dictum: quae permittantur 481; gravis materia 482. — Refectio unica quae censeatur 483, ejus laesio 484. — Hora refectionis 485. — Causae excusantes: aetas 486, infirmitas 487, labor 488 sq., pietas 490. — Qui dispensare possint 107. Vid. Abstinentia.
Jubens, Jussio vid. Mandatum.
Judex laicus quoad divortium III 750 sq.
Judicium etc. temeraria II 529 sq.
Juramentum: notio, divisio I 369 sqq.; requisita ad licitum 372 sq.; illiciti species et gravitas 374; promissorium ejusque obligatio speciatim 375 sqq.; fictum 380; promissorii extinctio 381.

Jurisdictio: necessitas, notio generalis, divisio III 333. — Sacramentalis ordinaria: notio, quibus competat et in quos 334 sq. — delegata: qui delegare possint 338; quando incipiat et cesset 339; modus delegandi 340; in peregrinos 341, in vagos 342, in navigantes 343; in milites 344. — Regularium 345 sq., in Regulares etc. 350 sq., in Moniales et Religiosos laicos 352 sqq. in articulo mortis 347; suppleta, probabilis, dubia 348 sq. — in casus reservatos 358 sqq. — Excommunicatio impedientium exercitium jurisdictionis I 567. Vid. Absolutio, Approbatio.

Jus: notiones et distinctiones II 1, 8sqq. — strictum et late dictum 8 sq. — jurisdictionis 10. — in re et ad rem, reale et personale, universale et particulare 11 sq. — Principis in materia justitiae 14 sub II; — Neerlandicum ib. sub III. — Jura in re quae sint 15. — Jus in bona propria animae et corporis, in hominem, in famam et honorem 20. — Jus auctorum 21. — Jus parentum in bona filiorum 27 sq.

Jus personae II 44.

Justitia: notio, divisio II 2, 4 sqq. — vindicativa 13.

L

Labor: in quantum omnibus praeceptus I 209. — servilis ut diebus Dominicis et Festis prohibitus 389sqq.; causae excusantes 394.

Lacticinia quoad legem jejunii I 482, et abstinentiae 492.

Laxismus I 60.

Lectio librorum ut prohibita I 505, 507; legendi facultas 524; excommunicatio illicite legentium 564.

Lectoratus ut Ordo minor III 498 sq.

Legatarius, Legatum II 94, 105, 112, 116. Vid. Testamentum.

Legitimatio prolis III 759 sub I 4.

Lex: notio I 84; divisiones 85; conditiones 86; differentiae legem inter et praeceptum 87, 89, item inter praeceptum potestate dominativa datum et potestate jurisdictionis 88. — Objectum 90 sqq.; subjectum 93 sq.; obligatio 95; implendi modus 96 sq.; causae deobligantes earumque appositio 98 sq.; interpretatio 100; cessatio: dispensatio 105sqq.; cessatio finis 110.

Liber etc. quoad scandalum I 272sq.; quoad cooperationem 284, 287. — quoad prohibitionem et censuram ecclesiasticam 499 sqq.; quid liber ut distinctus ab aliis opusculis 502; prohibitio quaenam afficiat 503 sq., num etiam miscellanea litteraria ib.; quinam actus directe prohibiti 505sqq. — Decreta generalia de prohibitione librorum etc 509 sqq. — De facultate legendi et retinendi 524. — De denuntiatione 525. — Decreta generalia de censura librorum 526 sqq. — De typographis et editoribus 532. — Excommunicatio in imprimentes, legentes etc. 564, 593. — Jus auctorum II 21.

Liberalismus: notio, moralitas I 195.

Liberalitas et peccata opposita II 571.

Licitatio in auctione publica II 253 sqq.

Ligamen ut impedimentum dirimens matrimonii III 594 sq.

Litterae: alienas legere II 541.

Locatio-conductio: notio, divisio II 260. — *rerum* 261; obligationes locatoris 252 sqq., conductoris 265 sqq.; cessatio contractus 268 sq. — *personarum* vid. Famuli, Herus.

Loteria seu **Sortitio:** contractus II 338 sq.

Ludus: contractus II 334 sqq. — Ludi Bursae 251 suq III et IV.

Luxuria generatim: notio et explicatio I 409 sqq. — speciatim ut peccatum: notio, divisio, malitia 446. — completa naturalis 447 sqq. — completa contra naturam 454 sqq. — non consummata 463 sqq.

M

Magia I 295.

Magistratus civilis quoad meretricium tollendum I 447 sub III. Vid. Officiales.

Magister: obligatio erga discipulos I 407. — in quantum praestet damna a discipulis illata II 412 sq.

Magnanimitas: notio I 166; vitia opposita 167.

Magnetismus animalis I 306 sq.

Magnificentia: notio I 166; vitia opposita 167.

Mala fides quoad possessionem generatim hujusque jura II 54, 57; quoad praescriptionem acquisitivam 86 sqq. — Malae fidei possessor quoad restitutionem 422 sqq.

Maledictio creaturae quando sit blasphemia I 311
Maleficium I 305.
Malitia: species moralitatis I 24 sub I, 26, 29 sub II; quomodo contrahatur 29 sub IV.
Mandans ut cooperator ad damnum II 392 sqq.; quoad restituendi ordinem 447.
Mandatum ut contractus II 322 sqq.
Mansuetudo et vitia opposita I 170 sub III.
Mappae Altaris III 206 sq., 222.
Maritus quoad vota uxoris I 366 sqq. — obligatio pietatis erga uxorem 405 sq. — Officium quoad bona communitatis vel uxoris II 29, 31 sub V, 33, 35. — Dissipans etc. bona communia qualiter peccet 30 sub IV, 34. Vid. Cohabitatio.
Mater: obligationes speciales erga filios I 402 sua 1° et 4°. — quoad excommunicationem in procurantes abortum 589. — quoad potestatem parentalem et jus in bona filiorum II 23, 27 sq.
Matrimonium: notio III 553 sq.; cui juri positivo et in quantum subiaceat 554 sub II et III; divisiones 555. — Consensus requisitus et huius objectum 556, quomodo exprimi debeat vel possit 557 sq. — Ficte consentiens 559. — Consensus conditionalis vel sub modo 560 sqq.; 584 sqq.
Matrimonium mixtum per se prohibitum III 573; dispensationis conditiones et cautiones 574; ejus celebratio si licitum 575 sq., si illicitum 577. — Quid post factum si invalide vel illicite contractum est, vel promissiones non implentur 578. — Quoad impedimentum clandestinatis 643 sub III, 651, 672 sq., 675 sqq.
Matrimonium civile quoad fideles et Parochum III 581; quoad Officiales Status civilis 582; quoad impedimentum criminis 633. — Sufficit ad excommunicationem latam in Clericos etc. I 588.
Matrimonium invalide contractum: regulae agendi pro Parocho et Confessario III 740. — Quomodo convalidetur 741 sqq.
Matrimonium clandestinum quomodo probetur III 680; — conscientiae ib. sub II. Vid. Clandestinitas.
Medicus quoad usum probabilismi I 63; quoad duellum 583; quoad abortum, craniotoniam etc. II 490 sqq. — Officium Confessarii III 386 sq.
Mendacium: notio, distinctio, malitia II 573 sq.
Mensis per quem haberi non possit testis qualificatus matrimonii quomodo computetur III 667 sub III.
Menstrua commoratio in loco coram cujus Parocho vel Ordinario matrimonium celebrari possit explicatur III 655 sub II. — Num eadem sufficiat ad inducendam necessitatem proclamandi banna 541 sub III, vel ad hoc ut Ordinarius loci dispensationes matrimoniales concedere possit 684 sub III in nota.
Mercatores quoad scandalum I 272 sub V; quoad cooperationem 287. Vid. Emptio-venditio.
Mercatura cum stipendiis Missarum III 182 sq.
Mercenarii, Merces justa vid. Famuli.
Meretrices, Meretricium quoad scandalum I 257 sqq.; quoad cooperationem 286; de domo iis locanda 287 sub 7; quoad Magistratum civilem tolerantem 448 sub III; quoad earum Confessionem ib. sub II, III 270.
Metus ut impedimentum voluntarii I 20; quoad votum 335 sub III; quoad juramentum 378; quoad censuram 537 sub II; quoad contractum II 139 sqq.; ut impedimentum dirimens matrimonii III 585 sq.; quoad assistentiam matrimonialem testis qualificati 625 sub 3°, 650, 652, aliorum testium 653 i. f.
Milites, Militia: legis justitia II 564; sese subtrahentes hisque cooperantes ib., 565. — Jurisdictio sacramentalis in eos III 344; — denuntiatio matrimonii 542; — eorum Parochus quoad sponsalia et matrimonium 512 sub II, 548 sub III ad VII.
Minister Sacramentorum generatim: intentio requisita III 12 sqq.; qui sint ministri ad validam confectionem 17. Conditiones licitae confectionis: jurisdictio aliqua 19, ministret valide 20 sqq., et rite 30 sq., et digne seu in statu gratiae 32 sqq., et digno 36 sqq. — Obligatio ministrandi: quoad Pastores animarum 42, 44 sq., quoad alios Sacerdotes 43 sq., 46.
— celebrantis Missam 221; administrantis Extremam Unctionem 487 sub II 2.

Minorennes qui sint, et cujus potestati subjecti ac curae commissi II 23; quoad dominium etc. 24 sqq.; quoad praescriptionem 82 sub V; quoad contractus 143 sqq.; quoad donationem 200; quoad denuntiationes matrimoniales III 542; quoad domicilium in ordine ad matrimonium 655 sub 13.
Missa: celebrandi obligatio III 162; quibus diebus et horis liceat 192 sqq.; locus 199 sqq. — Requisita: Altare etc. 204 sqq., vasa sacra et paramenta 211 sqq., paramenta celebrantis etc. 217 sqq., observatio Rubricarum 223 sqq. — Interruptio 228. Vid. Applicatio Missae.
Audiendi obligatio I 383; hujus requisita 384 sq.; materiae gravitas 386; locus 387; causae excusantes 388.
Missale celebrantis Missam III 220.
Mixta religio ut impedimentum impediens matrimonii III 573 sqq., cfr. 675 i. f. Vid. Matrimonium mixtum.
Moderamen inculpatae tutelae: notio, quando, ad quid et quibus licitum II 475 sqq.
Modestia: notio, species, vitia opposita I 170 sub III 4°.
Modi acquirendi dominium etc. II 67 sqq.
Modus adjectus contractui II 174 sqq., matrimonio III 560 sqq.
Molere quoad requiem festivam I 393 sub VI.
Moniales: earum dos immunis a simonia I 300; excommunicatio violantium earum clausuram 585, cfr. 594 sub X, vel libertatem ib. sub XI; quoad S. Communionem III 123, 137 7° et 8°, 139 sqq.; quoad Confessionem 352 sq.
Monitio: officium Confessarii III 383 sqq.
Monopolium etc. II 258.
Moralitas philosophica et theologica: notio, regula, divisio I 24 sq.; fontes 27 sq.: ex obiecto 29, ex circumtantiis 30 sq., ex fine 32 sqq.
Moribundus: ignorans mysteria fidei I 175, 178 4°; obligatus ad restitutionem vel solutionem II 451; quoad intentionem suscipiendi Sacramenta III 50; puella moribunda occulte gravida 89; — quoad Baptismum 92; quoad S. Communionem 151; quoad Viaticum 159 sqq.; quoad Confessionis praeceptum 262, et integritatem 284; quoad satisfactionem sacramentalem 318 cum nota 1. — Jurisdictio in eos 347, 358. — concubinarius 417 sq. — Specialia de moribundis absolvendis 421 sq. — quoad Extremam Unctionem 493 sqq.; quoad matrimonium ejusque impedimenta 663 sqq., 683 sub IV.
Mortale peccatum vid. Peccatum.
Mortem sibi inferre vel permittere quatenus liceat I 206 sqq.
Motus ad malum: notio, divisio, moralitas I 131.
Mustum ut materia Consecrationis III 110 sub II.
Muti quoad Confessionem III 284 sq.
Mutilatio sui quatenus liceat I 210; — alterius II 473 sub IV; quoad restitutionem 479 sqq.
Mutuum contractus: notio, obligatio II 294; obligatio mutuatarii quoad quantitatem reddendam 295; quaenam conventiones hac de re liceant 296; obligationes mutuantis 297; — cum pacto de auctario quatenus liceat, et qui sint tituli 298 sqq.; quantum fenus justum 305; num etiam fenus ex fenere 306.
Mysteria fidei creditu et scitu necessaria I 174 sqq.

N

Navigantes: jurisdictio in eos III 343.
Necessitas medii et praecepti: notio, discrimina I 172; — extrema, gravis, communis: generatim I 216, speciatim quoad temporalia et quatenus excuset a furto II 552 sqq.
Necromantia: species divinationis I 299.
Negatio fidei nunquam licita I 183 sqq.
Negligentia inquirendi dominum rei inventae II 73 sqq. quae constituat culpam juridicam, et quatenus inducat onus restituendi: sine contractu 381 sqq. cum contractu 384 sq.; cfr. 411 sqq.
Negotiatio ut commercium censuum, speculatio seu ludus Bursae etc. II 251 sub III.
Negotiorum gestio: quasi-contractus II 127 sub VII.
Novitii: jurisdictio in eos III 351; quoad reservationem casuum 355 nota 2.
Nundinae quoad requiem festivam I 389; quoad vitia rerum II 237, 2°.

O

Obedientia II 568; cfr. I 88, 127. — filiorum I 398 sq.; aliorum 405 sqq.

Objectum actus humani ut fons moralitatis I 28 sq.
Oblivio comprehenditur nomine ignorantiae I 17 i. f. — peccatorum in Confessione III 283; cfr. 276 sqq., 131.
Observantia virtus: notio II 567; obligatio I 407.
— superstitiosa I 295, 297 sq. — vana 303 sq.
Obsessi quoad S. Communionem III 128.
Occasio peccati: notio, distinctio III 400; proxima distinguitur 401; quae reddant necessariam 402; resolutiones de occasione voluntaria 403 sqq., de occasione necessaria 406 sqq.
Occasionem peccandi pro alio permittere vel ponere quatenus liceat I 271.
Occisio sui vid. Mortem. — innocentis II 473; — malefactorum 474, aggressoris injusti 475 sqq. — in duello 478. — Restitutio debita 479 sqq. — foetus vid. Abortus, Craniotomia.
Occupatio ut modus acquirendi dominium etc. II 67 sq. — animalium 69; thesauri 70 sqq.; rei amissae 73 sqq.
Odium Dei ut adversatur Spei I 199, vel Charitati 205; cfr. 156 sub 2. — proximi 237 sqq.
Officia divina quatenus iis privat excommunicatio I 542 sq.; quatenus prohibentur interdicto 559 sq.
Olea sacra quoad Baptismum III 96; quid si deficiant ib. in nota 2; ut materia Confirmationis 98, Extremae Unctionis 485.
Omen: species divinationis I 299.
Omissionis peccatum I 122.
Onanismus conjugalis I 439 sqq. — Quaedam, num ejus malitiae participent, discutiuntur 444. — quoad fornicarios etc. 460.
Oniromantia species divinationis I 299.
Opera prohibita diebus Dominicis et Festis, quae sint I 389, 391 sqq.; quae materia gravis 390; causae excusantes 394; qui dispensare possint 107.
Operarii et **Opifices** quoad cooperationem I 280, 284, 286 sq. Vid. Famuli.
Operis perficiendi contractus II 281 sqq.
Operatio chirurgica num subeunda ad vitam servandam I 209. — quoad Extremam Unctionem III 493 sub III.
Opinio probabilis: notio, distinctiones I 59. — temeraria de proximo II 529 sub II. Vid. Probabilismus.
Opus illicitum in alium rejicere quatenus liceat I 283.
Oratio: notio, necessitas, obligatio I 290 sqq.
Oratoria quoad Missam ex obligatione audiendam I 387, vel celebrandam III 199.
Ordinatio, Ordo: notio, materia, forma, subiectum III 498 sqq. — ut impedimentum dirimens matrimonii 597 sq.
Ordo charitatis I 214 sqq. — restitutionis et solutionis; inter creditores II 431 sqq., inter debitores solidarie obligatos 447 sqq.
Organa pulsare in templo haeretico: ut cooperatio I 282.
Ornatus Altaris requisitus III 206 sqq. muliebris quoad scandalum I 266 sq., 272 sub V et VIII.
Oscula quatenus peccaminosa I 463 sqq.
Ostentatio: species vanae gloriae I 147.
Ostiariatus: Ordo III 498 sq.
Ova quoad legem jejunii I 482, et abstinentiae 492.
Ovaria mulieris ut concurrentia ad generationem I 410 sub II. — Eorum carentia etc. quoad licitum usum matrimonii 417 sub IV, num constituat impedimentum dirimens impotentiae III 590.

P

Pactum quid II 123.
Palla III 214, 222.
Palpo ut cooperator ad damnum II 405, 447.
Panis ut materia Eucharistiae III 106 sqq.
Paramenta sacra III 213 sqq., 217 sqq.
Parasceve III 193.
Parentes quoad scandalum I 272; potestas in vota et juramenta filiorum 364 sqq., 381; obligationes erga filios 400 sqq.; — potestas parentalis in filios II 23 sqq., et jus in eorum bona 27 sq.; quoad partitionem hereditatis et onus filiorum, ut heredum, referendi accepta 97 sq.; ut heredes filiorum 101, 111 sub II; in quantum eis licita sit substitutio 100 sub IV. — quoad sponsalia et matrimonium filiorum III 508 sq., 527, 531 sub 3, 580.
Parochus: facultas dispensandi I 107. — Obligatio ministrandi Sacramenta III 42, 44, quoad Baptismum speciatim 77 cfr. 87; num possit deserere

gregem 45; obligatio parochianorum quoad Communionem paschalem 158; obligatio quoad Missam celebrandam 163, et applicandam pro grege 170sqq.; quoad necessitatem et facultatem binandi 196 sqq. — Jurisdictio sacramentalis ordinaria 334 sq.; qui actu Parochus non vel jam non est, item extra Parochiam pro non-parochianis, eget approbatione ut alii 336. — Qui, ubi et pro quibus sit testis qualificatus sponsalium 510 sq., et matrimonii ad valorem 510, 645 sqq, atque ad liceitatem 654 sqq.; alia requisita ut valide matrimonio assistat 650: modus praesentiae ad valorem matrimonii requisitus 653; facultas delegandi assistentiam matrimonialem 659 sqq. — Officium quoad denuntiationes antenuptiales et examen sponsorom 543 sq. — in quantum obsistere possit matrimonio 571. — Officium registrandi matrimonia 668 sq. — Poenae violantis praescripta Decreto *Ne temere* 670 sq.

Participans ut cooperator ad damnum II 407 sqq.

Patena pro Missa III 211 sq.

Pater: ejus pars in potestate parentali II 23, et in jure in bona filiorum 27 sqq. potestas irritandi vota et juramenta filiorum I 366 sq., 381. Cfr. Parentes.

Patientia: notio, vitia opposita I 167.

Patrinus in Baptismo III 96 sub V; in Confirmatione 103. Vid. Cognatio spiritualis.

Pauperes quoad eleemosynam iis erogandam I 223 sqq.; quoad requiem festivam 394; quoad legem jejunii 487, et abstinentiae 498. — quoad restitutionem iis, pro ignoto domino, faciendam II 438 sq., cfr. 441; quoad lignationem in sylva aliena, et pastionem animalium 547. — Qui censeantur canonice tales quoad dispensationes matrimoniales III 723 cfr. 724.

Paupertas viduae ut causa dispensationis matrimonialis III 690.

Peccator quoad Sacramenta ei ministranda vel neganda III 36 sqq.; quoad Extremam Unctionem 495. Cfr. Moribundus.

Peccatum: notio I 111; unitas et distinctio specifica 112 sqq.; item numerica 115 sqq.; divisiones 121: — omissionis 122; — mortale et veniale quae sint, quomodo inter se differant et distinguantur 123 sqq.; utriusque requisita 126; talia per accidens 127 sq.; venialia multiplicata 129 sq. — interna 431 sqq. — capitalia 145 sqq. Cfr. Confessio sacramentalis.

Pecunia ut materia mutui II 295, 304 sqq. Cfr. Mutuum.

Percussio clerici ut sacrilegium I 323. ut punita excommunicatione 582, cfr. 539.

Peregrini quibus legibus teneantur I 94 sub IV; quoad Communionem paschalem III 158 sub VI; quoad Absolutionem sacramentalem 341; quoad reservationem Episcopalem 355; quoad Absolutionem a casibus reservatis 360, 362; quoad matrimonii denuntiationes 541 sqq.; quoad Parochum coram quo sponsalia et matrimonium sunt contrahenda 511 sub IV, 648, 655 sq.

Pericula fidei vitanda I 193 sq. — Periculum vitae temporalis vel spiritualis subire quatenus quis possit vel debeat 206 sqq., 220. — Periculum sortis ut titulus exigendi feneris II 268. — Pericula matrimonii mixti etc. ut causa dispensationis matrimonialis III 696 sq.

Perinde valere: notio etc. III 727.

Periodica quae prohibeantur I 523; quae praeviae censurae subjicienda 531.

Perjurium: notio, malitia I 373 sq.

Permixtio epularum prohibita quando, quibus I 493.

Permutatio ut contractus II 259.

Perplexitas in agendo I 56 sub II.

Perseverantia: notio, vitia opposita I 166 sq.

Persona juridica: notio, distinctiones II 43.

Photographia quoad scandalum I 272 sub V; quoad cooperationem 287 sub 6; quoad requiem festivam 393 sub III.

Pia causa in testamento II 106.

Pictura, Pingere quoad scandalum I 272 sub V; quoad cooperationem 287; quoad requiem festivam 393 sub II et III.

Pietas: notio, quibus debita II 566.

Pignus ut contractus II 344 sqq.; ut conferens creditori jus praelationis 442.

Piscatio, Jus piscandi: II 69; quoad requiem festivam I 393 sub V.

Piscis quoad legem abstinentiae I 492 sub II. Cfr. Permixtio.

Pistores quoad requiem festivam I 394 sub I 5°.
Plantatio ut modus acquirendi dominium etc. II 78.
Poena addita contractui II 181.
Poenitentia virtus: notio III 229 sq. — Sacramentum: notio, controversia et sententiae de ejus constitutione 231 sq. Vid. Confessarius, Confessio, Contritio etc.
Pollutio: notio, malitia I 454; animadversiones practicae 455; — indirecte voluntaria 456, resolutiones 457; in somno 458. — ante S. Communionem III 454 sub III. — Ecclesiae quomodo contingat III 200, sequelae 203; reconciliatio 201.
Possessio civilis: notio II 53; distinctio 54; quomodo acquiratur 55, et amittatur 56; quae jura conferat ex lege civili 57. — Qualis requiratur ad praescriptionem 85. — quoad res mobiles valet pro titulo perfecto 90. Principium possessionis ejusque usus in solvendis dubiis moralibus I 71 sqq.; cfr. 76 sq.
Possessor bonae etc. fidei quoad restitutionem vid. bonae etc. fidei possessor.
Praeceptum vid. Lex.
Praelati Regularium: potestas dispensandi I 107, speciatim in votis et juramentis 356 sqq., 381; potestas irritandi vota et juramenta 364 sqq., 381. — Num teneantur celebrare pro grege III 170 sub III. — Potestas benedicendi ecclesiasticam supellectilem, Ecclesias etc. eaque reconciliandi 206. Jurisdictio sacramentalis 334 sq., cfr. 338, 350 sq., 352 sub 4. — quoad jurisdictionem in saeculares suis subditis communicandam 345. — Potestas reservandi casus 355. — Potestas absolvendi a casu percussionis clericorum etc. 359, cfr. I 582, et a casibus Episcopo vel ab Episcopo reservatis III 360.
Praescriptio: notio, divisio, quam vim habeat et unde II 84; regulae generales 82: — praescriptionis acquisitivae conditiones 83: res apta 84, possessio 85, bona fides 86 sqq. titulus et temporis spatium 89. — quoad res mobiles 90. — Praescriptionis liberativae distinctiones et vis 91 sq.
Praesumptio ut probatio: notio, distinctiones, effectus I 68; principium praesumptionis ulterius explicatur 69; deductiones 70; cfr. 76 sq.
— ut peccatum: filia superbiae I 146; ut opposita spei 200.
Presbyteratus Ordo III 498 sqq.
Pretium in simonia I 325 sqq. — in contractu emptionis-venditionis 224 sqq., 248, 251 sq., 257 sq. — in contractu locationis-conductionis rerum 265. — in contractu operis perficiendi 283 sq. cfr. Famuli, Mutuum aliorumque contractuum nomina.
Principes: obligationes praecipuae, et obligationes subditorum erga eos I 408.
Privilegia jure civili nonnullis creditoribus concessa II 442 sqq.
Probabiliorismus I 60 sub III.
Probabilismus: notio I 58, 60 sub V; probatur 61 sq.; magis exponitur: dubia certo exclusa 63; non excluditur opinio minus probabilis 64 sq., neque dubium facti 66 sq.
Probabilis, Probabilitas vid. Opinio. — Probabilitatis extrinsecae usus I 78 sq.; num liceat modo hanc modo illam opinionem de eadem re sequi 80.
Procatio ut occasio peccati III 411 sq.
Proclamationes nuptiales: quot, quando, ubi, a quo, quomodo fieri debeant III 540 sqq.; obligationis gravitas 547; dispensandi facultas 548 sq. — Noto vel detecto impedimento: quae obligatio fidelium 550, quid officium Parochi vel Confessarii 551 sq.
Procurator in sponsalibus III 509, in matrimonio 558.
Professio fidei Vid. Fides.
Promissio: notio II 188; obligatio 189 sq.; cessatio 191; num transeat ad heredes 192.
Promulgatio legis I 86, 6°.
Propositionibus a S. Sede vel Congregatione Romana reprobatis adhaerentes, quatenus peccent I 196. — Excommunicatio docentium etc. propositiones damnatas 581.
Propositum quale requiratur in Sacramento Poenitentiae III 249 sqq., 253. — rei malae: resolutiones de moralitate I 132 sqq.
Proxenetae distinguuntur II 256; quid eis liceat 257.
Prudentia: notio I 161; partes integrantes etc. 162; vitia opposita 163.
Pueri quoad legem jejunii I 486. Vid. Infantes.

Purificatorium Missae III 215, 222.
Pusillanimitas filia acediae I 156; opponitur magnanimitati 167.

Q

Quasi-contractus: notio II 127 sub VII.
Quasi-domicilium: notio III 655 sub II in nota.

R

Rancor filia acediae I 156.
Rapina species furti II 543.
Raptus ut species luxuriae I 447, 453; — ut impedimentum dirimens matrimonii III 587.
Rebellio contra legitimam auctoritatem I 468 sub II.
Receptator seu **recursum** praebens ut cooperator ad damnum II 406.
Recidivus non-occasionarius qui sit et quomodo tractandus III 397 sqq.
Reconciliatio cum inimico I 246.
Rectores quoad obligationem applicandi Missam pro grege III 170 sub III; quoad subscriptionem sponsalium et assistentiam matrimonialem 511 sub IV 2; cfr. 512 sub II, 648 sub III ad X. Vid. Vicarii.
Reductio Missarum III 190.
Regulares, Religiosi quoad administrationem S. Eucharistiae III 122, 125 sub V; pro censura, item quoad Extremam Unctionem cfr. I 586; quoad stipendium Missarum ab Episcopo taxatum III 173; quoad intentiones Missarum acceptas et aliis committendas 180 sq.; quoad jurisdictionem in saeculares praeviamque approbationem 345 sq.; quoad jurisdictionem in ipsos 350 sq. cfr. 364 sub II; quoad reservationem Episcopalem 355; quoad facultatem in casus reservatos 360 sub I et II; quoad denuntiationem sacerdotis sollicitantis faciendam vel imponendam 469 sub III. — quoad potestatem dispensandi in votis (eave commutandi) et juramentis I 356 sub III, 357 sub III, 361, 381; quoad potestatem dispensandi in ordine ad petendum debitum I 422 sub V; quoad licentiam, qua egent, operis in lucem edendi 529; censurae latae pro interno regimine Ordinum Regularium 595.
Religio ut virtus: notio I 289.
Repetitio Confessionis vid. Confessio.
Res amissae vid. Inventio.
Reservatio casuum: notio III 353; potestas, subjectum 355; conditiones 356; quoad eam ignorantes 357; num metus excuset ib sub 2°. — in Neerlandia 365 sqq. Vid. Absolutio.
Resipiscentia vid. Retractatio.
Restitutio: notio II 354; obligatio 9, 355. — Tituli 356: e re accepta 357 sqq.; ex injusta damnificatione 364 sqq. — Quid de dubia damni causa 386 sqq. — Ex injusta cooperatione 389 sqq.; causae negativae 411 sqq. — Objectum: pro possessore bonae fidei 415 sqq., dubiae fidei 417 sqq., malae fidei et damnificatore injusto 422 sqq.
Obligatio in solidum 433 sqq.
Circumstantiae restitutionis et solutionis: cuinam facienda 436 sqq.; ordo inter creditores 441 sqq.; ordo inter debitores solidarie obligatos 447; tempus 450 sqq.; locus et impensae 453 sq.; modus 453 sq.
Causae excusantes a restitutione vel solutione 457: omittendi 458 sqq., differendi 461; quid si debitum dubie solutum 469 sq.
Restrictio mentalis: notio, distinctio, moralitas II 575.
Retinendi libros prohibitos facultas I 542; excommunicatio illicite retinentium 564.
Retractatio, Revocatio actionis damnosae, **Resipiscentia**: num excuset a censura I 537 sub III, a restitutione II 375, a necessitate declarandi effectum in Confessione III 267 sub II.
Reverentia parentibus debita I 395, 397, aliis 405 sqq. — S. Eucharistiae speciatim debita: ut excusans a jejunio naturali III 153; in quantum requiratur ad licite communicandum 154.
Reviviscentia Sacramentorum III 3; Sacramenti Poenitentiae 245.
Revocatio consensûs quoad contractus generatim II 133; quoad contractum conditionatum 167 sub II; — mandati ut contractus 325; mandati et consilii ut cooperationum ad damnum 395, 398; — jurisdictionis sacramentalis III 339, quoad Regulares cfr. 346 sub III. — consensus conditionati in sponsalia vel matrimonium 517 sub V; — licentiae assistendi matrimonio 669 sub II 2°. Vid. Retractatio.

Ritus Sacramentorum, **Rubricae** vid. Caeremoniae.
Rixa vid. Mutilatio.
Rudes quoad Confessionem III 378.

S

Sabbatum Sanctum III 193.
Sacramentum: notio, divisiones III 1 sqq.; quibus perficiatur 4. — Requisita: ex parte materiae et formae 5 sqq., et intentionis Ministri 12 sqq. — Subjectum: quis 47, conditiones validae susceptionis 48, de intentione 49 sqq., licitae et fructuosae susceptionis 52 sqq. Vid. Intentio, Minister.
Sacrilegium generatim: notio, divisio, modi quibus committitur, moralitas I 322 sq. — ut peccatum luxuriae 451.
Saevitia ut causa divortii III 757.
Saltare vid. Choreae.
Salvatores num superstitiosi I 304 sub II.
Sanatio in radice: notio, conditiones III 746 sqq.
Sartores quoad requiem festivam I 394, 4°.
Satisfactio generice: notio, obligatio II 354.
— Sacramentalis: *Officium Confessarii*: obligatio imponendi III 315; quanta imponenda 316 sq.; causae excusantes 318; qualis 319 sqq.; quando 322; commutare quis possit 323; quomodo commutanda 324 sq. — *Obligatio poenitentis:* quae et quanta 327 sq.; implendi tempus 329 sq.; modus 331; cessatio obligationis 332.
Scandalum: notio, divisio I 248 sqq.: malitiae species 253 sq. et gravitas 256 sqq.; obligatio cavendi 261 sqq.; casus frequentiores 272; obligatio reparandi 273.
Scientia necessaria cuique I 177 sq.; Confessario III 371 sq. — moralis I 39.
Schismatici excommunicantur I 565.
Scholae pravae etc. quoad frequentantes et filios etc. ad eas mittentes I 404.
Scriptor vid. Auctor.
Scriptura Sacra: abusus ut sacrilegium reale I 323 sub III 2°; quoad usum 513 sq.; quoad permittendas editiones etc. 526; quoad praeviam censuram 531; excommunicatio indebite imprimentium: post n. 532 sub 48.
Scrupulus I 81 sqq.
Sculptores quoad scandalum I 272 sub V; quoad cooperationem 287; quoad requiem festivam 393 sub V.
Secretum: distinctio, obligatio III 535 sqq.
Sectae prohibitae I 584.
Sectio caesarea num licita et obligatoria III 85 squ.
Seductio puellae quoad impedimentum raptus III 587 sub IV. Vid. Stuprum.
Semifatui quoad S. Communionem III 129.
Senes quoad usum matrimonii I 417; quoad jejunium 486 sub II. — repuerascentes vid. Semifatui.
Sensibus destituti quoad Baptismum III 92; quoad S. Communionem 128 sub V; quoad Extremam Unctionem 495. Vid. Moribundus.
Sepultura ecclesiastica quatenus ea privet excommunicatio I 545, vel interdictum 559 sub III, 560. — Excommunicantur mandantes etc. 591.
Sermones turpes quoad loquentes et audientes I 473 sqq.
Servitium militare et lex conscriptionis quatenus obligent II 564 sq.
Servitus ut jus reale II 63.
Sigillum sacramentale: notio III 423; — Obligatio qualis, quanta et quando existat 424 sqq. Quid in dubio 426 sub 2. Cujus autoritate tolli possit 426 sub 3, 427. De licentia poenitentis 427. E quali Confessione oriatur 428, quo jure ib. sub IV. — Objectum quae semper sint 429; quae sint vel esse possint 430 sqq. — Subjectum seu qui eo obligentur 433. — Violatio quando generatim committatur 434; quae faciant vel non faciant ad distinguendum usum licitum notitiae sacramentalis ab illicito 435 sqq.; ad quos fines liceat usus 438; casus praecipui violationis 439. Quid de Confessario dicente talem sibi esse confessum 440, vel se absolvisse talem 441. Num schedula confessionis dari debeat petenti 442.
Simonia: notio I 324 sq., divisiones 326; resolutiones 327 sqq.; simoniae juris ecclesiastici casus praecipui 331; restitutio simoniace acceptorum 332; excommunicatio in reos simoniae 585.
Simulatio falsae religionis numquam licet; quando adsit I 183 sqq.
— Sacramenti III 20 sqq.

*

Simulans Absolutionen complicis non effugit excommunicationem I 575.
Socialistae num constituant sectam sub excommunicatione prohibitam I 584.
Societas ut contractus; notio II 315; obligationes et jura sociorum 316 sqq. num habeant jus personae 319; negotiatio actionum 321.
Sodomia: notio, divisio, malitia I 461.
Sollicitatio in Confessione: leges et decreta III 449; qui denuntiandi generatim 450. — Explicatio de sollicitante et de sollicitato 451, *clausarum* 452: in actu Confessionis ib. ante vel immediate post 453; occasione vel praetextu 454 sqq. specialia de praetextu 457; in confessionali 458; cum simulatione etc. 479 sq.; de crimine denuntiando 461 sqq.; etiamsi sollicitatio mutua fuerit: quid de consentiente 465, vel longum tempus effluxerit: quid de emendato, punito vel defuncto 466; quid in casibus dubiis 467.
Quinam denuntiare debeant 468 sq.; causae excusantes 470 sqq.; modi denuntiationem exequendi generatim 474, extra confessionale 477, in confessionali 478.
Obligatio monendi de onere denuntiandi 479 sqq.
Calumniosa denuntiatio 483.
Excommunicatio negligentium denuntiationem I 593.
Solutio debiti: modus generatim II 455; per simulatam donationem ib. sub. II; facta creditori creditoris sui 456; — dubia 469 sq.
Somnia praeternaturalia quoad virtutem religionis I 300.
Sortes, Sortilegium I. 301.
Sortitio ut contractus II 338 sq.
Specificatio in quantum sit modus acquirendi dominium II 79.
Spectacula Vid. Choreae et Comaediae.
Speculationes Bursae II 251 sub III et IV.
Spes ut virtus theologica: notio I 197; necessitas 198; peccata opposita: desperatio 199, praesumptio 200.
Spiritismus I 309.
Sponsalia: notio III 503; inhabiles ratione impedimenti 504; sub conditione dispensationis impetrandae 505; verba, signa dubia; ficta promissio 506; ex metu 507; filiorumfamilias 508; per procuratorem, litteras, a parentibus contracta 509. — Forma substantialis ex Decreto *Ne temere* 510 sq.; coram quo, ut Parocho, contrahi possint 512. — Effectus: si absolute contracta 513 sqq., si conditionate 516; si poena stipulata etc. 518 sqq. — Causae dissolvendi 523 sqq.
Sponsio ut contractus II 337.
Statuae obscoenae quoad scandalum I 272 sub V; quoad cooperationem 287.
Statûs vitae electio in quantum filiis libera I 399.
Sterilitas distincta ab impotentia III 589 sq.
Stipendium Missae licitum; quantum justum III 173 sq.; obligatio ex eo et leges ecclesiasticae 175; de principali obligatione 176; de tempore satisfaciendi ex jure naturae 177. — Decretum *Ut debita:* quae sint vel habeantur ut Missae manuales 178; de tempore satisfaciendi et deprohibitione quaerendi et accipiendi 179; de Missis quibus suo tempore satisfieri nequit 180 sq.. de mercatura non exercenda vel fovenda et de integro stipendio in sua specie tradendo celebranti 182 sq.; casus quibus non est obligatio tribuendi integrum stipendium 184. — Obligatio circumstantiarum 185: Altaris privilegiati ib.; quoad Missas de Requiem et votivas 186 sqq. — De obligatione tot Missas celebrandi quot praescriptae sunt 190 sq. — Excommunicatio in colligentes stipendia I 595.
Studiositas: notio, vitia opposita I 170 sub III 4°.
Stuprum ut species luxuriae I 447, 452; — obligatio erga stupratam II 494 sqq. ratione prolis 508 sq.
Suadere, Suasio vid. Consulere, consilium.
Subdelegare potestatem delegatam generatim I 108; licentiam assistendi matrimonio III 661 sub IV; — quoad facultates Episcoporum circa dispensationes matrimoniales 683 sub IV 4; 684 sub V. 729 sub III, 759 sub VI. Vid. Delegare.
Subdiaconatus Ordo III 498 sq.
Subditi erga Superiores generatim I 407; erga Principem 408.
Substitutio in testamento: notio, divisio, quae et in quantum prohibita II 110.
Successio hereditaria: notio, divisio, unde vim habeat II 94. Vid. Heres, Testamentum.

Suffragia communia Ecclesiae, in quantum iis privet excommunicatio I 544.
Snffragium ut cooperatio ad damnum II 400 sqq.; cfr. 414 sub I.
Suicidium vid. Mortem.
Superbia: notio, distinctio, filiae I 145 sqq.
Superiores: obligationes erga subditos I 407. — et Superiorissae Religiosarum quoad S. Communionem permittendam vel prohibendam III 139 sqq.; quoad Confessarium peculiarem concedendum 353 sub 3.
Superstitio: notio, distinctiones, malitia I 293 sqq. — libri eam docentes vel commendantes prohibentur 518.
Surdi, Surdastri quoad integritatem Confessionis III 294 sq.
Surdi-muti quoad S. Communionem III 129.
Suspensio: notio I 552; distinctiones 553; effectus 554; — ex informata conscientia 555. Suspensiones hodie vigentes 596 sqq.
Suspicio temeraria II 529 sub II.
Sutores quoad jejunium I 488.
Synteresis I 39.
Systemata moralia I 60.

T

Tabaci usus ante S. Communionem III 147.
Tabulae rotantes I 309.
Tactus in quantum adversentur castitati I 463 sq. 466 sqq. Tangens S. Eucharistiam III 35, 2°.
Telegraphum, Telephonium quoad Absolutionem sacramentalem III 394 sub III; quoad dispensationes matrimoniales 731.
Temperantia: notio, vitia opposita I 168 sq.; partes integrantes etc., vitia opposita 170.
Templa haereticorum etc. adire: quoad fidem I 186 sub III 2°; — aedificare vel ad ea pecuniam conferre: ut cooperatio 280.
Tempus requisitum ad praescriptionem II 89, 91. — quoad jejunium naturale III 143 sq. — clausum quoad matrimonium 571 sub II.
Tentatio Dei: notio, divisio, moralitas I 310.
Terminus seu dies appositus contractui II 178.
Testamentum: notio, divisio II 105. — ad causas pias 106. — conditiones ex jure civili: facultas testandi 107, consensus liber 108, habilitas acquirendi ex testamento 109, substitutionem prohibitam non contineat 110, legitima portio sit incolumis 111. — Num et quomodo possit rumpi, mutari et corruere 112. Conditio apposita vel causa expressa quid efficiant 113 sq. Corruente testamento cui accrescat hereditatis pars vel res legata 115. — Jura et obligationes legatarii 116. — De testamento irrito 117 sqq.
Testes testamenti II 105 sub 1; dispositionis ad piam causam 106 sub 3; — sunt respective inhabiles acquirendi 109 sub II 5° — contractûs 127 sub IV; sponsalium III 510 sub I, 511 sub IV-VII; matrimonii 644, 653, 663, 666.
Quando teneantur ad restitutionem II 414 sub IV.
Thesaurus: notio II 70; jus in eum 71 sq.
Titulus requisitus ad praescriptionem II 89.
Traditio ut modus acquirendi dominium etc. II 122.
Transactio contractus II 349.
Tributa: notio, distinctio, conditiones, obligatio ex lege naturali II 558; obligatio legis civilis 559 sq. — dubie justa 561 sq. — successionis 563.
Tristitia acediae I 156; — odii 237; — invidiae 242.
Tussi laborantes quoad S. Communionem III 130.
Tutior pars quando sequenda I 77 sub VIII.
Tutiorismus I 60.
Tutores: obligationes eorum et erga illos I 405. — quoad testamentum pupillorum II 109 sub II 2°; — quoad emptionem-venditionem 215 sub II et III; — quoad conductionem bonorum pupilli 267 i. f.
Typographi eorumque operarii: quoad scandalum I 272 sub III, IV et VI; quoad cooperationem 284, 287; quoad prohibitam editionem et impressionem 505 sq.; observanda ab eis ex Const. *Officiorum* 532; quando excommunicationem incurrant ib. sub 47 sq.
Tyrannus: quid erga eum liceat II 474, cfr. I 408 sub II.

U

Unctio in Baptismo III 96; — in Confirmatione 99; — in Ordinatione 501 Nota. Vid. Extrema Unctio.

Usura II 294 sub II, cfr. 299 sqq.
Usurpantes: qui excommunicatione puniantur I 578, 587 sub XIX.
Usus ut jus reale II 62.
Ususfructus: notio etc. II 58; jura 59; obligationes 60; quomodo extinguatur 61.
Uxor quoad vota mariti I 367 sub 5, 368; obligatio pietatis erga maritum 406; quoad debitum conjugale 426. — viri onanistae 441 sq., cfr. 444 sub II, III, V et VI. — quoad dominium II 29 sq., 31 sub IV-VII; 33 sqq. 36 sq.; quoad solutionem communionis 38 sqq.; quoad praescriptionem 82 sub V 3°, 92 sub II; quoad contractus generatim 143 sqq. quoad contractum operae praestandae 270 sub II; quoad furtum 546: Vid. Cohabitatio.

V

Vagi quoad leges generatim I 94 sub IV; quoad Baptismum III 74; quoad Communionem paschalem 158 sub VI, cfr. 122 Nota; quoad Absolutionem sacramentalem 342; quoad reservationem Episcopalem 355 sub II; quoad proclamationes antenuptiales 542; quod Decretum *Tametsi* 643 i. f.; quoad Parochum coram quo matrimonium contrahi possit vel debeat 645, 648, 654, 655 sub II, 657.
Vana gloria: notio, divisio, moralitas I 146 sq.
Vana observantia: notio, malitia I 295, 303 sq.
Vasa sacra III 211 sq.
Vates consulere: moralitas I 302.
Venatio, Jus venandi: II 69; quoad requiem festivam I 393 sub V.
Venditio vid. Emptio.
Veniale peccatum vid. Peccatum.
Veracitas: notio, oppositum, obligatio I 572 sqq.
Vestes quoad praeceptum fidei I 186 sub II 2°. — Sacrae III 217 sqq., cfr. 206.
Viaticum III 155, 159 sqq. — Excommunicatio in Religiosos illegitime ministrantes I 586 sub XIV.
Vicarii coadjutores Parochi et **Rectores** dependentes a Parocho: quoad obligationem ministrandi Sacramenta III 46; quoad subscribenda sponsalia parochianorum 541 sub IV 2: quoad assistentiam matrimonialem 660, cfr. 661 sub IV.
— Apostolici, Capitulares; Rectores iudependentes a Parocho quoad obligationem Missam applicandi pro grege III 170 sub III. Vid. Rectores.
Vindicta etc. I 155.
Vinum pro Missa III 109 sq.
Violentia ut impedimentum voluntarii I 20.
Virga divinatoria I 304.
Virginitas: notio I 170 sub II; — num ratio peccati specialis 452. — Ejus votum num dissolvat sponsalia III 535 sq. et in quantum impediat matrimonium ineundum ejusve usum 571 sub III, 572 sub II. — stipulata ante matrimonium num obstet hujus valori 562.
Virtus: notio I 157 sq.; divisiones 159; virtutum moralium conspectus 160 sq.
Vis vid. Metus, Violentia.
Vita propria quibus mediis conservanda 209; quatenus liceat vel oporteat eam periculo exponere 206 sqq. 220.
Vitandi qui sint I 539; obligatio fidelium 550.
Vocatio ad statum clericalem num necessaria, et necessario sequenda III 502.
Voluntarium: notio, necessitas ad actum humanum I 4; distinctiones 5; — in causa: explicatio et regulae 6 sqq. — impedimenta 15 sqq.
Vomitus quoad S. Communionem III 130 sub VIII.
Votum: notio, divisiones I 333; conditiones: ex parte voventis 334 sq., ex parte materiae 336; — obligatio et interpretatio 338 sqq.; speciatim quoad votum sub conditione suspensiva 343, vel de facto alieno 344; tempus implendi 345 sq.: modus implendi 346; — cessatio 348; cessatio simplex 349 sqq, speciatim quoad votum disjunctivum 353. — dispensatio 356; quae vota reservata et in quantum 357; de voto castitatis a conjugatis emisso 358, vel in utilitatem proximi 359. — commutatio 360 sqq. — irritatio 364 sq.
— ut causa dissolutionis sponsalium III 535 sqq.; ut impedimentum matrimonii impediens ejusque obligatio post matrimonium contractum 571 sub III, 572; cfr. I 422. — ut impedimentum dirimens III 596 sqq.

APPROBATIO.

Cum opus, cui titulus: " **Compendium Theologiae Moralis auctore Fr. Eugenio Cornelisse Ordinis Fratrum Minorum** „ Provinciae Hollandiae filio, ac S. Theologiae iamdudum lectore iubilato, de mandato Nostro a duobus confratribus, pariter S. Theologiae lectoribus iubilatis, revisum atque apprime doctrinae fidei morumque catholicae consonum sit iudicatum, facultatem hisce facimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.

Datum Romae ex Curia Nostra Generalitia in Collegio Nostro Internationali S. Antonii Paduani, die 28 Martii anno Domini 1910.

Fr. Dionysius Schuler
Minister Generalis totius Ord. Fr. Min.

Nihil obstat.

Florentiae, die 11 Martii 1910.

Can. Fridericus Lapini, *Censor Eccl.*

IMPRIMATUR.

Datum Florentiae ex Curia Archiepiscopali,
die 11 Martii 1910.

Can. Alex. Ciolli, *Vic. Glis.*

ADDENDUM AD TOMUM III.

Dubia a S. C. de Sacramentis resoluta et resolutiones a S^mo Pontifice approbatae 12 et 13 Martii 1910:

« I. Quid intelligendum sit nomine « regionis » seu in qua distantia debeant versari contrahentes a loco in quo est sacerdos competens ad assistendum matrimonio, ut hoc possit valide et licite iniri coram solis testibus ad normam art. VIII decr. « *Ne temere* ».

« R. Ad 1^um Matrimonium potest valide et licite contrahi coram solis testibus sine praesentia Sacerdotis competentis ad assistendum semper ac, elapso iam mense, Sacerdos competens absque gravi incommodo haberi vel adiri nequeat ».

« II. Accidit non raro ut ob sacerdotum inopiam plures paroeciae ab uno tanto parocho regantur, qui easdem omnes singulis mensibus invisere nequit. Sunt pariter quaedam amplae paroeciae, vicos etiam cum sacello publico valde dissitos continentes, qui infra mensem, tum ob viarum asperitatem, tum ob fluminum impetum lustrari a parocho nequeunt omnino, nec parochus a fidelibus adiri potest. Quaeritur: *a)* Possintne fideles paroeciarum in primo casu, elapso mense quin parochus advenerit, valide ac licite matrimonium contrahere coram duobus testibus tantum, iuxta art. VIII; *b)* Quilibet vicus in secundo casu possitne tamquam « regio » haberi, ita ut ibi degentes facultate praefati art. VIII uti valeant ».

« Ad 2^um Provisum in primo ».

« III. Utrum valide matrimonium coram solis testibus ineat qui in « regionem » de qua art. VIII *in fraudem legis* se conferat ».

« Ad 3^um Affirmative ».

Ad I-III cfr. n. 667; et adverte magis attendendum esse ad incommodum habendi vel adeundi parochum, quam ad distantiam vel amplitudinem loci.

« IV. An possint adhiberi ut testes mali christiani atque adeo pagani in ordine ad observandas praescriptiones art. II, III, VII et VIII ».

« Ad 4^um^ Quoad qualitates testium a decreto « *Ne temere* » nihil esse immutatum ». — Cfr. n. 512, IV, 2° et n. 653, I.

« V. Quoad menstruam commorationem et vagos quaeritur: *a)* Utrum commoratio menstrua, de qua in art. V, § 2, sit accipienda *sensu relativo* i. e, quoad eos qui alibi habent domicilium aut quasi-domicilium, an *sensu absoluto,* seu quoad illos qui nullibi praedictum domicilium aut quasi-domicilium habent: *b)* Utrum parochus vel Ordinarius proprius, de quo eodem art. V, § 3, sit parochus vel Ordinarius commorationis menstruae sensu absoluto acceptae; *c)* Utrum nomine vagorum, de quibus art. V, § 4, ii omnes veniant qui destituuntur domicilio et quasi-domicilio, an ii tantum qui, domicilio et quasi-domicilio destituti, praeterea nullibi habent parochum vel Ordinarium commoratione saltem menstrua acquisitum ».

« Quoad 5^um^ Ad *a* et *b*. Provisum per responsum ad quintum datum a S. C. Concilii die 28 Martii 1908 ». — Cfr. n. 655, II.

« Ad *c*: Nomine vagorum, de quibus art. V, § 4, veniunt omnes et soli qui nullibi habent parochum vel Ordinarium proprium ratione domicilii vel menstruae commorationis ». — Cfr. n. 657. Neque tamen satis patet huc venire quoque momentanee vagos, de quibus l. c., quum in hunc sensum S. Congregatio hac de re non fuerit interrogata.

« VI. Accidit ut parochorum coadiutores ab Episcopis nominentur, et quidem ex iure particulari facultate assistendi coniugiis non sint instructi; tamen usuvenit ut ab incepto officii exercitio, parochis non contradicentibus, sed irrequisita eorum licentia, matrimoniis adsistant, in libris etiam matrimoniorum adhibentes solam sui ipsorum subscriptionem; imo praesertim in maioribus paroeciis semper vel fere semper matrimoniis adsistant. Quaeritur in casu: *a)* An matrimonia coram coadiutoribus hucusque inita, tacentibus parochis, sint valida; *b)* Quatenus affirmative, an licite coadiutores se gerant in assistentia connubiis praestanda ab incepto officii exercitio, absque expressa parochorum delegatione; *c)* Utrum

tolerari possit mos ut coadiutores omnibus vel fere omnibus matrimoniis in paroecia adsistant, an potius parochi urgeri debeant ad hanc adsistentiam ut plurimum et ordinarie per seipsos explendam, nisi legitima et gravi causa, onerata ipsorum conscientia, impediti fuerint, quo in casu deputationem coadiutoribus conferant et ita solitis verbis connubia in libris matrimoniorum describantur ».

« Quoad 6^um^ Ad *a*: acquiescant, facto verbo cum SSmo; ad *b*: serventur de iure servanda; ad *c*: quoad assistentiam matrimoniis a parochis personaliter praestandam Archiepiscopus pro suo iure urgeat si quae sunt de ea re leges Concilii Provincialis. Quoad descriptionem matrimonii celebrati servetur art. IX Decreti « *Ne temere* » et praescriptum Ritualis Romani ». — Cfr. n. 660 sq., et 668 sq., et adverte urgeri etiamnum praescriptum Ritualis Romani.

« VII. Utrum per art. I decreti maneat abrogatum ius speciale ante illud decretum in Hispania vigens, et ad Americam Latinam extensum, vi cuius ad valorem sponsalium requirebatur scriptura publica *a Notario* subscripta ».

« Ad 7^um^ Affirmative ».

« VIII. Utrum Ecclesiae Regulares exemptae ad tenorem decreti existimari possint et valeant tamquam territorium parochi seu Ordinarii, in quorum territoriali districtu sunt sitae ad effectum adsistentiae matrimonii ».

« Ad 8^um^ Affirmative ». — Cfr. n. 648, I, nota 1.

« IX. An et quomodo annuendum sit petitionibus quorumdam Ordinariorum, nimirum: 1° Episcopi Rosensis postulantis dispensationem ab obligatione imposita per art. IX, § 2, adnotandi in libro baptizatorum coniuges tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse; 2° Vicarii Apostolici Kiam-Si Orientalis postulantis dispensationem non solum ab obligatione adnotandi matrimonium contractum in libro baptizatorum, sed etiam in libro matrimoniorum; 3° quorumdam Ordinariorum Sinensium qui quaerunt: Utrum responsum S. C. C. diei 27 Iulii 1908, ad VII, restringatur ad solos duos casus tunc in quaesito propositos; et, *quatenus affirmative,* postulant ut responsum extendatur ad alios casus verae necessitatis; 4° Episcopi Mangalorensis qui postulat ut sibi facultas detur

permittendi ut matrimonium celebratum in libro matrimoniorum describi possit a Sacerdote qui ex delegatione parochi matrimonio adstitit, quando parochus sit absens ».

« Quoad 9^{um}. Ad 1^{um} Non expedire et ad mentem. Mens est ut Ordinarius aliique ipsius cooperatores quantum in Domino possunt, satagant illam perniciosam superstitionem ab animis fidelium avertere, qua ab usurpandis sanctorum nominibus in Baptismo receptis deterrentur. Doceant ipsos frequenter, idcirco nomina eis imponi Sanctorum, ut eorum exemplis ad pie vivendum excitentur et patrociniis protegantur. Parochis vero aliisque animarum curae praepositis sacerdotibus commendent, ut quamdiu illa perniciosa superstitio eradicari non possit, omni, qua valeant, diligentia libros parochiales conscribant, etiam adhibita opera aliorum, quorum industria ea in re iuvari posse credant. Quodsi in casu particulari verum nomen coniugati scire non poterunt, stante morali impossibilitate legem observandi, ea non obligantur.

Ad 2^{um} Non expedire quoad utrumque et ad mentem. Mens est: Ordinarios curare debere, ut a Missionariis regesta celebratorum matrimoniorum diligenter conficiantur et conserventur, eisque pro suo prudenti arbitrio praescribere cautiones ad vitanda incommoda exposita, adhibitis etiam, si opus fuerit, signis conventionalibus.

« Ad 3^{um}. Quoad 1^{um}. Negative; quoad 2^{um}. Provisum in primo ». — Cfr. n. 667, nota 1.

« Ad 4^{um}. Pro gratia prudenti arbitrio et conscientiae Episcopi ». — Cfr. n. 669.

WITHDRAWN

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1758.C67 C001 V003
COMPENDIUM THEOLOGIAE MORALIS QUARACCHI
3 0311 00044 1738

BX
1758
.C67
v.3

48083

AUTHOR Cornelisse, Eugenio

TITLE COMPENDIUM THEOLOGIAE MORALIS

DATE LOANED

48083

~~14109~~

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.